SEX. AURELII PROPERTII

CARMINA

EMENDAVIT

AD CODICUM MELIORUM FIDEM

ET ANNOTAVIT

CAROLUS LACHMANNUS

LIPSIAE, APUD GERHARD FLEISCHER JUN.

1816.

PRAEFATIO.

Propertii carmina ut post varia, quae per saeculorum decursum experta sunt, fata novo studio novaque cura etiam expolita in publicum prodantur, multos quidem hodie optare videmus: sed quod ego id negotium hoc potissimum tempore in me susceperim, eique perficiendo me parem futurum esse judicaverim, id sane plerosque reprehensuros esse satis intelligo. Etenim hunc scriptorem et a veteribus librariis pessime habitum constat, nec sollerti virorum doctorum diligentia adhuc effectum esse, ut legi omnia, nedum intelligi et placere legentibus possint; omnium vero communem exspectationem jamdudum a viro tum ingenii tum eruditionis copiis instructissimo, Immanuele Gottlieb Huschkio, ut eorum, qui Propertium amant, desideriis opera in hujus poëtae editione ponenda satisfaciat, expetere et flagitare; neminem autem dubitare, quin hic vir, qui nihil nisi egregia, praeclara, absoluta dare consuevit, spem de se conceptam re etiam longe longeque superaturus sit. Nihilominus ego cum hominem praestantissimum diutius, quam ii, quibus haec res curae est, vellent, tardari, nonnullos autem spes suas et exspectationis fiduciam jam abjecisse viderem,

et, quamquam viribus meis diffiderem, aliquid tamen me ad hujus poëtae salutem conferre posse existimarem, nec caeteris neque ipsi Huschkio ingratam rem me facturum putavi, si id, quod possem, praestarem, itaque hac leviore opera Huschkianae quasi praeluderem, quin etiam, si fieri posset, viro egregio parvam laboris partem mea diligentia demerem.

Itaque omisso interpretis officio, cui hanc juvenilem aetatem, discendo rectius sane quam docendo occupandam, neque a doctrinae copiis aut ab diuturna exercitatione satis instructam, sufficere non posse sentirem, cum praeterea his, quae alii praeclare monuissent, repetendis actum agere nollem, omnia autem post me haud paullo melius pleniusque praestitum iri intelligerem, ad criticam partem omnes animi vires contuli; in qua id efficere anniterer, quod critici omnes profitentur, pauci attingunt, ut quam maxime similem sui Propertium redderem, universa lectione ad optimarum membranarum fidem et ad veri aut verisimilitudinis normam accuratissimo studio exigenda. Quo in negotio, praeter ipsa verba poëtae probabiliter et ad regulas criticas constituenda, in annotatione de sex rebus maxime dicendum esse putavi, quas si ita, ut volebam, pertractarem, nec voluntatem vires saepe destituerent, neque annotationem ipsam, nec textus recensionem, cujus rationes in illa continentur, aequis judicibus displicere posse confidebam. Prima igitur cura fuit, ut, quoties a scripturis Burmannianis discidium fecissem, id indicarem; tum ut optimorum codicum lectiones, ubi aut a nobis aut a Burmanno rejectae essent, annotarem; tertio loco, cum ad lectionum causas evolvendas perventum esset, librorum manu scriptorum auctoritate quid efficeretur, exponerem;

porro quid ratio ad scripturae veritatem dijudicandam valeret, declararem. Postea quintum negotium erat ea, quae viri docti de conjectura in ordinem recepissent, examinare; denique ultimum, criticae proximam interpretationis partem, quae in sententiarum cohaerentia ac vinculis reperiendis cernitur, passim, ubi opus erat, attingere.

Sed, quia de his rebus sigillatim uberius agendum est, ante omnia ne quid clam lectore novaretur, quod a multis cum magno optimorum scriptorum detrimento factum est, singulis locis, in quibus a Burmanni exemplo descivissem, fideliter indicandis, qua fieri potuit diligentia cavimus. Et in hoc quidem genere ne levissima quidem omissa fuere, his, quae minutiora erant, quam ut indicari in annotatione possent, in mediis paginis una cum reliqua, quae majoris momenti esset, varietate lectionis indicatis, nisi quod multa ad orthographiam aut ad interpunctionem pertinentia taceri necessario debuerunt. Hanc, interpunctionem dico, quae pessime adhuc instituta fuit, ad regulas in aliis scriptoribus plerisque probatas, quamvis saepe repugnante judicio meo, revocavi: rationem autem scribendi ad morem saeculi Augustei, quantum fieri potuit aut debuit, accommodavi. Huc pertinet, quod praeter caetera accusativos plurales permultos non in *es*, sed in *is* terminatos exhibui; qua in re Prisciani et caeterorum grammaticorum, nec non Valerii Probi apud Gellium N. A. XIII, 20. regulas sequentem Virgilii codicum caeteris accuratiorum usus, quin et ipsi Propertiani, qui, utpote recentes, non semper quidem, plerumque tamen, quid faciendum esset, indicarent, tam non mediocriter adjuverunt, ut nusquam fere locus esset dubitationi; quamquam in hoc neque omni

aevo omnes, neque eodem tempore singulos idem secutos esse cum aliunde satis constaret, tum ex Varrone, qui de lingua Latina libro VII. pag. 120., loco a G. J. Vossio de analogia II, 16. omisso, *genteis* quidem a genitivo *gentium*, a *mentium* vero *mentes* tantum dici tradit, Lucretii codicibus in libro IV, 370., Virgilianis autem ter quaterque contradicentibus.

In talibus igitur interdum aliquanto plus sapere librariis necessarium duximus, quos nec in caeteris rebus cum superstitione sequi voluimus, si certae, quibus eorum fides elevaretur, rationes nobis in promtu essent. Sed ea tamen religione usi sumus, ut ubicumque aut nos de divinatione aliquid primi reposuissemus aut repositum a Burmanno aliisque retinuissemus, optimorum codicum scripturae, quod erat alterum annotationis nostrae argumentum, indicarentur. Sed has quidem solas commemorari sufficiebat: caeterum ut omnis ex omnibus libris annotaretur scripturae diversitas, postulari a me non posse existimabam; cum id modo efficere vellem, ut ne lectori de cujusquam scripturae auctoritate non constaret, et si quis forte solos codices in hoc auctore ubique sequendos censeret, nihil agere sese intelligeret. Hanc rem igitur tanta cum cura gessimus, ut vix ullum verbum in hoc auctore a me exhibitum esse putem, quod non aut in veteribus libris ita scriptum legatur aut aliter ibi scriptum esse monuerim. Caeterum si quid ejusmodi tamen curam meam effugerit, veniam quidem non expeto, caeterum excusationem ab his, qui accurationi in talibus obesse taedium sciunt, paratam mihi fore confido.

Jam autem porro, ut pateat, quinam sint illi, quos diximus, libri optimi, dicendum nobis hic erit de sin-

gulorum fide et auctoritate, ut, cur singulos audiendos aspernandosve in annotatione perpetuo moneamus? constare possit lectoribus nostris. Rem igitur expositurus sum levem aspectu, ut sunt omnia in hac critica arte multorum judicio levia, sed qua rectius, quam ante factum erat, exquirenda aliquantum mihi ad veram cujusque loci scripturam investigandam profecisse videor.

Nam cum intelligerem priores criticos, omnes, qui exstant, codices Propertianos recentes pronunciasse contentos, nullo dilectu facto, nunc ex hoc, nunc ex illo scripturas elegantiae quidem specie non raro blandientes, a caeteris vero omnibus plerumque miro modo discrepantes, secure satis recipere, cumque ego id criticae genus valde lubricum ac periculosum deputarem, visum est mihi in rem omnibus notam, sed intentiore cura adhuc indignam visam, eo, quo fieri posset, studio inquirere. Scilicet cum inter omnes constaret, saeculis post decimum quarto quintoque viros in Italia, ut illorum temporum ratio ferebat, doctissimos in omnibus paene scriptoribus, in his autem amorum triumviris emendandis Johannem Jovianum Pontanum prae caeteris non sane infelicem operam posuisse, caeterum multa non intellecta a se perperam et inani temerarioque conatu immutavisse, horum vero commenta in nova, quae ex eorum codicibus describerentur, exempla transiisse: nemo tamen inventus est, qui hanc rem aut hos poëtas ea cura dignos censeret, ut, qui codices veterem ac sinceram scripturam tenerent, qui a doctis Italis interpolati essent, data opera ac diligenti mentis intentione investigaret. Hoc vero si factum fuisset, dubium non est, quin illa carmina jamdudum multis partibus meliora et pristinae, quam ab auctoribus suis

acceperant, formae haud paullo minus dissimilia habituri essemus. Quam multa enim editores immutaturos fuisse putas, si scivissent inter octo Broukhusianos Propertii codices duos tantum, tres quatuorve ex his, quorum excerpta Burmanno praesto fuerunt (habuit autem enotatas lectiones librorum ferme triginta), in codicum non quidem optimorum aut antiquorum (omnes enim admodum corrupti sunt ac praeterea recentes), sed bonorum tamen ac genuinorum numerum esse referendos, caeteros autem, quibus illi usi sunt, omnes Sardos venales esse, qui numerum facerent, carerent pondere, eorum scripturas autem nihilo majorem, quam virorum doctorum divinationes, auctoritatem habere, veritatem ac fidem a calamo et membrana non adipisci? Caeterum cum tam multi ex hoc deterrimo genere codices collati sint, ut eorum lectionibus jam ad fastidium usque saturati simus, nemo mihi, ut opinor, vitio vertet, quod, uno tantum, sed eo quidem perbono codice, post Nicolaum Heinsium tamen, usus, alios, non rationibus solum ac facultatibus meis vetantibus, sed etiam dehortante sperandae utilitatis cogitatione, nihil quaesivi, quorum quantumvis magna lateat in bibliothecis copia, tantum non omnes ex Italorum officina prodiisse hoc argumento conjicio, quod illam Tibullianorum codicum haud parvam sane multitudinem a doctissimo viro Johanne Henrico Vossio undecumque conductam paene omnem foedissimis Italorum interpolationibus contaminatam esse usu et examine instituto comperi.

Sed quoniam hanc rem movimus, jure a nobis postulari videtur, ut singulis, quos Propertii editores usurpaverunt, codicibus quae fides tribuenda sit, accurate exponamus, ne hi, qui hunc poëtam legunt, a cri-

ticis recentia pro antiquissimis venditare consuetis ulterius decipi sese patiantur, aut ipsi, si codices scriptos adhibere velint, veri ignorantia in errorem incidant. Nam cum omnes libri Propertiani recentes sint, nemo umquam, qui veterem ac genuinam lectionem exhibeant, intelligere poterit, nisi eos cum bonis ac sinceris plerumque facere compererit. Certe eodem modo et nos quoque, dum, qui libri inter se conspirarent, dissiderent a reliquis, qui aperta manus emendatricis vestigia tenerent, quibus librariorum stultitia tantum et oscitantia, non correctorum audacia nocuisset, animadvertimus, non difficili, sed taediosa opera, in utram classem singuli referendi essent, indagavimus. Eamdem autem operam hos, qui de nostris studiis judicare volent, impendere oportebit: argumenta, quibus ducti singulis libris locum suum assignavimus, per totum opus dispersa invenient. Multo autem plura ipsi codicum lectiones ab aliis enotatas excutiendo reperient; hic enim enumerare ea sine nostra et lectorum molestia neutiquam possumus.

Bonitate igitur, fortasse non item vetustate (certe nihil ejusmodi annotatum ab eis, qui librum inspexerunt, video) principatum inter codices Propertianos tenent membranae *Groninganae* in Italia conscriptae. Hujus libri lectiones Janus Mellerus Palmerius, Franciscus Modius, Janus Broukhusius, Petrus Burmannus enotaverunt, nemo tamen omnes, ut quamvis hos cunctos inspicias, tamen de multis locis dubites. Caeterum ne cui temere credas, singuli aliquoties fallunt, Palmerius tamen et Burmannus caeteris frequentius. Quae vero idem Burmannus abhibuit, *excerpta Francisci Modii*, eorum pars ex hoc libro est, alia ex aliis deterioribus, quod ex ipsis scripturis cum alibi tum

libro II, 10 (nobis III, 3), 1. apud Burmannum intelliges.

Codicem Groninganum, qui veram multorum locorum lectionem unus omnium indicat, proxime subsequuntur membranae *Neapolitanae*, quas Heinsius satis negligenter et cum festinatione contulit, Neapoli ad S. Johannem Carbonarium visas: nunc Guelferbytum tenet inter codices Gudianos insignitas numero 224., unde cum caeteris ad breve tempus ante hoc triennium in urbem nostram translatas nos, venia ab solita et omnibus nota eorum virorum, qui bibliothecae Gottingensi praefecti sunt, humanitate facillime impetrata, majore cum cura nec sine fructu excussimus. Hic autem codex, Groningano vix inferior bonitate, et ab omni parte integer, nisi quod carminis postremi pars (v. 17—74) intercidit, extra Italiam scriptus est ante annos ferme quingentos, unde satis antiquus dicitur Heinsio in adversariis II, 6. pag. 247. et ad Ovidium art. amat. III, 154. Caeterum Laurentius Santenius in praefatione pagina IV. a Burmanno aliquoties Neapolitanum secundum laudari miratur, quod non modo frequentius, quam ille animadvertit, facit, sed et quintum commemorat I, 4, 22. 6, 22. 11, 28. et, si recte memini, saepius. Scilicet inde errorem natum esse constat, quod Heinsius ad exemplum Gryphianum et Neapolitani et quinque Vaticanorum scripturas notaverat; ne Santenium sequamur, Neapolitani secundi lectiones in exemplo Vossiano bibliothecae Leidensis, Historic. n. 418., haberi conjectantem. Certe quod Santenius in IV, (V), 11, 94. a Vossio ex codice Neapolitano afferri notat, id ipsum me in nostro Guelferbytano legisse profiteor.

Tertium locum jure vindicat sibi codex *Mentelianus*, membranaceus, in Italia exaratus, cujus varietatem Burmannus bis a se poni non animadvertit, *Menteliani* nomine a Nicolao Heinsio collati, et *Leidensis primi* a Francisco Oudendorpio, quamquam hunc Leidensem Jacobi Mentelii olim fuisse, ne quid dubites, ipse narrat in praefatione Santenii pag. III. Neque alius *Francianus secundus* est a Broukhusio adhibitus, qui et *suorum alterum* appellat, a Menteliano non diversum agnoscens ad librum II, 25, 39. pag. 238. Caeterum illa res Burmannum Propertii bono latuit, quandoquidem nunc, cum codex ter collatus sit, de ejus lectionibus minus dubitare possumus, quamquam singulos oscitantia saepius errasse nunc satis appareat. Hic Mentelianus, Heinsii judicio omnium librorum mss. optimus, qui Broukhusio eam aetatem, cui Neapolitanum ascripsimus, facile excedere videtur, est sane bonus codex, caeterum ab imperito librario negligentissime scriptus.

Idem judicamus de *Palatinis* duobus, *chartaceo* altero, altero *membranaceo*, ab Jano Gebhardo collatis, quos, cum interpolati non sint, omnium, qui exstant, vitiosissimos dicerem, nisi pari loco duo alii habendi essent, quorum varietatem Johannes Antonius Vulpius minus accurate enotavit, alter *Bononiensis* chartaceus, *Guarnerianus* alter in membrana saeculo XV. elegantissime scriptus.

Praeter septem hosce nihil mali a correctorum Italorum temeritate passos unus commemoratur *Bernardini Vallae* liber antiquissimus, cujus scripturas omnes, quas a Francisco Puccio anno MDII. annotatas haberet, si Laurentius Santenius apponere voluisset, haud paullo rectius, ni fallor, de multarum lectionum

fonte et origine judicare possemus; quamquam cautione vel in his *Francisci Puccii excerptis* adhibendis opus erit, quem multa de conjectura cum sua tum aliena reposuisse non suspicor, sed certo scio. Nunc cum Puccii opera nobis carendum esset, his, quae ex *Antonii Perreji excerptis* notantur, usi sumus, caute tamen, cum praeter Puccii librum alios quoque eosque non leviter passim interpolatos adhibuerit, in quibus et Vaticanorum primum ac secundum fuisse existimo, non item quintum. Vaticanos et ipsos, et fortasse solos *Angelo Colotio* visos esse conjicio, cujus excerptis non majorem, quam *M. Antonii Pocchi* et *Octaviani Ferrarii*, e quibus pauca allata vidi, fidem praestandam esse contendo. Caeterum Lipsius alium *Colotii* codicem passim laudat in antiquis lectionibus, sed hunc quoque Italorum audaciae testem.

Sensim, ut vides, et furtim quasi ad alteram codicum classem delapsus sum, quos *Italicos* appellare soleo, non quod omnes in Italia scriptos putem, sed quia a doctis Italis recensiti sunt. Caeterum et hi, ne singulos inter se admodum similes esse credas, habent classes suas et familias; nec mirum, cum alii ex aliis exemplaribus ducti sint, alii alios correctores nacti. Ita Heinsianus fere cum Borrichiano consentit, Colotii et Perreji codices cum Vaticanis Heinsii; D'Orvilliani autem quasi medii sunt inter utrosque.

Sed ut ordine agamus, Italicorum agmen ducunt *Vaticani*, quibus nulli licentius ab emendatoribus habiti exstant. Horum unum, neque antiquum nec probum, *Johannes Livinejus* excussit, ex optimo illum exemplo deductum, quin et interdum unum omnium cum Groningano facientem, caeterum ab ingenioso correctore plurimis locis vexatum. Non alium hoc esse

eum, quo Lipsius usus est, disces cum ex aliis multis, tum collatis, quae Livinejus notat ad I, 11 (12), 11. et Lipsius antiq. lect. IV, 11. Ab hoc autem multum differunt quinque alii, quos Nicolaus Heinsius vidit, *primum* ubique fere *secundo* concinentem, utrumque a docto homine interpolatum, a doctiore etiam *quintum*. Hos enim tres Vaticanos Burmannus appellare solet: *tertium quartumve* sex tantum locis commemorari recordor. *Josephus Scaliger* quoque Vaticanum vidit a correctorum manu non liberum, cujus *excerptis* Burmannus usus est. Idem Scaliger alio codice (nos *Cujacianum* plerumque aut *Scaligeri* librum dicimus) ad Propertium recensendum usus est, quem recentissimum, ut ipse ait, adde interpolatum a docto homine, sed cum caeteris Italicis raro consentientem, Valentiae Cavarum ab Jacobo Cujacio commodatum accepisse testatur ad I, 21, 12. Nihil constat mihi de *Pici Mirandulani* codice, quem Philippus Beroaldus, variis per totum opus codicibus bonis malis usus, ad librum III, 5, 1. commemorat, ubi veram scripturam solus exhibuit. *M. Antonii Mureti* librum, Lipsio quoque visum, scriptum autem anno MCCCCLX., Italicis annumero, de *Fulvii Ursini* codice et *Farnesiano*, e quibus pauca per Lipsium innotuere, judicium sustinens. Certius scio de *Hieronymi Berchemii* codice, a Palmerio in spicilegiis saepe laudato, certius etiam de *Memmiano* et caeteris, quos *Johannes Passeratius* vidit, a reliquorum lectione mirifice plerumque dissidentes. Nec majoris facio, quas faeces e pessimis libris *Latinus Latinius* collegit operum volumine II. pag. 57. seqq., quibus longe doctiorem interpolatorem *Hieronymi Commelini* membranae expertae sunt, a Gebhardo accuratius, quam merebantur, collatae. De codice *Jacobi Grasseri*,

ad quem exactum exemplar mihi non visum anno MDCVII. prodiisse commemorant, judicare non possum, nec de *Thuaneo*, e quo Franciscus Guyetus pauca ab Heinsio notis suis inserta exscripsit. Sed nec *Dresdensem* a Friderico Gottlieb Barthio collatum fide et auctoritate ulli alii praestare concedo; neque ullum eorum, quos Heinsius, Broukhusius, Burmannus praeter hos, de quibus dictum jam fuit, excusserunt, ab Italorum audacia multas labes traxisse nego. *Heinsianum* trinominem dico (nam Burmannus et Nicolai Heinsii codicem et suum priorem, Broukhusius Petri Francii primum appellat; nec res prorsus fugit Burmannum, quem vide in praefatione Santenii pag. IV. et ad librum I, 2, 13.), tum *Borrichianum*, porro quatuor Parisinos, duo *Regios*, *Colbertinos* duo, saeculo XV. exaratos, praeter hos *Leidensem alterum*, quatuor *Vossianos*, quorum primo Nicolaus Heinsius usus est, duos item *D'Orvillianos*, *Burmanni alterum* et *Antonii Askewii* et *Harlejanum*; ex quibus omnibus nihil boni fere praeter bonas aliquot Italorum conjecturas in Propertium redundasse memini. De membranis *Venantii Lupacchini* anno MCCCCLX., qui annus et Mureti librum peperit, conscriptis, tum de duobus membranaceis *Gulielmi Vlamingii* (ex illis Santenius ad Propertium et in observationibus, ex his Hemsterhusius et Burmannus pauca indicavere) quid judicandum sit, nescio: *Vallicerianum* autem vel pauca illa, quae Huschkius ex eo annotavit, interpolationum Italicarum arguunt.

Omnes, nisi forte nos unus aut alter fugit, codices, quorum varietas vel integra vel ex parte vulgata esset, enumeravimus, ut, quo pretio singulos aestimandos censerem, constaret: ego quorum fide subnixus Propertii carmina recensere aggressus sim, quibus dif-

fidere, immo nihil credere maluerim, satis quidem ex his apparere existimo. Caeterum cum totum opus hoc modo instituendum putarem, quasi numquam ante me Propertius editus esset, nullamque lectionem ideo, quod in libris impressis exhiberi consuevisset, probandam aut aliis praeferendam censerem, ne vetustis quidem exemplis conferendis multum temporis insumere volui, praesertim cum primos editores multas Pontani aliorumque emendationes in sua exempla transcribendas dedisse librariis, non vero, quod Santenius sibi persuaserat, libros optimos ubique expressisse animadverteram. Quatuor tamen vetera ex hoc genere exempla adhibui, quorum lectiones, ubi necessarium duxi, in annotatione indicare gravatus non sum, unum *Vincentiae* per magistrum Jovannem Renensem et Dionysium Berthochum anno MCCCCLXXXI. impressum, cui praefatur inter alia *Joannes Calphurnius*, gloriari posse non solum emendasse se id opus, quod Venetiis impressum fuisset, (quod fuit omnium primum anno MCCCCLXXII. vulgatum), sed fere totum exscripsisse, ut quemvis deprendere posse collato utroque exemplari; tum alterum solius Propertii (nam illud Catullum quoque et Tibullum cum Statii silvis complectitur), quod *Antonius Volscus* recognovit, impressit Romae fidissime Eucharius Silber anno MCCCCLXXXII. ante idus Januarias; porro Bononiense *Philippi Beroaldi*, quod hujus commentarios anno MCCCCLXXXVI. editos, proxime autem insecuto impressos fert; denique alteram *Volsci* editionem cum commentario, impressum opus Venetiis per magistrum Andream de Paltascichis Catarensem MCCCCLXXXVIII. kl. Februa. Praeterea non neglexi *Domitii Calderini* Veronensis, secretarii apostolici, elucubrationem in quaedam Propertii loca, quae

difficiliora videbantur, ad Franciscum Aragonium Ferdinandi regis Neap. F., cujus primam editionem Romae anno MCCCCLXXV. proditam cum nancisci non potuerim, usus sum exemplo Statii Venetiis impresso per Octavianum Scotum Modoetiensem MCCCCLXXXIII., in cujus extrema parte post ejusdem Domitii commentarios in Sappho Ovidii legebatur.

Sed cum et alibi et melioribus libris in diversa discedentibus, vera ac genuina scriptura ratione tantum et sollerti mentis intentione cognosci possit, quartum hoc mihi, dum Propertii editionem suscipio, officium impositum esse existimavi, ut veritatis aut verisimilitudinis argumenta, quod a prioribus saepe minus accurate factum vidi, non rimarer solum et ponderarem, sed et breviter quidem, luculenter tamen exposita lectoribus traderem. Hoc ergo ita perficere volui, ut, quae manifesta essent et a viris doctis ante nos animadversa, ea indicarem tantum; res notas tritasque longis ambagibus denuo non inculcarem; reliqua vero explicare satis haberem, caeterum illustrare, quod ad interpretis quam ad critici munus potius pertinet, non tentarem; ad alios scriptores autem, ne ab hoc, in quo satis superque agendum erat, animum ad alia delatum sevocarem, numquam facile, qui multorum mos est, excurrerem. Quin ego saepe etiam, rem uno alterove, quod sufficeret aut ad persuadendum aptius esset, argumento confecisse contentus, alia, quae dici poterant, sciens praetermisi, ne omnia cum pulvisculo excutere velle viderer, quod ut saepe utile est, ita, ubi necessarium non est, acutioribus, dum se frustra teneri sentiunt, taedium creare solet.

Quinto, ubi divinando et conjectura agenda res esset, cum cavendum mihi in primis censerem, ne ea,

quae ab aliis egregie excogitata erant, prae meis stulta jactantia contemsisse aut aliena involasse arguerer, aliorum libris diligenter examinatis, horum, quae cum et ipse vidissem, ab aliis occupata inveniebam, mihi nihil, sed singula his, qui primi repererant, tribui; caetera, quae non probanda ducerem, si tamen digna commemoratione essent, publice sub judicium vocavi, rationibus, quibus ea everti putabam, sincere et cum cura explicatis. Caeterum quoties aliquid aut ipse auderem aut in aliorum ausa inquirerem, Huschkius mihi, quo magis caverem, in aurem insusurrabat, in Propertio emendando divam Criticen raro viris doctis propitiam fuisse; quod cum ego, a viro egregio in analectis criticis pag. 44. positum, ipse quoque experiundo verum didicissem, coepissemque ejus rei causas indagare, praeter alias permultas unam maximam et latissime patentem hanc inveni, quod omnes fere, qui in hoc poëta emendando jam a saeculo decimo quinto inde elaborarunt, nimio elegantiae, de qua tamen hominum saepissime diversa judicia sunt, studio abrepti, veritatis curam non raro seposuerunt, si quid modo ad suum sensum facere intellexere, id an verum sit et ab eo, cui tribuunt, auctore profectum, nihil solliciti. Mirum videri queat, sed certum est, Josepho Scaligero, in quo viro eruditio tanta erat, ut elegantiam non curaret, prae ipsa autem eruditione sua interdum id, quod verum est, non videret, tum Johanne Livinejo, cui judicii plus quam ingenii praesto erat, exceptis, omnes fere plerumque non tam veritatis argumenta, quam elegantiae sensum secutos esse, sed suum. Hoc Nicolai Heinsii, hoc Jeremiae Marklandi pulchre exculta ingenia, hoc Janum Broukhusium, hominem judicii subtilitate illis inferiorem, elegantia parem, hoc

ante illos Johannem Jovianum Pontanum cum caeteris Italis, postea Petrum Burmannum plerumque transversos egit; hoc idem studium viros eruditos, sed minime elegantes, Janum Mellerum Palmerium, Johannem Passeratium, Janum Gebhardum, ut omnia quamvis inepta, modo ipsis placerent, conarentur, permovit; itaque factum est, ut infinita, ingeniose partim, alia absurde, sed pleraque otiose et inutiliter excogitata, proderentur; caeterum veritas, quamquam ita saepe in aperto posita esset, ut videre eam viros egregios noluisse quam non potuisse credibilius sit, lateret multis in locis et variis pigmentis obduceretur. Atque haec quidem non eo consilio dixisse videri volumus, ut cuiquam nihil paene palma dignum a prioribus ad hunc poëtam allatum esse persuaderemus, quorum laboribus ita nos adjutos esse grato animo profitemur, ut sine eorum opera nostra nulla futura fuisset; sed ut scires, quid nobis maxima cum cura cavendum duxerimus, neve multa nos virorum optimorum commenta atque inter ea non pauca egregia ne commemorasse quidem demirareris.

At restabat aliud, supra sexto et ultimo loco a nobis enumeratum, in quo si hos, qui nobis anteiverant, superare possemus, operae nos pretium facturos esse existimabamus. Scilicet Josephum Scaligerum, qui primus de sensus cohaerentia in hoc poëta accuratius quaesivit, cum in multis sententiarum ordinem non recte procedere sentiret, nulla librorum scriptorum reverentia, omnia audaci conatu, eventu infeliciore, ita, ut libebat ipsi, pervertisse ac transposuisse satis constat. Sed de his quidem Scaligeri transpositionibus, quamquam eas acceperit Broukhusius, Burmannus autem ulterius propagaverit, jamdudum inter viros do-

ctos conclamatum est: hoc dubium est, an Vulpius eum, qui in codicibus scriptis habetur, versuum ordinem bene semper tuitus sit, et singulorum carminum argumenta sententiarumque connexum recte ubique exposuerit. Hoc ut olim Johanni Schradero persuaderi non potuit, ita neque hodie omnibus, certe optimis, nondum persuasum esse, fidem facit, quod vir praestantissimus, Henricus Carolus Abrahamus Eichstadius, in libello academico Jenae anno MDCCCVI. in publicum prodito, quo nonnulla novo Tibullieditori vel cavenda, vel faciunda disputat, a Propertii editore jure exspectari scribit, ut, desertis Scaligeri transpositionibus, mutilum poëtam et laceratum iu multis, fragmenta potius carminum, quam carmina ipsa, exhibeat. Me vero, quo minus de hujus judicii, quod ei praeter alios Hemsterhusius fere praeiverat, veritate dubitarem, magna viri auctoritas prohibere non potuit, a quo dissensum in re, quae opinione nititur, leniter et consueta humanitate latum iri confido. Nam dissentire me omnibus curiose examinatis profiteor, qui multa a Vulpio non bene explanata agnoscam, cui, quoties non satis faciebat, subveni; multa quoque corrupte ac perverse scripta videam, quibus corrigendis omnem, quam potui, operam impendi; pauca etiam disticha, in locum suum a nobis reducta, ibi, quo in libris scriptis reposita sunt, turbare sensum concedam; aliquot autem carmina, quae male avulsis aut assutis partibus feruntur, his, quae jungenda erant, jungendis, aliis, quae separanda, separandis integra facienda esse putaverim: caeterum lacunam majorem, praeter eas, quae me, ut libros, qui hactenus ferebantur, quatuor in quinque dispescerem, coëgerunt, nullam in toto opere invenire potuerim.

Sed haec quidem passim suis locis in annotatione nostra exposuimus: nunc de hoc ipso, quod modo commemoravimus, auso nostro pluribus agendum est, ut rem, quam nullis codicum scriptorum suffragiis adjutus perficere non erubui, si fieri possit, veram ac necessariam fuisse ostendam, meque audaciae ac temeritatis, qua nihil critico turpius, crimine quam maxime purgem atque exsolvam.

Primum igitur, quod Eichstadii non minus, quam nostrae sententiae favet, Propertii carmina nostro tempore non integra, sed sui parte truncata legi aliorum scriptorum testimoniis evincitur. Nam Fulgentius grammaticus in libello de prisco sermone n. 34. in vocabulo *dividia* hunc sub Propertii nomine pentametrum habet, quem nostra exempla nusquam agnoscunt:

Dividias mentis conficit omnis amor.

Sed eum quidem viri docti Petronio ascribere malunt, quem tamen in versu pentametro hoc vocabulo obsoleto uti potuisse non credo; neque haec ratio, opinor, hujus grammatici auctoritatem penitus subvertit, quod ea, quae in *catillare* n. 22. Propertio tribuit, ab alio auctore profecta esse apparet: *Catillata geris vadimonia, publicum prostibulum.* Aliud Propertii fragmentum Servius exhibet ad Virgilii ecl. V, 21.

— — — — *Testes sunt sidera nobis.*

Idem ad georg. I, 19. *uncique puer monstrator aratri, Alii*, inquit, *Triptolemum, alii Osirim volunt, quod magis verum est, ut dicit* Propertius *vel Tibullus* [I, 7, 29]. *Nam Triptolemus frumenta divisit.* Haec quoque eripere nobis tentant, jure an injuria non facile dicam, priora verba referentes ad illa II, 10, 41.

Sidera sunt testes *et matutina pruina,*

in altero loco haec verba *vel Tibullus* tribuentes corre-

cturo errorem, qui Propertio commemorando commissus fuerit. Sed certe non omnia nostri poëtae scripta superesse locupletem testem habemus Ovidium, qui tristium II, 461. de Tibullo ita loquitur:

Multaque dat talis furti praecepta, docetque,
Qua nuptae possint fallere ab arte viros:
Nec fuit hoc illi fraudi, legiturque Tibullus,
Et placet, et jam te principe notus erat.

Tum subjicit de Propertio:

Invenies eadem blandi praecepta Properti:
Districtus minima nec tamen ille nota est.

Ubinam, quaeso, inveniemus, cum ejusmodi praecepta nulla hodie in Propertii carminibus legantur?

Jam vero, si veteres scriptores ea a Propertio scripta commemorant, quae in his, quae exstant, carminibus non camparent, mirabile esse non potest aliquot lacunas in illis carminibus interrupto sententiarum filo passim se prodere. At cum nos in notis nostris nihil usquam, nisi in libri secundi priore parte, quae tota lacera ad nos pervenit, periisse docuerimus, nihil superest, nisi ut quaeramus, si forte indicio aliquo intelligi possit, quantam Propertii carminum partem illae, quae in libro secundo sunt, lacunae haurire potuerint. Id vero qui ostendat, unus locus est, qui cum adhuc interpretibus fuerit difficillimus, omnem hanc rem insperata luce ita perfundit, ut ipse rursus ab eadem re lucem sibi debitam accipiat. Scilicet in libro secundo [nunc III, 5, 25] duo versus legimus, quos non ad secundum, sed ad tertium librum pertinere ipsa eorum sententia arguit:

Sat mea sat magna est, si tres sint pompa libelli,
Quos ego Persephonae maxima dona feram.

Cautior caeteris hic Josephus Scaliger, *Nescio quomodo*, inquit, *jubet tres libellos sibi πομπεύειν, quos nondum*

scripserat, ut qui ne secundum quidem dimidium confecerit. Broukhusio ista videntur *huc esse tracta ex libro tertio.* Burmannus locum in libro tertio, in quo reponat, quaerit. Leviore etiam conjectura Nicolaus Heinsius in notis Propertianis pag. 689. *Forte*, inquit,

Magna satis duo tresve mei *sint pompa libelli.*

Vulpius non Propertii, sed Mimnermi, Callimachi et Philetae libellos intelligit, cui commento quantumvis inepto Burmannus, ut est levis et mutabilis, et ipsi assentitur. Fridericus Gottl. Barthius in vita Propertii pag. LXXXIII. *si quis ex se quaerat, cur haec libro secundo legantur, nec demum tertio, facilem esse responsionem* dicit, *quoniam nimirum neque Propertius neque Horatius carmina sua ordine chronologico composita ediderint, sed ille promiscue conjecerit in illos duos libros* (secundum ac tertium intelligit), *quicquid elegiarum ad manus esset, sicuti Horatius odas libri I et II, uno tempore conjunctim editi, promiscue ordinaverit.* Damus hoc: sed absurde tamen egit poëta, si hoc carmen, in quo trium librorum mentio injicitur, nulla quidem necessitate cogente, secundo inseruit. Hoccine igitur, an potius hoc carmen olim in libro tertio lectum fuisse, postea autem, cum secundi magna pars intercidisset, hos duo libros pro uno habitos esse existimabimus? Accedit, quod unum est inter illa fragmenta, quod cum locum, cui debetur, argumento suo clare indicet, conjecturam nostram nova confirmatione in tuto collocat. Nempe hi versus, *Sed tempus lustrare* etc. [nunc III, 1], quibus puellam suam jam satis sibi scriptam narrat, res ab Augusto gestas celebraturum promittens, quem, ut adhuc parva sacra benigne accipere velit, rogat, — hi versus, inquam, alibi, quam in capite libri Augusto dedicati, poni non

potuerunt. Quid dubitamus igitur, quin liber tertius ab eo carmine, cujus haec particula superest, initium cepisse, sequentes autem libri, qui adhuc pro tertio quartoque habiti sunt, quartus quintusque numerari debuerint?

His ita positis cum magnam partem eorum, quae Barthius de tempore editionis librorum Propertii, vanis hariolationibus magis, quam certis rationum argumentis confisus, disputavit, everti appareat, de hac re visum est ea, quae omnia huc pertinentia anquirendo reperi, nonnullis de vita Propertii, quae parum explorata viris doctis esse animadverti, adjectis, curiose ac diligenter exponere. Primum igitur (nam hinc ordiendum est) Propertius ipse sibi testis est Cynthiam per quinque annos fideliter amavisse IV, 24, 23.

Quinque tibi potui servire fideliter annos.

Hoc cum vidisset Barthius, hunc amorem fidenter anno urbis conditae Varroniano DCCXXIII. et quatuor hunc insecutis assignavit, conjectura ductus, quam rei explicandae non idoneam alius locus ostendit IV, 15, 9.

Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum,

qui versus isti calculo omnem fidem, fundamenta omnia demit. Quomodo enim Propertium illo anno, per quem pulsus fuit, Cynthiae serviisse censebimus? Quod si illud discidium forte post annum DCCXXVIII, quo Barthius amorem desiisse vult, factum esse putes, in primo libri primi, quem anno DCCXXIV editum ponit, carmine illius mentio facta est:

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.
Tum mihi constantis dejecit lumina fastus
Et caput inpositis pressit Amor pedibus,

Donec me docuit castas odisse puellas
Improbus, et nullo vivere consilio.
Et mihi jam toto furor hic non deficit anno,
Cum tamen adversos cogor habere deos.

Interpretes quidem ibi nescio quid de Musis et Gratiis somniant, alii Cynthiam libidinosam et prostituti pudoris mulierem dici opinantur: tu ne dubita, quin poëta se, Cynthia et castis puellis relictis, (hoc erat illud: *Peccaram et totum sum pulsus in annum*), jam per totum annum viles quaerere et sine consilio queratur vivere, adversa tamen Venere et Cynthiae desertae memoria animum assidue subeunte. Hunc verum sensum esse certius fit ex his ejusdem carminis versibus:

Hoc, moneo, vitate malum. sua quemque moretur
Cura, neque assueto mutet amore locum.

Jam igitur, quando illud Cynthiae Propertioque discidium venerit, facile constaret, si modo de anno DCCXXIV, cui Barthius libri primi editionem tribuit, certa res esset, neque in hoc quoque conjectorem ratio fefellisset. Nobis hoc, nulla amplius ejus errorum mentione facta, exquirere placet.

Illud frigus illasque inimicitias ante medium annum DCCXXVI finem habuisse, ex elegia VII. libri secundi colligimus, in quo carmine circa illa tempora scripto omnia jam composita esse cernimus. Hoc carmen autem post editum librum primum, in quo illud infortunium commemorari vidimus, factum esse hi versus ostendunt, in quibus, *Hinc*, inquit, nempe a Cynthiae laudibus,

Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
Gloria ad extremos lata Borysthenidas.

Porro uno mense post librum primum editum pacem factam tumque secundum scribi coeptum narrat II, 2, 1.

Liber eram et vacuo meditabar vivere lecto:
At me composita pace fefellit Amor.

et eleg. 5, 1.

Qui nullam tibi dicebas jam posse nocere,
Haesisti; cecidit spiritus ille tuus.
Vix unum potes infelix requiescere mensem,
Et turpis de te jam liber alter erit.

Viden? Liber erat, nullam sibi nocere posse jactabat (et sane libri primi prooemio amori valedicebat): vix unum mensem duraverat, cum pace facta denuo falleretur et sese Cynthiae servitio dederet. *Compositam* enim *pacem* qui confictam, simulatam, fallacem interpretantur eo argumento, quod *causas* et *fraudes* et *insidias componi* dicimus, sermoni vim faciunt, cum pax integrato amore cum Cynthia facta intelligenda sit. Livius II, 13. *His conditionibus* composita pace *exercitum ab Janiculo deduxit Porsena et agro Romano excessit.* Virgilius Aen. VII, 339.

Disjice conpositam pacem, *sere crimina belli.*

Jam vero haec sub initium anni DCCXXVI acta esse inde apparet, quod Cynthiae amorem ultra annum DCCXXX vel XXXI protractum non esse aliunde compertum habemus. Eum etiamtum viguisse ex III, 25, 19. manifestum est:

Num jam, dura, paras Phrygias nunc ire per undas,
Et petere Hyrcani *litora nota maris?*

quae ad bellum, quod Augustus tum Parthis inferre meditabatur, quodque Romani latius extentum iri sibi persuadebant, pertinere Virgilius fidem facit Aen. VII, 606.

Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum
Hyrcanisve *Arabisve parant, seu tendere ad Indos*
Auroramque sequi Parthosque reposcere signa.

Paullo autem post abiisse amorem illum ex libri tertii

elegia prima, ubi satis scriptam a se puellam suam dicit, apparet. Cum igitur quinque annos numerat, eos, qui illud discidium praecesserant, omittit, horum tantum, per quos fideliter se et constanter Cynthiae serviisse scribit, ratione habita. Hoc igitur constat, illum annum, per quem rejectus fuit, esse ab urbe condita DCCXXV. Quot vero annis ante jam amaverit Cynthiam, ex alio loco eruimus IV, 14., ubi ante Cynthiam se sub primam adolescentiam Lycinna quadam arsisse confitetur:

Ut mihi praetextae pudor est velatus amictu,
Et data libertas noscere amoris iter,
Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit heu nullis capta Lycinna datis.

Jam tu mihi sequentia considera:

Tertius, haud multo minus est, cum ducitur annus,
Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor, nec femina post te
Ulla dedit collo dulcia vincla meo.

Haec certe post illum annum, quo pulsus fuit, scribere non auderet, sed aut ante inimicitias, aut, quod credere malo, cum inciperent. Hinc igitur constat, si non diutius, certe biennio ferme post excussam Lycinnam Propertium, antequam rejiceretur, cum Cynthia vixisse. Hoc autem biennium complectetur annos ab urbe condita DCCXXIII et DCCXXIV. Tum ante hos si Lycinnae amori unum ferme annum dederimus, eumdemque Propertii aetatis sextum et decimum, quo ineunte togam virilem tum sumi solitam viri docti statuunt, reputaverimus, natales ejus in annum quasi DCCVI aut DCCVII incident, quae ratio Ovidio optime concinit, qui se natum anno DCCXI. sodali Propertio usum narrat tristium IV, 10, 45.

Saepe suos solitus recitare Propertius ignes,
Jure sodalitii qui mihi junctus erat.

His fundamentis jactis, jam paullo certius, quo tempore singuli libri editi fuerint, dicere videmur posse. Et primum quidem liquidum est, anno DCCXXV vergente vel certe XXVI ineunte librum primum in publicum prodiisse; tum enim, quod ex supra dictis patet, prooemium exaratum est. Secundum uno mense post, quod supra ostendimus, coeptum quando ediderit, nescio, nisi una cum tertio evulgatum suspicor. Libro tertio 16, 1.

Tu loqueris, cum sis jam noto *fabula* libro,
Et tua sit toto Cynthia lecta foro?

Noto libro dicit, non *libris*, ut unum modo editum significare videatur. Sed nisi id carmen jam ante, quam liber secundus publici juris fieret, compositum est, potuit totum hoc Propertii opus *Cynthiae* inscriptum nomine unus *liber* dici; vide nos ad III, 5, 26. Librum tertium anno DCCXXX vel XXXI editum esse prooemium eo tempore scriptum testatur. Hoc Barthius quoque viderat, cui ne in hoc quidem repugno, quod tertium quartumque simul editos contendit. Nullum enim in neutro carmen legitur anno DCCXXXI posterius; illum ipsum annum certo sibi vindicat unum libri quarti, XVII; in utroque Cynthiae amorem valere jubet: in tertio 1, 8.

Bella canam, quando scripta puella mea est.
Nunc volo subducto gravior procedere vultu,
Nunc aliam citharam me mea Musa docet.

in quarto 24, 15.

Ecce coronatae portum tetigere carinae,
Trajectae Syrtes, ancora jacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus aestu,
Vulneraque ad sanum nunc coïere mea.

Sed de libro quinto quam concepit sententiam Barthius, cum ab ipso Propertio editum non esse, hanc nos in annotatione nostra novis nec contemnendis argumentis confirmavimus. Carminum, quae complectitur, nullum post annum DCCXXXIX. scriptum esse videri idem Barthius rationibus allatis ostendit. Sed jam tu, his nugis omissis, Propertium ipsum, quam nostra et aliorum commentaria, diligentius lege; quod si paullo minore cum difficultate atque etiam jucundius nunc facere poteris, operae pretium me fecisse existimabo. Tu interim ne obliviscare viro optimo, Godofredo Henrico Schaefero, qui ne hic liber vitiis typographicis oneraretur magna cum cura providit, maximam gratiam meo tuoque nomine referre. Nam eum hic a me laudari neque opus est, cum ejus nomen in omnium ore sit; nec decet, quia ipse, ne hae laudes a typographis aliqua macula aspergantur, cavere debet; nec mihi otium suppetit, cui eo festinandum est, quo hoc tempore viros omnes, quorum apta armis aetas est, pio ac forti animo properare decet. Scribebam Gottingae, a. d. XXV. mensis Maji MDCCCXV.

SEX. AURELII
PROPERTII
CYNTHIA
MONOBIBLOS.

SEX. AURELII

PROPERTII

ELEGIARUM

LIBER PRIMUS.

I.

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.

V. 2. Cupidinibus.

ANNOTATIO IN LIBRUM PRIMUM.

I.

2. ANTE CUPIDINIBUS] Nihil in operis limine boni librarii, at aliquid post eos critici peccarunt, prima littera caeteris elatiore *Cupidinibus* scribendo. Multa quidem loca de Amore deo et animi motu simul intelligi magna poëtarum promiscue de his loquentium audacia postulat. At nostrum versum ad deos Cupidines non pertinere sequentia ostendunt. Nam nimis ineptum est, captum a puella, quem ante *Cupidines* nulli petiverint, tum ab uno ex ea turba *Amore* perdomitum narrari. Aut eumdem, cui tum servire cogebatur, Amorem pepercisse sibi, aut horum levium deorum omissa mentione se debuit dicere

Contactum nullis ante cupidinibus.

Hoc si verum est, patet etiam, non vulneratum hic significare *contactum*, sed tentatum ac temeratum amore; frustraque huc applicari illud *Τόν με Πόθοις ἄτρωτον* ex Meleagri epigrammate XXXVII., cujus caetera sententia huic loco persimilis est; et ex hoc ipso poëta, libro III, 31, 60.

Quem tetigit jactu certus ad ossa deus.

Nec sane, ut se aut Meleagrum

Tum mihi constantis dejecit lumina fastus
Et caput inpositis pressit Amor pedibus,
Donec me docuit castas odisse puellas
Inprobus et nullo vivere consilio.
Et mihi jam toto furor hic non deficit anno,
Cum tamen adversos cogor habere deos.
Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores
Saevitiam durae contudit Iasidos.
Nam modo Partheniis amens errabat in antris,
Ibat et hirsutas ille videre feras.

V. 12. ferire.

imitatus sit, necessarium est. Nobiscum praeter rem ipsam Ovidius facit metamorph. IX, 482.

Gaudia quanta tuli! quam me *manifesta* libido
Contigit! *ut jacui totis resoluta medullis!*

12. ILLE FERIRE FERAS] *Ferire* pro *Videre* scribendum esse Nicolao Heinsio Broukhusius et Burmannus crediderunt; quam emendationem vel ipsa asperitas soni *Ferire feras* improbabilem facit. Nam quae placent in hoc genere, *Mereris erit*, *Amore mori*, *In amore moras*, *Amore fore*, *Voce vocantem*, *Parere parabat*, *Arentes arenas*, non repetitam insuaviter eamdem vocalem habent, sed diversas. Caeterum codicum omnium scripturam,

Ibat et hirsutas ille VIDERE *feras;*

exemplis allatis Vulpius, sed aptioribus tuetur Marklandus apud Burmannum, nihilominus nescio quas elegantias veritati temere praeferentem. *Videre* pro adire, experiri, dixerunt frequenter, ut Ovidius metam. XIV, 126.

quae me loca mortis adire,
Quae loca me visae *voluisti evadere mortis.*

Apollonius Rhodius I, 174.

μέγα δ' ἵετο Κολχίδα γαῖαν
Αὐτόν τ' Αἰήτην ἰδέειν σημάντορα Κόλχων.

asseclam nactus Manilium libro V, 44.

totumque volet tranare profundum
Puppibus, atque alios menses aliumque videre
Phasin, *et in cautes Tiphyn superare trementem.*

ubi male Bentlejum *atque alios Minyas* reposuisse patet: *alios menses* Valerius Flaccus vindicat VI, 324.

Tu, qui faciles hominumque putasti
Has, Argive, domos, alium *hic miser* aspicis annum,
Altricemque nivem, festinaque taedia vitae.

Ille etiam Hylaei percussus vulnere rami
Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.

Porro apud Virgilium georg. II, 501.

nec ferrea jura
Insanumque forum aut populi tabularia vidit,

Vidit, expertus est interpretatur Philargyrius; nec Burmannum latuit pauca sed bona afferentem ad Ovidii hoc trist. V, 5, 51.

Si nihil infesti tristis vidisset *Ulixes.*

cui nihil similius eo, quod apud Lygdamum est (Tibull. III.) eleg. IV, 82.

Ah ego ne possim tanta videre mala!

Sed huic propius Callimacheum epigr. XXIV.

Ἄξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτε κακόν, ἀλλὰ Πλάτωνος
Ἕν, τὸ περὶ ψυχῆς, γράμμ' ἀναλεξάμενος.

in quo causae nihil est, cur alteram scripturam *Ἄξιον οὔτε παθὼν* praeferre velimus.

13. HYLAEI PERCUSSUS VULNERE RAMI] Corrector Italus in codice Vaticano apud Livinejum *percussus ab arbore:* voluit, puto, *ab arbore ramo* (non enim *arbore teli*; Burmanni ita afferentis error est), ex Ovidio art. amat. II, 179., ubi ad hanc ipsam Milanionis historiam tendit:

Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus.

Porro est, qui e Passeratii libro et e Dresdensi arripiat lectionem nec Heinsio et Broukhusio spretam *perculsus pondere rami.* Bene habet sane *pondere rami.* Silius V, 244.

Et quatiens acer nodosi pondera rami.

Lucretius V, 966.

Missilibus saxis et magno pondere clavae.

Sed omnia ista Italorum commenta audacia est. Utrumque, quod in vulgari optimorum librorum scriptura offendebat, *vulnere percuti*, et *vulnus rami*, id est, ramo inflictum, uno eodemque loco tuetur Cicero Academ. I, 3, 11. *Nunc vero et* Fortunae *gravissimo* percussus vulnere, *et administratione rei p. liberatus, doloris medicinam a philosophia peto.* De *vulneris* vocabulo ita usurpato ante alios Gellius annotavit N. A. IX, 12. Nostro proximum exemplum Silius praebet loco praedicto versu 251.

Ac simul infesto Lateranum vulnere truncae
Arboris *urguebat.*

In his igitur sequamur meliores libros: gratia habenda Italis est de nominibus *Hylaei* hic et *Milanionis* versu 9. feliciter restitutis: illum *Psillum* vel *Psilum*, hunc *Minaliona* fecerant, qui minime corruperant, librarii. Primus, ni fallor, Antonius Volscus anno MCCCCLXXXII *Hilaei* edidit; *Hylei* in quibusdam codicibus legi quadriennio post Philippus Beroaldus narravit, exemplaria editionis Volsci

Ergo velocem potuit domuisse puellam?
  Tantum in amore preces et benefacta valent?
In me tardus Amor non ullas cogitat artis,
  Nec meminit notas, ut prius, ire vias.
At vos, deductae quibus est fallacia lunae,
  Et labor in magicis sacra piare focis,
En agedum dominae mentem convertite nostrae,
  Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis, et sidera et amnes
  Posse Cytaeaeis ducere carminibus.
Aut vos, qui sero labsum revocatis, amici,
  Quaerite non sani pectoris auxilia.
Fortiter et ferrum, saevos patiemur et ignis:
  Sit modo libertas quae velit ira loqui.
Ferte per extremas gentis et ferte per undas,
  Qua non ulla meum femina norit iter.

V. 15. puellam. 16. valent. 25. Et, 28. volet.

fortasse indicans; tum anno MDXXVIII Antonius Perrejus ita legendum monuit. Nec Guyetus laude careat, cui forma *Cytaeaeis* ex aliis vitiosis eruta debetur in hoc disticho (23. 24.):

Tunc ego crediderim vobis, *et sidera et amnes*
Posse Cytaeaeis *ducere carminibus.*

in quo *Nosse* ex Heinsii libro praeferentes A. Sabini *Posse* vindicantis non meminerunt epist. I, 39.

Utraque se nobis mortalia demere fila
Spondebat, Stygias utraque posse *vias.*

nec *vobis* ut male positum incusare decebat eos, qui probarent *mihi* eleg. IV, 1.

Quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
Mutatum domina cogis *abire mea?*

Ibi *me cogis* ex *mihi*, e *vobis* hic *vos posse* intelligitur.

25. ET VOS] *At vos* habet Groninganus et excerpta Scaligeri: caeteri omnes *Et.* Neutrum verum esse, sed AUT *vos* scripsisse Propertium tam liquidis rationibus Hemsterhusius ostendit, ut nec dubitari possit, neque nobis quicquam dicendum relictum sit. Lege tamen quae de universa carminis sententia in praefatione moneo.

28. QUAE VOLET IRA] Non multum interest, revoca tamen immerito rejectam librorum tantum non omnium scriptu-

Vos remanete, quibus facili deus adnuit aure,
Sitis et in tuto semper amore pares.

V. 31. ore.

ram *Quae* VELIT *ira*. Solus Gebhardus *Volet* in codice Palatino reperit, de quo dixit ad Tibulli librum III, 5, 32., non ad librum IV., ut hic narrat.

31. FACILI DEUS ADNUIT ORE] Scripti omnes habent *Facili aure*, nisi quod Heinsio *Ore* reponenti Commelinianus apud Gebhardum, D'Orvillianus secundus et excerpta Scaligeri astipulantur, mali quidem libri, sed nulla fere in talibus codicum auctoritas est. Sic ubique *luminis* et *aëris auras*, dissentientibus quamvis saepe libris, non *oras* scribimus, quia *aëris auras* Lucretium libro I, 208. 801. 1086. dedisse certum est. Apud Statium Theb. XII, 222. omnes:

Vadit atrox visu, nec corde
nec aure pavescens.

Tamen et falsum ibi *aure* esse et *ore* legi debere Valerius Flaccus docet libro IV, 664.

Terrificique ruunt tonitrus, elisaque noctem
Lux dirimit; pavor ora *virûm*, pavor *occupat* aures.

Scilicet *aure pavent*, quorum aures cum terrore sonitus feriit. At *pavemus ore*, cum

timor *informem ducit in* ore *notam*.

ut Propertius loquitur libro I, 5, 16. Idem Flaccus V, 374.

Regina, attonito quamquam
pavor ore *silentem*
Exanimet, mirata tamen.

Sallustius in Jugurth. CVI. *Post, ubi castra locata et diei vesper erat, repente Maurus* incerto vultu pavens *ad Sullam accurrit*. Silius IX, 58.

At Paullus, jam non idem
nec mente nec ore.

quod illi Statiano, ut correximus, geminum est: ex prius dictis alii ejusdem Thebaidis carmini lux, quod male intelligunt I, 366.

Ille tamen modo saxa jugis fugientia ruptis
Miratus, *modo nubigenas e montibus amnes*
Aure pavens, *passimque insano turbine raptas*
Pastorum pecorumque domos, non segnius, amens,
Incertusque viae, per nigra silentia vastum
Haurit iter.

Sic enim scribe, *Miratus*, non *Miratur*, quia cohaerent ista. *Tamen non segnius haurit iter:* Aure pavebat ille amnium e montibus fugientium fragorem. Similiter Valerius Flaccus II, 43.

Ac velut ignota captus regione viarum,
Noctivagum qui carpit iter, non aure quiescit,
Non oculis.

Sed haec obiter. Apud Propertium utrumque bene habet, *facili ore annuit* et *facili aure*. In epicedio Drusi v. 260. habes *faciles vultus:*

In me nostra Venus noctis exercet amaras,
  Et nullo vacuus tempore defit amor.
Hoc, moneo, vitate malum. sua quemque moretur
  Cura, neque adsueto mutet amore locum.
Quod si quis monitis tardas adverterit aures,
  Heu referet quanto verba dolore mea!

II.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo,
  Et tenuis Coa veste movere sinus?
Aut quid Orontea crinis perfundere murra,
  Teque peregrinis vendere muneribus,
Naturaeque decus mercato perdere cultu,
  Nec sinere in propriis membra nitere bonis?

V. 5. prodere.

Uritur heu decor ille viri, generosaque forma,
Et faciles vultus, *uritur ille vigor.*

Martialis II, 24. ab Heinsio allatus:

Mecum eris ergo miser: quod si deus ore sereno
Annuerit, *felix*, *Candide*, *solus eris.*

Contra *bonas aures* dicit noster III, 3, 15.

Quae si forte bonas *ad pacem verterit* aures,
Possum inimicitias tunc ego ferre Jovis.

et Jovem *facilem*, qui praebet *aurem*, Horatius sermon. I, 1, 21.

nec se fore posthac
Tam facilem *dicat*, *votisque praebeat* aurem.

Sed aliquanto suavius est hoc concise dictum *facili aure annuit*, pro eo, quod auctor panegyrici ad Messalam (nam Tibulli opus esse nondum persuadeor) odiosa garrulitate diluit v. 132.

Juppiter ipse levi vectus per inania curru
Adfuit, *et caelo vicinum liquit Olympum*,
Intentaque tuis precibus se praebuit aure,
*Cunctaque veraci capite an*nuit.

Et haec quidem ratio, ut librorum meliorum scriptura praeferenda sit, efficit:

Vos remanete, *quibus facili deus annuit* AURE.

neque aliud fuit magni Hemsterhusii, rectius de omnibus, quam editores Propertii, statuentis, judicium.

II.

5. PRODERE CULTU] Supervacanea Burmanni correctio,

Crede mihi, non ulla tuae est medicina figurae:
  Nudus Amor formae non amat artificem.
Aspice, quos summittit humus formosa colores,
  Ut veniant hederae sponte sua melius,

V. 9. quot submittat. 10. Et.

ipso, ni fallor, invito recepta, cum omnes ante eum recte edidissent *Mercato* PERDERE *cultu*.

8. NUDUS AMOR FORMAE NON AMAT ARTIFICEM] Nicolaus Heinsius viris doctis, non *Formae*, sed *Formam artificem* legendum esse persuasit, Flacci Valerii loco tueri aggressus libri VI, 465.

Da, precor, artificis *blanda aspiramina* formae,
Ornatusque tuos terra caeloque potentes.

At ibi Juno *formam artificem*, hoc est, arte factam quaerit, venturam sibi per nobile illud cingulum Veneris. Cynthia vero, quae vel inornata capiebat Propertium, forma cultu facienda non egebat, sed erat *formae* suae *artifex*, arte curans, emendans, adjuvans formam. Nam rei alicujus *artificem* saepe dicunt, non qui rem facit, sed qui artem adhibet rei et arte adjuvat. Ita libro II, 1, 58.

Solus amor morbi *non amat* artificem.

Ovidius libro artis I, 655.

Justus uterque fuit; neque enim lex aequior ulla est,
Quam necis artifices *arte perire sua.*

Idem metamorph. XIII, 551.

Vadit ad artificem *dirae Polymestora caedis.*

Sallustius Iugurth. XXXV. *Bomilcar mature regis mandata exsequitur, et per homines talis* negotii artifices *itinera egressusque eius, postremo loca atque tempora cuncta explorat.*

9. ADSPICE, QUOT SUBMITTAT HUMUS FORMOSA COLORES] Plura hic videnda sunt, parum accurate hactenus quaesita. Primum *Quot* ab Heinsio est; quamquam et Volscus anno MCCCCLXXXVIII, id jam expressit; *Quod* habent pauci Italici; rectius in scriptis melioribus QUOS *colores*; nam de qualitate hic, non de copia agitur. Id perspexit Vulpius. Porro *Summittat* habent boni libri, Neapolitanus, duo apud Vulpium, Palatinorum alter. *Summittit* itidem perboni, Groninganus et alter Palatinus: hoc Beroaldus, illud Volscus praeoptavit. Utraque bona constructio est; Burmanno enim, semper fere apud veteres post *Aspice* coniunctivum sequi affirmanti ne credas, Virgilium vide ecl. IV, 52. et quos ibi laudat Heynius. Sed et neutram Propertius ignorat; en exempla:

Aspice *me quanto* rapiat *Fortuna periclo:*
Aspice, *uti caelo modo sol modo luna* ministret.

Aspice, *ut in toto nullus mihi corpore* surgat *Spiritus.*
Aspice *me* —
Ut regnem *mixtas inter convivas puellas.*
Aspice, *quam saevas* increpat *unda minas.*

Quin et in uno disticho utraque utitur III, 7, 29.

Aspice, *quid donis Eriphyle* invenit *amaris,*
Arserit *et quantis nupta Creusa malis.*

qui locus ut tentari non debuit, ita quid in nostro verum sit docet. Nam hic poëta, ubi plures indicativos aut conjunctivos ponere poterat, variata potius structura orationem distinguere amat. Libro II, 1, 51.

Seu *mihi* sunt *tangenda novercae pocula Phaedrae,*
Pocula privigno non nocitura suo,
Seu *mihi Circaeo pereundum* est *gramine*, sive
Colchis Iolciacis urat *ahena focis.*

Libro III, 26, 7.

Ut *Semela* est *combustus,* ut est *deperditus Io,*
Denique ut *ad Troiae tecta* volarit *avis.*

Eleg. 28, 35.

Quamvis Ida Parim pastorem dicat *amasse*, —
Hoc et *Hamadryadum* spectavit *turba sororum.*

Eleg. 31, 33.

Nam cursus licet Aetoli referas Acheloi,
Fluxerit ut *magno fractus amore liquor,*
Atque *etiam* ut *Phrygio fallax Maeandria campo*
Errat et *ipsa suas* decipit *unda vias,*
Qualis et *Adrasti* fuerit *vocalis Arion,*
Tristia ad Archemori funera victor equus.

Libro V, 4, 9.

Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
Cum quateret *lento murmure saxa Jovis,*
Atque, *ubi nunc terris dicuntur jura subactis,*
Stabant *Romano pila Sabina foro?*

Eleg. 6, 47.

Nec te, quod *classis centenis* remiget *alis,*
Terreat: invito labitur illa mari;
Quodque vehunt *prorae Centaurica saxa minantes:*
Tigna cava et pictos experiere metus.

In primis libr. IV, 4, 26—46. considera, ubi perpetuus est in hac structurae variatione. Ad ista exempla igitur hic quoque non *Summittat* scribendum est, sed

Aspice, quos SUMMITTIT *humus formosa colores,*

quia *veniant* et *surgat* et *sciat* sequuntur. Illud vero mirum est, hic, ubi naturam confert arti, *summittit* nude poni, cum et coacta arte humus summittat flores. Sed nempe *sponte sua* e proximo versu huc arcessi debet; compendium tale orationis fecit Propertius, qualium exempla multa Gronovius dedit ad Statii Theb. I, 112. et Observation. IV, 4. Nam aliam quam *formosam humum* hic

Surgat et in solis formosius arbutus antris,
  Et sciat indociles currere lympha vias.
Litora nativis conlucent picta lapillis,
  Et volucres nulla dulcius arte canunt.

V. 13. nativos per se dent picta lapillos. 14. canant.

nolim, quae καλή est, *daedala tellus* Lucretio; quamquam Heinsio *nemorosa* placuit, *non vorsa* Wakefieldio ad Lucretium II, 673., non animadvertentibus, prata quam nemora potius amoena florum commendari varietate, terram autem aratro versam non pauciores deterioresve, quam non versam, flores proferre, sed nullos, neque id agi hic, ut evanescere ac perire arte, quae natura bona sint, doceatur, sed arte minus bene quam natura habere.

10. ET VENIANT] Perspicuum est, vacillantem constructionem adjuvari oportere rubricatoris errore corrigendo ita: UT *veniant hederae.* Id vidit ante alios Italus corrector in Achillis Statii codice, hactenus male sedulus, quod et in sequentibus *Surgat ut* et *Ut sciat* contra Propertii morem reposuit. Recte Venetiis anno MD. *Ut veniant* expressum est, in sequentibus relicta particula copulativa.

11. SURGAT ET IN SOLIS FORMOSIUS ARBUTUS ANTRIS] Vocabulum *formosius*, quia *humus formosa* praecessit, impugnatum a criticis, Hemsterhusius, negligentiam huic et aliis poëtis familiarem interponens, tuetur: sed non persuadet. Nam ubi multa, ut hic fit, enumerantur, repetitio, quia legentem minus fallit, plus offensionis habet. Quare huc e proximo disticho id vocabulum irrepsisse ut credam, adducor facile: Heinsio et Bentlejo, *pomosior*, *frondosior*, *animosior* substituentibus non item assentior, quia *formosior* in nullo codice lectum esse videtur; certe de Neapolitano id falsum est, in quo et ipso *formosius* exstat, nota litterarum *us* paullo hic, quam alibi, figurae litterae *o* propiori. Verius fortasse sit:

Surgat et in solis felicius *arbutus antris.*

Sed in re natura sua dubia et incerta nihil affirmari praestiterit.

13. LITORA NATIVOS PER SE DENT PICTA LAPILLOS, ET VOLUCRES NULLA DULCIUS ARTE CANANT] Haec sunt ab ingeniosa, sed audaci Jos. Scaligeri emendatione; in quibus hoc tantum displicet, quod *nativos* et *per se dent* otiose copulata sunt, Cynthia vero avium cantum jubetur aspicere. At in libris scriptis alia omnia: *Canunt* habent cuncti, Heinsiano et altero D'Orvilliano, deterrimis codicibus, exceptis;

Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe,
Pollucem cultu non Hilaira soror;
Non, Idae et cupido quondam discordia Phoebo,
Eueni patriis filia litoribus;
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Avecta externis Hippodamia rotis:
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis est color in tabulis;
Non illis studium volgo conquirere amantis;
Illis ampla satis forma pudicitia.

tum majorem versum duobus maxime modis scriptum sistunt:

Litora nativis persuadent *picta* lapillis.

Litora nativis collucent *picta* lapillis.

Nam caetera, *Perfundent* et *Persudent*, sive a correctoribus sive ab errore venerunt, non plus probabilitatis habent, quam reliqua, quae correctoribus deberi scimus, commenta febriculosa, *Pellucent*, *Perrident*, *Placeant ut*, *Rident ut*. Jam ego, unde illa scriptura *Persuadent* venerit, non sane exputo: Propertium contendo scripsisse:

Litora NATIVIS CONLUCENT *picta* LAPILLIS,
Et volucres nulla dulcius arte CANUNT.

Ita omnium optimae membranae Groninganae, ita non minus sincerae Palatinae, praeterea libri minoris auctoritatis sex. Sic Ovidius fastor. V, 363.

Vel quia purpureis collucent floribus agri,

quem locum Marklandus attulit. Virgilius Aen. X, 539.

Totus conlucens veste *atque insignibus* armis.

Ovidius metam. II, 24.

In solio Phoebus claris lucente smaragdis.

At oratio, inquit, non effugiet notam; nam exemplis versui 9. appositis effectum non est, ut haec variatio ferenda sit: *Aspice quos summittit*, *Ut veniant*, *Surgat et*, *Et sciat*, *Litora* collucent, *Et volucres canunt*. In illis enim aut comparatio repetebatur, aut jungebantur particulâ propositiones, aut utrumque: quorum nihil fit in *Litora collucent*. Sed bono animo: interpungendo ante haec *Litora nativis* orationem lucrabimur ita prorsus structam, ut Virgilius struxit Aeneid. X, 20.

Cernis, ut insultent *Rutuli*, *Turnusque* feratur
Per medios insignis equis, tumidusque secundo
Marte ruat. *non clausa* tegunt *jam moenia Teucros*.

Non ego nunc vereor, ne sim tibi vilior istis:
  Uni si qua placet, culta puella sat est;
Cum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet,
  Aoniamque libens Calliopea lyram,
Unica nec desit jucundis gratia verbis,
  Omnia quaeque Venus quaeque Minerva probat.
His tu semper eris nostrae gratissima vitae,
  Taedia dum miserae sint tibi luxuriae.

V. 25. sis mihi.

25. NON EGO NUNC VEREOR, NE SIS MIHI VILIOR ISTIS] Idem quod Scaligero, paullo plus saeculo ante doctis Italis in mentem venit; nam *Sis mihi* e Memmiano et Vaticano primo enotatur. Nec reprehendo, nisi quod *Non vereor* minus aptum est, pro quo *Ne verere* positum voluissem; neque *Istis* de heroinis recte dicitur, cum praecesserit *Illis,*

Illis *ampla satis forma, pudicitia.*

At vero caeteri, quotquot sunt, libri aliud exhibent, quod qui recte ceperit verum esse intelliget:

Non ego nunc vereor, ne SIM TIBI *vilior istis.*
Uni si qua placet, culta puella sat est,
Cum tibi praesertim etc.

Non vereor, inquit, ne me minoris, quam illos de vulgo amatores, facias. Quid igitur operoso corporis cultu istos captas? Uni mihi si places, culta satis es, cum tibi praesertim tanta formae animique bona dii concesserint. Ovidius epist. XII, 187.

Si tibi sum vilis, *communes respice natos.*
Istis ad priora referre potes,
Non illis studium vulgo conquirere amantes.

Sed et nude *Istum* rivalem dicunt cum contemtu. Libro II, 10, 1.

Iste *quod est, ego saepe fui. sed fors et in hora*
Hoc ipso ejecto carior alter erit.

Libro I, 8, 3.

Et tibi jam tanti, quicumque est, iste *videtur.*

ubi male subdistinguitur *quicumque est iste, videtur:* Ant. Volscus in prima editione posuit *Ille.* Ita et libro II, 10, 48. *Ille vir:*

Ille vir *in medio fiat amore lapis.*

et *Ille* apud Terentium Eunuch. I, 1, 20.

Egone illam? quae illum, *quae me quae non! sine modo.*

id est, Egone illam adeam? quae illum recipit, quae me quae non (τὶ οὐ) pati facit!

III.

Qualis Thesea jacuit cedente carina
  Languida desertis Gnosia litoribus,
Qualis et adcubuit primo Cepheïa somno
  Libera jam duris cautibus Andromede,
Nec minus adsiduis Edonis fessa choreis
  Qualis in herboso concidit Apidano,
Talis visa mihi mollem spirare quietem
  Cynthia non certis nixa caput manibus,
Ebria cum multo traherem vestigia Baccho,
  Et quaterent sera nocte facem pueri.
Hanc ego nondum etiam sensus deperditus omnis
  Molliter inpresso conor adire toro.
Et quamvis duplici conreptum ardore juberent
  Hac Amor hac Liber, durus uterque deus,
Subjecto leviter positam tentare lacerto,
  Osculaque admota sumere et arma manu,

V. 16. ad ora.

III.

16. OSCULAQUE ADMOTA SUMERE AD ORA MANU] Ab Joh. Fred. Gronovio haec lectio est, perquam acute excogitata, sed quam non veram ipsa sensus ambiguitas arguat. Ipse enim Observat. IV, 6. pag. 85. exponit: prehensis genis mentove labra jungere; nec minus recte cum Burmanno possis Propertium suam manum ad os Cynthiae accipiendo osculo admovere aut Cynthiae manum ori suo applicare voluisse intelligere. Potius est igitur, ut cum libris scriptis universis legamus:

Osculaque admota sumere ET ARMA *manu.*

Ne tamen, ut olim factum est, in obscenum interpretemur sensum, non *arma* illa pars audit, sed *telum* vel *tela*, praeterquam quod semel Priapus spurcissimo carmine XXXII. sui *ventris arma* appellat. Immo *arma sumere*, quod militum est, ad Venereum hoc bellum Propertius transtulit. Amor mihi, inquit, et Bacchus suadebant, ut jacentem puellam submisso lacerto leviter tentarem, oscula sumerem, admota corpori manu me ad hoc dulce bellum pararem. Simile illud libro IV, 20, 6.

Quam multae ante meis cedent sermonibus horae,

Non tamen ausus eram dominae turbare quietem,
Expertae metuens jurgia saevitiae:

V. 18. verbera.

Dulcia quam nobis concitet
arma *Venus.*

Similiter Petronius quoque cap. 130. *Illud unum memento, non me, sed instrumenta peccasse. Paratus miles* arma *non habui. Quis hoc turbaverit, nescio; forsitan animus antecesserit corporis moram; forsitan, dum omnia concupisco, voluptatem tempore consumsi. Arma*, ut vides, voluptatem dicit, turpius nostro, qui nihil ad corpus respiciens, illam intelligit solam. Orationis forma nostris paria, re magis obscena Ovidius habet amor. I, 4, 63.

Oscula *jam* sumet, *sed* non
tantum oscula sumet:
Quod mihi das furtim, jure
coacta dabis.

Quanto pudicior omnibus his Callimachus, cujus epigramma XLIV. Propertio haec scribenti fortasse ante animum obversabatur:

Εἰ μὲν ἑκὼν, Ἀρχῖν', ἐπεκώ-
μασα, μυρία μέμφε·
Εἰ δ' ἄκων ἥκω, τὴν προ-
πέτειαν ὅρα.
Ἄκρητος καὶ Ἔρως ἔμ' ἀνάγκα-
σαν, ὧν ὁ μὲν αὐτῶν
Εἷλκεν, ὁ δ' οὐκ εἴα σώ-
φρονα θυμὸν ἔχειν.
Ἐλθὼν δ' οὐκ ἐκόησα τίς ἢ
τίνος, ἀλλ' ἐφίλησα
Τὴν φλιήν. εἰ τοῦτ' ἔς' ἀδι-
κεῖν, ἀδικῶ.

Pari temperantia si noster usus esset, non opus erat, ut nos de re turpicula tam multa verba faceremus inviti.

18. METUENS VERBERA SAEVITIAE] Dubium est, *verbera* intelligenda sint proprie, an, quae Horatius dicit, *linguae.* Erunt etiam, qui sensu magis generali accipi velint, ut apud Paulum Silentiarium epigr. XXIV.

Θέλγε δὲ σαῖς χαρίτεσσιν ἐμὴν
φρένα· μηδ' ἐμὲ μάστιξ,
Πότνα, κατασμύξῃ καὶ σέο
καὶ μακάρων.

Equidem de hoc non quaero: injuriam poëtae factam esse ajo, recenti et interpolato Scaligeri codici honore nimio habito. Caeteri omnes exhibent:

Expertae metuens JURGIA
saevitiae.

quod reprehendi nulla ratione potest. Sed Italus corrector *jurgia saevitiae* non ferebat. Ita tamen Lygdamus (Tibull. III.) 5, 13.

Nec nos, insanae *meditantes*
jurgia mentis,
Impia in adversos solvi-
mus ora deos.

Sic enim libri meliores, non *linguae.* Propertius libro IV, 8, 54.

Parthorum astutae tela *re-*
missa fugae.

ubi remissa tela dicit (ut *laxum arcum* Horatius carm. III, 8, 23.,

Sed sic intentis haerebam fixus ocellis,
Argus ut ignotis cornibus Inachidos.
Et modo solvebam nostra de fronte corollas,
Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus;
Et modo gaudebam labsos formare capillos;
Nunc furtiva cavis poma dabam manibus,
Omniaque ingrato largibar munera somno,
Munera de prono saepe voluta sinu.

bellum remissum Valerius Flaccus V, 666. 682.) fugae astutae Parthorum, id est, Parthorum astute nec sine victoria fugientium. Nam perperam Gronovius Observat. I, 11. pag. 101. *fugae* pro *a fuga* positum autumat, causae videlicet serviens suae, eique non optimae. In Manilii enim libro I, 756.

An fortes animae dignataque numina caelo,
Corporibus resoluta suis, terraeque remissa,
Huc migrant ex orbe, suumque habitantia caelum
Aethereos vivunt annos mundoque fruuntur?

in his igitur pariter *terrae remissa* pro *a terra* dici contendit, cum contrarium potius indicet. Quod videns Bentlejus non *terraque* debuit scribere, sed rectius distinguendo rem conficere:

Corporibus resoluta suis, terraeque remissa
Huc migrant ex orbe,

id est, ex orbe terrae remissa huc migrant.

20. IGNOTIS CORNIBUS INACHIDOS] Satis contorte dictum pro ipsa Inachide Argo ignotae. Egregie corrigunt homines ingeniosi:

Argus ut ignotae *cornibus Inachidos.*

Verum ita non scripsit Propertius. Eccas similes ineptias. Libro IV, 18, 11.

Testis, Cretaei fastus quae passa juvenci,
Induit abiegnae cornua *falsa* bovis.

Libro V, 4, 41.

Prodita quid mirum fraterni cornua monstri?

In eadem historia A. Sabinus epist. II, 11.

Qui socerum Minoa gravi sibi fecit ab hoste,
Mirantem monstri cornua *victa sui.*

Idem epist. III, 35.

Imperat ille deis; cum vult, in cornua tauri,
Cum vult, in pennas *destruit ille Jovem.*

Ovidius metam. II, 535.

Tam nuper pictis caeso pavonibus Argo,
Quam tu nuper eras, cum candidus ante fuisses,
Corve loquax, subito nigrantes *versus in* alas.

Et quotiens raro duxti suspiria motu,
Obstupui vano credulus auspicio,
Ne qua tibi insolitos portarent visa timores,
Neve quis invitam cogeret esse suam;
Donec diversas percurrens luna fenestras,
Luna moraturis sedula luminibus,
Conpositos levibus radiis patefecit ocellos.
Sic ait, in molli fixa toro cubitum:
Tandem te nostro referens injuria lecto
Alterius clausis aspulit a foribus?

V. 36. expulit e.

36. CLAUSIS EXPULIT E FORIBUS] Deliberandum est, quomodo quis e clausis foribus expellatur: mihi nondum liquet. Nec cepit Scaliger, qui cum in suo codice, eodem illo, de quo versu 18. diximus, *rettulit* invenisset, edidit *reppulit e foribus.* Voluit haud dubie *reppulit a foribus*, ut Heinsius quoque, *reppulit* in vetere codice Italico legisse testatus. Probum quidem id est, et Ovidius confirmat amor. III, 11, 9.

Ergo ego sustinui, foribus tam saepe repulsus,
Ingenuum dura ponere corpus humo?

Sed propius, quam fecerunt Itali, ad litterarum ductus accedi potuit scribendo:

Tandem te nostro referens injuria lecto
Alterius clausis ASPULIT A *foribus?*

neque aliud ego a Propertio profectum existimo. De verbo *aspellere* Bentlejus notavit ad Terentii Heaut. II, 3, 20. *A* pro *E* in duobus scriptis Burmannus invenit, sive id vera lectio vestigium sui reliquerit, seu librariorum ab errore originem traxerit. At quae sequuntur, receptum et expulsum indicare videntur:

Namque ubi longa meae consumsti tempora noctis,
Languidus exactis hei mihi sideribus?

scilicet obscenam Burmanni *languidus mihi* conjungentis explicationem sequentibus; non, si *hei mihi* a caeteris separamus, unde nuper male factum est *heu mihi*, cum *heu me* dicatur, sed *hei mihi*; non, si *languidum* interpretamur fessum, ut versu 2. hic:

Languida *desertis Gnosia litoribus.*

Neque injuria aut perfidia fuisset alterius puellae, quae Propertium non statim, sed diu retentum apud se exacta nocte tandem abire jussisset. Neque in libri III. elegia XXIV., quae in argumento versatur huic si-

Namque ubi longa meae consumsti tempora noctis,
Languidus exactis, hei mihi, sideribus?
O utinam talis producas, inprobe, noctis,
Me miseram qualis semper habere jubes!
Nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
Rursus et Orpheae carmine, fessa, lyrae;
Interdum graviter mecum deserta querebar
Externo longas saepe in amore moras;
Dum me jucundis labsam sopor inpulit alis.
Illa fuit lacrimis ultima cura meis.

IV.

Quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
Mutatum domina cogis abire mea?
Quid me non pateris, vitae quodcumque sequetur,
Hoc magis adsueto vivere servitio?

V. 42. carmine fessa lyrae. 4. ducere.

mili, ab alia puella recipitur, sed ante alienas fores oberrat:

Haec te non meritum totas exspectat in horas:
At tu nescio quas quaeris inepte fores.

Caeterum versu proximo *tales perducas, improbe, noctes* male scribitur in codicibus: *producas* Gryphius jam anno MDXXXIV. edidit.

42. RURSUS ET ORPHEAE CARMINE FESSA LYRAE] Burmannus, „Male, inquit, Guyetus *Rursus* eram *Orpheae* etc., quod a nullo codice probatur, et per se subintelligitur." Non potest: sed distinctione opus:

Nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
Rursus et Orpheae carmine, fessa, *lyrae.*

IV.

4. ADSUETO DUCERE SERVITIO] Sic multi codices, in his Neapolitanus ac Mentelianus. At membranae Groninganae et Palatinae cum tribus aliis libris:

vitae quodcumque sequetur,
Hoc magis adsueto vivere *servitio.*

Burmannus, *vitam vivere* recte dici concedens, *vitae quod restat vivere* negat, ipsum Propertium ita loqui oblitus IV, 16, 19.

Quod superest vitae, *per te et tua cornua* vivam.

Utra igitur praeferatur lectio, nihil refert, nisi quod tantum de lectoribus Propertii codex Groninganus meruit, ut VIVERE ejus auctoritate jure asciscatur;

Tu licet Antiopes formam Nycteïdos et tu
  Spartanae referas laudibus Hermiones,
Et quascumque tulit formosi temporis aetas:
  Cynthia non illas nomen habere sinet;
Ne dum, si levibus fuerit conlata figuris,
  Inferior duro judice turpis eat.
Haec sed forma mei pars est extrema furoris;
  Sunt majora, quibus, Basse, perire juvat:
Ingenuus color et multis decus artibus et quae
  Gaudia sub tacita ducere veste libet.

V. 5. Antiopae. 6. Spartanam Hermionen.

et receperat ante Burmannum Janus Broukhusius.

5. TU LICET ANTIOPAE. 6. SPARTANAM REFERAS LAUDIBUS HERMIONEN] A Broukhusio haec ita sunt, Beroaldo, qui tamen *Hermionam* dederat, praeeunte, concinnata. Sed genitivos *Spartanae Hermionae* scripti omnes agnoscunt; ii quoque, ne Broukhusio credas, quos Lipsius vidisse se testatur Antiq. Lect. IV, 11. Tu cum Burmanno ANTIOPES scribe et SPARTANAE HERMIONES, formis Graecis, quas aliquot apud eum libri sistunt et Dresdensis Barthii, tum Romanum Antonii Volsci exemplum anno MCCCCLXXXI. impressum. In nostro codice *Antiope* est et *Hermione*, quomodo genitivi in *es* finiti in eo exarari solent.

13. INGENUUS COLOR ET MULTIS DECUS ARTIBUS] Locus a multis vexatus, sed frustra, me quidem judice. Primum *colorem ingenuum* negant ferre; quid majus forma habeat boni Cynthia, hic indicari; colorem esse partem formae. At vero tam in prava forma quam in pulchra habet locum ingenuus color, sive ingenuae testem indolis, seu, quod Propertium voluisse existimo, nativum et arte nulla infucatum *colorem ingenuum* dicamus. Sic Terentius quoque loco ab aliis jam huc allato, in Eunucho II, 3, 26. *colorem verum*, nostro *ingenuum* dictum, a *figura oris*, hoc est, a *forma* separat:

> *Quid tua istaec?* Nova figura oris. *Papae.*
> Color verus, *corpus solidum et succi plenum. Anni? Anni? sedecim.*

Sed nec caetera *multis decus artibus* tentari a viris eruditis debuisse contendo, quibus puella

> *Docta atque* ingenio suo decora

indicatur, ut cum Statio loquar Silv. II, 7, 83. *Decus nostrum* dicimus id, quo ornati insignes sumus atque egregii. Vide Cor-

Quo magis et nostros contendis solvere amores,
Hoc magis accepta fallit uterque fide.
Non inpune feres. sciet haec insana puella,
Et tibi non tacitis vocibus hostis erit.
Nec tibi me post haec committet Cynthia, nec te
Quaeret: erit tanti criminis illa memor;
Et te circum omnis alias irata puellas
Differet: heu nullo limine carus eris.
Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Et quicumque sacer, qualis, ubique, lapis.
Non ullo gravius tentatur Cynthia damno,
Quam sibi cum rapto cessat amore deus,

V. 17. hoc. 24. qualis ubique,

tium ad illud Sallustii in Jug. III, 4. *Nisi forte quem inhonesta et perniciosa lubido tenet, potentiae paucorum* decus *atque libertatem* suam *gratificari.* Cynthiae decus *multae* erant, quas callebat, *artes: psallere, saltare elegantius, quam necesse est probae; posse versus facere, jocum movere, sermone uti vel modesto vel molli vel procaci*, ut ait idem Sallustius in Catil. XXV. Nihil vero mirum in Propertii verbis praeter ablativorum absolute positorum usum, cujus rationem mutat, non tollit caeterum perbona Bentleji correctio *multis decor artibus.* Quantum sibi in eo genere permissum esse Propertius voluerit, innumeris exemplis cognoscas licet. Nostro simillima haec sunt: libro I, 2, 2.

Et tenues Coa veste *movere sinus.*

Libro III, 4, 7.

Desit odoriferis *ordo mihi* lancibus —

Eleg. 16, 12.

Et manibus dura *frigus habere* pila.

Decus eloquio diceret noster, quod Silio VIII, 413. est:

nec deinde relinquet
Par decus eloquii *cuiquam sperare nepotum.*

Versu proximo libri scripti habent:

et quae Gaudia sub tacita dicere *veste libet:*

sed non fefellit doctos Italos vitium. Nam *ducere* recte dant duo Vaticani, Colotii, alter D'Orvillianus, et Commelini membranae.

17. SCIET HOC INSANA PUELLA] *Hoc* e quatuor libris Burmannus: sed optimus quisque HAEC exhibent; nec, cur id rejiciendum sit, video; Burmannus enim, ne quis *hanc insanam puellam* intelligat, frustra veretur. Codex Neapolitanus

Praecipue nostro. maneat sic semper, adoro;
Nec quicquam ex illa, quod querar, inveniam.

V.

Invide, tu tandem voces conpesce molestas,
Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares.
Quid tibi vis, insane? meae sentire furores?
Infelix, properas ultima nosse mala,
Et miser ignotos vestigia ferre per ignis,
Et bibere e tota toxica Thessalia.
Non est illa vagis similis, conlata, puellis;
Molliter irasci non solet illa: time.
Quod si forte tuis non est contraria votis,
At tibi curarum milia quanta dabit!
Non tibi jam somnos, non illa relinquet ocellos,
Illa feros animis adligat una viros.

V. 27. nostri. 3. meos. 8. sciet illa tibi.

notam habet, qua *haec* non minus quam *hoc* significatur; non enim ad diplomaticorum indices talia, sed ad cujusque librarii morem exigenda sunt.

27. PRAECIPUE NOSTRI] Una littera totam sententiam pervertit. *Raptum amorem sui* dicit, hoc est, Cynthiae in se. Atqui Bassus Cynthiae amatorem Propertium eripere studebat, non Cynthiam Propertio. Repone ergo:

Quam sibi cum rapto cessat amore deus,
Praecipue NOSTRO.

Ita Heinsius, ita apud Gebhardum liber Commelinianus, quod indicio est, fuisse jam saeculo XV. lectores Propertii attentos et Latinitatis gnaros.

V.

3. MEOS SENTIRE FURORES] Meos amores, Cynthiam, Livinejus intelligit, usu loquendi abnuente: alii, hos, quos ego sentio, vehementis amoris cruciatus, ut eleg. VI, 23. *nostros labores*, et apud Callimachum epigr. XXXII. *ἤ ῥά σε δαίμων Θυμὸς ἔχει;* de quo Valckenarium vide ad Callimachea pag. 23. Sed ea locum essent habitura, si post versum 9. haec legerentur: at hic iram Cynthiae significat. Scribe igitur:

Quid tibi vis, insane? MEAE *sentire furores?*

cum Hemsterhusio fuse et praeclare de hoc loco disputante apud Burmannum pag. 925.

8. MOLLITER IRASCI NON

Ah mea contemtus quotiens ad limina curres,
  Cum tibi singultu fortia verba cadent,
Et tremulus maestis orietur fletibus horror,
  Et timor informem ducet in ore notam,
Et quaecumque voles fugient tibi verba querenti,
  Nec poteris, qui sis aut ubi, nosse miser!
Tum grave servitium nostrae cogere puellae
  Discere, et exclusum quid sit abire domo;

V. 20. domum.

SCIET ILLA TIBI] *Non sciet*, pulchrum correctoris commentum, in codice Cujaciano reperit Scaliger. Libri sinceri *non solet*. Servato *solet* lenius nos et, ni fallor, verius formamus:

Non est illa vagis similis conlata puellis;
Molliter irasci non SOLET *illa:* TIME.

20. ET EXCLUSUM QUID SIT ABIRE DOMUM] Ita libri omnes, demto Bononiensi, in quo *excelsam* legitur, ut *exclusam* in Askewiano, librariorum oscitantia. Nihilominus certa conjectura corrigo:

Tum grave servitium nostrae cogere puellae
Discere, et exclusum quid sit abire DOMO.

Domo scilicet et foribus puellae perfidia clausis. Nam in codicum lectione non otiosum tantum et quavis beta languidius *abire domum* est, sed et falsum; quis enim τὸν δυσέρωτα domum abire cogeret? Erraret in platea, sub divo excubaret; puella vetare nollet. Hoc, ut opinor, perspiciens Heinsius, sed vitiosum secutus exemplum eleg. 3, 36.

Alterius clausis expulit e foribus,

hic conjectavit legendum:

Discere et e clusa *quid sit abire* domo.

cum tamen abitus e clausa domo nisi per fenestram nullus sit. Aliud autem vitium an perspexerit nescio, in re positum a nemine hactenus, quod sciam, explicata. Nempe hanc consonantiam *exclusum domum* metri leges ferre pernego, sollerti observatione edoctus, ὁμοιοτέλευτον in hemistichiis versus pentametri locum non habere, nisi quinque modis iisque ab hoc nostro diversis. Primum permissae poëtis consonantiae genus est, cum versus sententia duabus partibus constat, in quibus plerumque aliquid oppositionis inest, ut in his:

Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.
Sive ea causa gravis, sive ea causa levis.
Ambos una fides auferet, una dies.

Nec jam pallorem totiens mirabere nostrum,
Aut cur sim toto corpore nullus ego.

Atque satur cibo sit, madeatque mero.

Porro alii versus sunt, in quibus postrema prioris hemistichii dictio cum omnium ultima conjungit sensus, vel ita, ut ad unum subjectum utraque pertineat, hoc modo:

Neve quis invitam cogeret esse suam.

vitaeque fateri
Tot mala perpessae taedia nata meae.

vel uti alterum ab altero suspensum sit, sive (quod omnium frequentissimum genus) adjectivum substantivo adhaereat, ut:

Tulle, neque Aegaeo ducere vela salo.

sive genitivus adjectivi loco ponatur, qualis est *terrae* in hoc versu:

Et maris et terrae caeca pericla viae.

viae terrae, viae terrestris. Tertium genus est, quod in alterutro loco habet eam partem orationis, quae Verbum dicitur:

Et breve in exiguo marmore nomen ero.
Unum impetrassem te revocante diem.
Pristina vota novo munere dissoluo.
Et mihi si non vis parcere, parce tuis.

Ejusmodi versus apud Tibullum et Lygdamum invenies nullos: sed neque his similes, si recte memini:

Posse frui. fruar ô solus amore meo.
Cacus. et Alcides sic ait: ite boves.
Ipse sono tenui dixit: Elissa veni.
Nec numeros Danai militis, ipse veni.

quales caeteri sibi permiserunt, similitudinem soni minus apparituram sperantes, sensus et interpunctionis beneficio. Denique vero multa sunt, quae consonare nobis fortasse videntur, sed, si bene pronunciaveris, differunt:

Aut cur sive toto corpore nullus ego.
Et Veneris pueris utilis hostis eris.
Me miseram quales semper habere jubes.
Enumerat miles vulnera, pastor oves.

Aliae enim vocales in *toto* et *pueris*, quam in *ego* et *eris* sunt; tum *qualis* et *ovis* leges, non *quales ovesque*. Huc et Tibulli illud pertinet I, 2, 52.

Sola feror Hecates perdomuisse canes.

Littera *e* in *canes* aliud, aliud sonat in *Hecates* nomine; ne ibi viro praestantissimo ad suum potius quam antiquitatis sensum disputanti auscultes. Jam vero nihil horum omnium, quae de homocoteleutis dixi-

Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti;
Nescit Amor priscis cedere imaginibus.
Quod si parva tuae dederis vestigia culpae,
Quam cito de tanto nomine rumor eris!
Non ego tum potero solatia ferre roganti,
Cum mihi nulla mei sit medicina mali;
Sed pariter miseri socio cogemur amore
Alter in alterius mutua flere sinu.
Quare, quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
Quaerere; non inpune illa rogata venit.

VI.

Non ego nunc Hadriae vereor mare noscere tecum,
Tulle, neque Aegaeo ducere vela salo,
Cum quo Rhipaeos possim conscendere montis,
Ulteriusque domos vadere Memnonias:
Sed me complexae remorantur verba puellae,
Mutatoque graves saepe colore preces.
Illa mihi totis argutat noctibus ignis,
Et queritur nullos esse relicta deos;
Illa meam mihi se jam denegat; illa minatur,
Quae solet ingrato tristis amica viro.

V. 3. Rhiphaeos.

mus, in hunc versum cadere patet:

Discere et exclusum quid sit abire domum.

Nam si quae aures forte consonantiam audire negant, vellicandae sunt et ut litterae mugientis strepitum percipiant hortandae. Quid est igitur, cur magis tolerem hoc, quam apud Ovidium epist. XIV, 82.

Et queritur factum sanguinis esse parum,

aut in nostri libro V, 2, 12.

Vertumni rursum creditur esse sacrum.

in quibus locis *facti* et *rursus* habent bona exemplaria. Quin neque apud Tibullum libro IV, 4, 22. paterer mihi aequis auribus occini:

Uno servato restituisse duo,

vel si nullus liber haberet, quod habent omnes, *duos;* nec apud Propertium libro III, 26, 8. Ruhnkenii commentum probare possum,

His ego non horam possum durare querelis;
Ah pereat, si quis lentus amare potest!
An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas,
Atque Asiae veteres cernere divitias,
Ut mihi deducta faciat convicia puppi
Cynthia, et insanis ora notet manibus,
Osculaque ut posito dicat sibi debita vento,
Et nihil infido durius esse viro?

V. 17. opposito.

Denique ut ad Trois tecta volarit avis.

VI.

9. ILLA MEAM MIHI SE JAM DENEGAT] Ita Broukhusius et tacite ante eum Heinsius Adversar. II, 6. pag. 251. Scripti *Illa meám mihi jám se denegat*, eadem syllaba, eaque quidem in litteram *m*, qua nulla minus grata auribus est, exeunte, bis sub Ictu posita. Talia excidisse aliquoties Propertio scimus, sed ubi tam facile vitari vitium poterat, malo librarios criminari. Infra libro III, 15, 7. *Et rursúm puerúm* ne in consensu quidem codicum ferrem. Apud Tibullum II, 4, 22.

Ne jaceám clausám *flebilis ante domum*,

clausae legendum censeo; nam et qui se inclusit ipse, *clausus* dicitur; vide Tibullum II, 3, 77. Statium Theb. III, 572. Versu sequente *Ingrato* Broukhusius ex certa Heinsii emendatione dedit, quam anticipavit Italus in uno Vaticano et excerptis Colotii: reliqui vitiose *Irato*.

17. OSCULAQUE OPPOSITO DICAT SIBI DEBITA VENTO] Et hanc ab optimis quibusque libris agnitam scripturam et diversa commenta interpretum una verissima observatione P. Fonteinius et I. G. Huschkius evertunt, *nullo indicio constare* (Fonteinii verba sunt) *veteres nudum epitheton oppositus pro votis alicujus contrarius umquam adhibuisse.* Hi igitur consentiunt scribendum esse:

Osculaque opposito dicat sibi debita ponto,
Et nihil infido durius esse viro.

In quibus primum non intelligo, qua vi quove ad sententiam emolumento *oppositus* dicatur *pontus*. Haud paullo aptius saltem *injusto salo* posuit Propertius loco statim laudando. Tum *dicere* in talibus vix admittit consuetudo sermonis Latini, quamquam λέγειν Euripides ita usurpavit in Med. 57. Iphig. T. 43. Certe aliter Ennius in Medeae loco vertendo:

Cupido cepit miseram nunc me proloqui
Caelo atque terrae Medeai miserias.

aliter Plautus in prologo Mercatoris v. 4.

qui aut Nocti aut Die
Aut Soli aut Lunae miserias narrant *suas.*

ac Silius Italicus III, 430.

Et promissa viri silvis narrabat *opacis.*

Lygdamus quoque (Tibull. III.) 6, 40.

Gnosia, Theseae quondam perjuria linguae
Flevisti *ignoto, sola relicta,* mari.

et Noster I, 16, 12.

Sederat, injusto multa locuta *salo.*

Quid vero, si ne absolutus quidem in illa emendatione sensus sit, sed ἡμιτελὴς et interruptus? Nam cur oscula sibi debita narret fluctibus Cynthia; quid de illis osculis factum sit, non dicat? Plinium compara Epist. VII, 4. De Ciceronis epigrammate loquitur:

Nam queritur, quod fraude mala frustratus amantem
Paucula coenato sibi debita savia *Tiro*
Tempore nocturno subtraxerit.

Viden? Non *savia sibi debita* queritur, sed quod savia sibi debita *subtracta* sint. Haeret igitur haec res, nisi alio, atque illi, modo succurrimus. Sed latet sane alibi, quam ubi quaerebant illi, vitium, ejusque sedem excerpta Modii, quorum pars e Groningano est, indicant; ex his enim *Apposito* enotatur. Repono:

Ut *mihi deducta faciat convicia puppi*
Cynthia, et insanis ora notet manibus,
Osculaque UT posito *dicat sibi debita vento,*
Et nihil infido durius esse viro.

Ita omnia clara sunt. *Oscula* Propertii Cynthia *sibi posito vento debita* narrat, concessa sibi venti cessantis beneficio, qui navigaturum vetaret solvere. Non infrequens ista amantium querela est. Dido Nasoniana Epist. VII, 41.

Quo fugis? obstat hiems; hiemis mihi gratia prosit.
Aspice, ut eversas concitet Eurus aquas.
Quod tibi maluerim, sine me debere procellis.
Justior est animo ventus et unda tuo.

Hypsipyle apud Valerium Flacc. II, 407.

Ergo moras caelo cursumque tenentibus undis
Debuimus? *dixit lacrimans.*

ad quem locum Burmannus nostrum eo fere, quem diximus, sensu exposuit; frustra tamen, nisi *posito vento* legas; quomodo Lucanus III, 543.

Et posito Borea *pacemque tenentibus Austris*
Servatum bello jacuit mare.

Ovidius Epist. VII, 49.

Jam venti ponent, *strataque aequaliter unda*
Caeruleis Triton per mare curret equis.

Virgil. Aen. VII, 27. X, 103.

Tu patrui meritas conare anteire securis,
Et vetera oblitis jura refer sociis.
Nam tua non aetas umquam cessavit amori,
Semper et armatae cura fuit patriae;
Et tibi non umquam nostros puer iste labores
Adferat et lacrimis ultima nota meis.

V. 20. referre foris. 22. at. 24. vota.

20. JURA REFERRE FORIS] Sic vetus codex Perréji, Vaticanus secundus, Heinsianus et Burmanni alter, nescio an e Vallae libro; de conjectura enim non videtur positum. Potest tamen et recentius erratum esse. Certe unice verum est, quod caeteri habent, *Oblitis jura* REFER SOCIIS: vide Hemsterhusium pag. 926. Caeterum mirari subit, lectionem *referre sonis*, quam Heinsius in quibusdam codicibus invenisse vult, apud Burmannum copiis Heinsianis usum non apparere.

22. SEMPER AT ARMATAE] Scribe ET ex Groningano et aliis sex septem libris. Nam non necessaria hic et minus grata tam expressa antithesis est. Hemsterhusius vult:

Semper at armato *cura fuit patriae.*

Sed recte *Armatae patriae.* Lucanus II, 574.

An vanae tumuere minae, quod fama furoris
Expulit armatam *patriis e sedibus* urbem?

23. ET TIBI NON UMQUAM NOSTROS PUER ISTE LABORES ADFERAT ET LACRIMIS ULTIMA VOTA MEIS] Locus spinosus, in quo accurate nobis agendum est, ut verus sensus una cum vera lectione eruatur. Primum igitur, quod interpretes fefellit, *Non adferat* hic expones: *Non, ut puto, afferet.* Nam haec aptior, quam si votum credatur esse, sententia est: Tu negotiis publicis incumbe, qui nec amavisti hactenus, neque umquam *amabis.* Quin Latinitas quoque postulare videtur, quae *Ne afferat* in voto magis probat quam *Non.* Nihil autem magis pervulgatum est, quam conjunctivum ita pro futuro poni; nec mirum, cum Graeci optativum cum particula *ἄν*, conjunctivum vero etiam nudum in futuri significatione usurpaverint, ut Homerus Iliad. XV, 350.

Ὃν δ' ἂν ἐγὼν ἀπάνευθε νεῶν ἑτέρωθι νοήσω,
Αὐτῦ οἱ θάνατον μητίσομαι, οὐδέ νυ τόνγε
Γνωτοί τε γνωταί τε πυρὸς λελάχωσι θανόντα,
Ἀλλὰ κύνες ἐρύουσι πρὸ ἄστεος ἡμετέροιο.

et, quod aliquoties repetiit, *Καί ποτέ τις εἴπῃσι — ὥς ποτέ τις ἐρέει.* Soleo ego Italos mirari, qui saepe male corrigendo melius se quam insecutos interpretes hunc poëtam in-

tellexisse ostendunt; hic e Vossiano quarto *Adferet* enotatur. At sequuntur difficiliora:

et lacrimis omnia nota
meis.

Hoc enim scripti plerique habent. Quo vero illud *Omnia*? Immo *tot mala* vel certe *illa* debuit dicere, qui jejune et inepte nollet loqui. Hoccine igitur Propertio dignum? Non credo, quamquam inventus nuper sit, qui, Propertium sic eleganter adjectiva neutra frequentare a Barthio suo, acuto in primis elegantiae judice, edoctus, pro *vera lectione* venditare non sit veritus. Jure negans id Broukhusius ex optimae notae codice Franciano secundo (qui idem est cum Menteliano et Leidensi primo, ne te Burmannus hic, ut ubique in hac re, errans secum trahat) reposuerat:

Et tibi non umquam nostros
puer iste labores
Adferat, et lacrimis ultima
vota *meis.*

et *ultima vota* pro morte dici monuerat. Demus hoc: an sententiae consentaneum sit, videamus. Hoc dicit: Tu potes munera administrare publica; nam tibi Amor neque hos labores nostros, nec mortem mihi toties exoptatam afferet. Quae ratiocinatio quamque otiosa! Sane mortuus id non poterat; et te vel non monente, Properti, constabat. Alia res, si *Afferat*, id quod interpretibus placet, optantis sit: Ne tibi Amor haec mala et mortem, votum quotidie nostrum, afferat! Peream, si quid Tullo apprecari ineptius poterat, quem si quando arcu hic deus suo petebat, potius ut moreretur optatum oportuit; mortem enim sibi certe amanti *votum* dicit esse Propertius. Neque ulla causa aderat, cur mortem Tullo deprecaretur, quam illi ab amore immissum iri periculi nihil erat, quando nec Propertius amando perierat. Sed nescio an alio potius modo (nam clare non loquitur) Broukhusius illa *Ultima vota* intellexerit. Nam et hic sensus esse possit: Non vereor, ne tibi amor tanta mala allaturus sit, ut eodem, quo ego nunc, moriendi voto tenearis. Eaque aptior quidem paullo sententia est, sed mire dictum *afferat vota* pro Efficiat ut voveas. Nec magis in hac, quam in altera interpretatione suus sermoni honos constat. Quis enim, nisi qui intelligi non vult, *Ultima vota* ponit nude, mortis votum aut mortem ipsam a se optatam indicaturus? At Ovidius, inquit, mortem *ultima vota* dixit Pontic. IV, 14, 5. Recte: sed quid adjecerit vide:

Ipsa quoque est invisa salus;
suntque ultima vota,
Quolibet ex istis scilicet
ire locis.

Nonne haec aliquantum differunt, *Amor tibi non afferat ultima vota mea*, et

sunt ultima vota,
Quolibet ex istis scilicet ire
locis?

Hic ultima vota sibi mortem dicit esse, ut Amor. II, 5, 1.

Nullus amor tanti est (abeas, pharetrate Cupido)
Ut mihi sint toties maxima vota mori.

itaque Seneca Phoeniss. 75.
exstingui cupis,
Votumque, *genitor, maximum* mors *est tibi?*

et Troad. 579.
Si vis, Ulixe, cogere Andromacham metu,
Vitam minare. nam mori votum *est mihi.*

versu 1174.
Sola, Mors, votum meum,
Infantibus, violenta, virginibus venis.

contra ea Noster ita loquitur, quasi, si modo *ultima vota* dixerit, omnes mortem per se intellecturos speret. In quo quidem spei haud dubie falsus est, cum mors nequaquam omnibus ultima vota sint. Myrrha Ovidiana Metam. X. 485.
Ne violem vivosque superstes,
Mortuaque exstinctos, ambobus pellite regnis,
Mutataeque mihi vitamque necemque negate.
Numen confessis aliquod patet. ultima *certe*
Vota *suos habuere deos.*

Apud eumdem Polyxena Metam. XIII, 469.
Si quos tamen ultima *nostri*
Vota *movent oris, Priami vos filia regis,*
Non captiva, rogat, genitrici corpus inemptum
Reddite.

Silius I, 503.
Trahit instanti languentia leto
Membra pavens Murrus, supremaque vota *capessit:*
Conditor Alcide, cujus vestigia sacra
Incolimus, Terrae minitantem averte procellam.

Aliter Coroebus Statii Theb. I, 655.
Sed quid fando tua tela manusque
Demoror? exspectant matres supremaque *fundunt*
Vota *mihi. satis est; merui, ne parcere velles.*

Aliter Petronius cap. 103. *Unus forte ex vectoribus — notavit sibi ad lunam tonsorem intempestivo inhaerentem negotio, exsecratusque omen, quod imitaretur* naufragorum ultimum votum, *in cubile rejectus est.* Quod illud ultimum naufragorum votum sit, paullo post dicit cap. 104.: *Audio enim non licere cuiquam mortalium in nave neque ungues neque capillos deponere, nisi cum pelago ventus irascitur.* His omnibus recte consideratis, cum neque *Ultima vota* in hoc loco stare posse intelligatur, nec *Omnia nota,* quid jam faciendum superest, quam ut videamus, si forte e duabus minime probis codicum lectionibus tertia eaque vera et auctore Propertio digna erui queat? Id vero fiet, si ita formabimus:
Et tibi non umquam nostros puer iste labores
Adferat, et lacrimis ULTIMA NOTA *meis.*

Hoc et verum est et elegans, sed ab imperitis librariis non sane

intelligendum; nec nos singula explicare gravabimur. *Ultima* igitur sunt summa mala. Ita *ultimos cruciatus* Livius dicit XXI, 44., *ultima supplicia, mala, vitia* alii; vide Vulpium ad Eleg. 5, 4. Sed *Ultima* quoque ita usurpant nullo substantivo adjecto, ut *ἔσχατα* apud Sophoclem Oed. Col. 217. Idem Livius III, 47. *Quid prodesse, si, incolumi urbe, quae, capta,* ultima *timeantur, liberis suis sint patienda?* et libro XXII, 60. *Tandem* ultima *ausi* passique, *cum omnia subsidia vitae abessent.* Ovidius Metamorph. XIV, 483.

> Ultima *jam passi comites belloque fretoque.*

Idem Trist. II, 187.

> Ultima *perpetior medios projectus in hostes.*

Trist. III, 2, 11.

> Ultima *nunc patior* —

Silius Ital. II, 620.

> *Et rabie cladum perpessaeque* ultima *vitae.*

versu 459.

> *Et propius* suprema *vident.*

Virgilius Aen. I, 220.

> *Sive* extrema *pati, nec jam exaudire vocatos.*

Statius Theb. I, 475.

> *partitum* extrema *superbo Thesea Pirithoo.*

Porro *Nota mihi* ne exspectes potius, quam *Nota lacrimis meis*: Eleg. XX, 20. habes:

> Cara *tamen* lacrimis *ossa futura* tuis.

quod haud paullo suavius quam *tibi,* et desiderii in se includit significationem. *Nota* autem lacrimis, quae cum his conjuncta, quae cum lacrimis facimus aut patimur. Ita libro III, 24, 38.

> *Aspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat*
> *Spiritus admisso* notus *adulterio.*

ad quod exemplum non profecto male Francius libro III, 14, 4.

> *O nimis exitio* nota *theatra meo!*

quamquam *nata* ibi vera lectio est. Ovidius Pontic. III, 2, 55., nec muto:

> *Femina sacra facit tedae non* nota *jugali.*

Noster I, 10, 20.

> *infernae vincula* nosse *rotae.*

et I, 5, 4.

> *Infelix, properas* ultima nosse mala.

qui locus nostro geminus est, pariter atque Apollonii Rhod. hic II, 152.

> *μάλα δ' ἡμέων αὐτὸς ἕκαστος*
> *Εἴσεται ἐλομένην ἄτην, ἀπάνευθεν ἐόντος.*

Eleg. 13, 13.

> *Nunc demum longas solus* cognoscere *noctes*
> *Cogor.*

Eleg. 9, 20.

> *Ista meam* norit *gloria canitiem!*

ubi Passeratium cum sua hypallage plorare jubemus. Sic Catullus quoque LXI, 147.

> *Scimus haec tibi, quae licent,*
> *Sola* cognita: *sed marito*
> *Ista non eadem licent.*

Ex quibus et illud Statii lucem accipit Silv. II, 2, 51.

> *haec tecta sonoros*
> Ignorant *fluctus, terraeque silentia malunt.*

Me sine, quem voluit semper fortuna jacere,
Hanc animam extremae reddere nequitiae.
Multi longinquo periere in amore libenter,
In quorum numero me quoque terra tegat.
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis:
Hanc me militiam fata subire volunt.
At tu seu mollis qua tendit Ionia, seu qua
Lydia Pactoli tinguit arata liquor,
Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis
Ibis, et accepti pars eris imperii,

V. 25. semper voluit.

25. QUEM SEMPER VOLUIT] Ex tribus apud Burmannum libris repone:

Me sine, quem voluit sem-
per *fortuna jacere.*

Nam in talibus, quae neminem sponte sua mutasse constat, vel deteriorum codicum aliqua auctoritas est. Hic autem *Semper* potius quam *Voluit* primarium accentum expostulat. Quantum hoc intersit, ex Elegiae sequentis v. 15. intelliges,

Te quoque si certo puer hic
concusserit arcu.

Puer hic contemptim dicit: at longe aliud, si scribas,

Te quoque si puer hic certo
concusserit arcu.

quasi eatenus incerto tantum arcu et levi sagitta vexaverit. Ex hac observatione illud et intelliges et tueberis lib. III, 2, 1.

Quicumque ille fuit, puerum
qui pinxit Amorem.

Apud Virgilium Ecl. V, 45. Valerio Probo auctore scribendum est:

Tale tuum nobis carmen,
divine poëta,
Quale sopor fessis in gramine.

Male vulgo *Carmen nobis,* quasi in *Nobis* et *Fessis* sit expressa antithesis.

34. ACCEPTI PARS ERIS IMPERII] Jure viri docti, quomodo haec accipienda sint, dubitant. Vulpius: „An *accepti imperii*, grati sociis et moderati? an honoris, quem accepisti ab Augusto?" Utrique interpretationi obest, quod *partem imperii* Tullum dicit, alieni haud dubie, non sui. Nam *imperii pars* est, quod alicujus imperio subjectum. Antholog. Lat. III, 87.

At nunc Oceanus geminos in-
terluit orbes.
Pars *est* imperii, *terminus*
ante fuit.

Recte autem *Pars* de homine. Noster I, 22, 4.

Pars *ego sum vestrae proxi-*
ma militiae.

Ita *militiae partem* de homine Ovidius Epist. VIII, 46. Me-

Tum tibi si qua mei veniet non inmemor hora,
Vivere me duro sidere certus eris.

tam. VII, 483. XI, 216. Virgilius Aen. X, 427. 737.; ita *partem patriae* idem Ovidius Epist. III, 46., tum *rerum tuarum partem* Metam. IX, 20. Pont. IV, 1, 35.; ita Virgilius Georg. II, 40.

O decus, ô famae merito pars maxuma nostrae.

hoc est, qui maxime, ut mihi fama sit, efficis. Sic *pars imperii* erit, qui alterius imperio paret. Sed unde *accepti* quidem? F. G. Barthius viro cuidam claro et consulari concessum ab Augusto singulare imperium intelligit, in cujus cohorte hic Tullus fuerit. Hic vero ipse vir consularis, in quo exquirendo Barthius se tam anxie torquet, nominandus haud dubie poëtae erat, nisi inepte volebat loqui. Idem Heinsiano commento opponi potest,

et asserti *pars eris imperii.*

Immo *asserti ab Augusto* debuit dicere, nisi griphos et aenigmata lectoribus objicere voluit. Quare videndum est, an nobis felicius cesserit emendatio. Hoc enim Propertium dedisse suspicor:

Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis
Ibis, et accepti sors *erit imperii.*

hoc est, si tibi imperium accipere continget. Livius XXII, 22. *Circumspectis igitur omnibus, quae* fortunâ potestatis *ejus poterat facere.* id est, ea potestate, quam ipsi fortuna dederat. Cap. 45. *Itaque Varro, cui* sors *ejus diei* imperii *erat.* imperium sorte datum. Ovidius Fast. III, 463. de Ariadna Bacchi uxore,

Sorte tori gaudens, Quid flebam rustica? dixit.

Propertius I, 18, 7.

Nullane placatae *veniet* fortuna procellae?

et Eleg. 20, 19.

Quamvis te longae *removentur* fata senectae.

Silius Italicus IV, 406.

Quis vos heu vobis pavor abstulit? horrida primi
Si sors *visa* loci, *pugnaeque lacessere frontem,*
Post me state, viri.

Versu 734.

cur fata tenemus?
Pelle moras. brevis est magni fortuna favoris.

Antholog. Lat. II, 131, 9.

Fratribus heu fratres, patribus concurrere natos
Impia sors belli *fataque saeva jubent.*

Flaccus Valerius I, 807.

tum vobis si quod inausum
Arcanumque nefas et adhuc incognita leti
Sors *superest.*

Lucanus IV, 737.

leti fortuna *propinqui*
Tradiderat fatis juvenem.

Ovidius Trist. IV, 1, 61.

Nec tamen, ut veni, levior fortuna malorum *est.*

VII.

Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae
  Armaque fraternae tristia militiae,
Atque, ita sim felix, primo contendis Homero,
  Sint modo fata tuis mollia carminibus,
Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores,
  Atque aliquid duram quaerimus in dominam;

VII.

6. ATQUE ALIQUID DURAM QUAERIMUS IN DOMINAM] Corrigit Burmannus:

Atque aditum *duram quaerimus* ad *dominam.*

ex Tibullo II, 4, 19., a quo *aditus* poterat sumere suaviore sono. Melius Petrus Francius:

Atque aliquid duram ludimus *in dominam.*

Quin propius etiam ad vulgatam scripturam accedere licebat scribendo;

nostros agitamus amores
Atque aliquid duram carminis *in dominam.*

Sed certum est, recte habere, quod in scriptis legitur omnibus. Nam *in dominam*, hoc est, de domina, multa Propertius carmina fecit: *quaerere* autem *aliquid*, pro, excogitare, probum est. Cicero de leg. I, 5, 15. *Sic inter has procerissimas populos in viridi opacaque ripa inambulantes, tum autem residentes*, quaeramus *iisdem de rebus* aliquid *uberius quam forensis usus desiderat.* Tum ut *quaerere* hic, ita *invenire* de carmine apud Statium silv. V, 5, 54.

viso sic vulnere carae
Conjugis invenit caneret quod *Thracius Orpheus.*

Carmina quaero, quod ibidem habet Statius versu 48., ab hoc loco alienum est; minus fortasse alienus, ante quam corrumperetur, fuit versus in Ciri 5. ad nostri illustrationem nuper allatus:

Num mea quaeret eo dignum sibi quaerere carmen?

Certius exemplum Passeratius excitavit e Pseudolo Plauti I, 4, 8.

Sed quasi poëta, tabulas quom cepit sibi,
Quaerit, *quod nusquam est gentium, reperit tamen.*

quos versus qui praecedunt, eos si turpi vitio obiter liberabo, non ingratum fore lectoribus spero. Ii autem ita habent:

Postquam illic hinc abiit, tu astas solus, Pseudole,
Quid nunc acturus —
Cui neque parata gutta certi consili,
Neque adeo argenti, neque nunc quid faciam scio,
Neque exordiri primum unde occipias habes,
Neque ad detexundam telam certos terminos.

Nec tantum ingenio, quantum servire dolori
Cogor et aetatis tempora dura queri.
Hic mihi conteritur vitae modus; haec mea fama est;
Hinc cupio nomen carminis ire mei.
Me laudent doctae solum placuisse puellae,
Pontice, et injustas saepe tulisse minas;
Me legat adsidue post haec neglectus amator,
Et prosint illi cognita nostra mala.
Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,
Quod nolis nostros evoluisse deos,

V. 16. nolim.

Unus omnium his aliquid ulceris subesse odoratus Franciscus Guyetus, audaciai columen, reposuit: *neque scis quid facturus sit.* Nos: *neque nunc quid* facias *scio;* nam Pseudolus hic secum non loquitur tantum, sed colloquitur, facetia mere Plautina. Sic in Epidico I, 1, 86.

At enim tu praecave. Nihil est istuc; plane hoc corruptumst caput.

Nequam homo es, Epidice. Qui lubidost male loqui?
Quia tute tete deseris. Quid faciam? Mene tu rogas,
Tu qui antidhac aliis solebas dare consilia mutua?

15. PUER HIC CONCUSSERIT ARCU] Idem Guyetus et Valckenarius *percusserit* legi voluere, itaque Lipsius affert scriptum antiq. lect. IV, 11. Sed *concusserit* est molliverit et de statu dejecerit. Venus apud Valerium Flaccum VI, 476. dato Junoni cingulo,

Omne, ait, imperium natorumque arma *meorum*
Cuncta dedi; quascumque libet nunc concute *mentes.*

Statius silv. III, 4, 68. de alio tamen ac turpiore vulnere:

haud ulli puerum mollire potestas
Credita, sed tacita juvenis Phoebeïus arte
Leniter et (f. *a*) *nullo* concussum vulnere *corpus*
De sexu transire jubet.

16. QUOD NOLIM NOSTROS EVOLUISSE DEOS] Difficilem hunc versum Broukhusius ita capit: Non spero fusos istos furori tuo destinatos a diis nostris, amorum praesidibus, jam fuisse evolutos, hoc est, ad finem volutos. Eam interpretationem ferunt verba: sed rei finitae significatio, quam verbo *evolvisse* tribuit, in particula *e* non est, sed in forma praeteriti. *Vixit*, qui mortuus est; Parcae fata *evolvisse* dicuntur, cum evolvere, deducere colo desierunt. At loci nostri sen-

Longe castra tibi, longe miser agmina septem
  Flebis in aeterno surda jacere situ;
Et frustra cupies mollem conponere versum;
  Nec tibi subjiciet carmina serus Amor.
Tum me non humilem mirabere saepe poëtam;
  Tunc ego Romanis praeferar ingeniis;

V. 21. Tunc.

tentia obstat Broukhusio: sciebat Propertius, illa stamina nondum esse evoluta; nondum enim Ponticus amaverat. Quid igitur ista adjecisse nostrum oportebat, non tam optantem, quam desperantem et illa fila jam evoluta esse fatentem? Ante Broukhusium *evolvisse* pro *evolvere* dictum accipiendo fecerant id ne fieret precantem poëtam, quod optabat maxime. Fortasse sequare hos ita, ut ironiam esse dicas: Vide, quam tibi amicus sim: nolim tibi hoc mali deos nostros evolvere. Sed illa quidem debilis ironia est, in hoc carmine, quo gravissime in Ponticum ubique invehitur. Quare et hic aliquid ista ironia fortius acerbiusque posuisse Propertium suspicor, non *nolim*, sed

Quod NOLIS *nostros evoluisse deos.*

De hac formula *Quod nolis* Burmannum vide ad librum IV (V), 5, 2. Caeterum *Evoluisse* Philippus Beroaldus in vetusto codice legisse ait; alii in Italicis tantum repperere, e quibus in exemplar Vicentinum MCCCCLXXXI. venire potuit: sed quemcumque auctorem habeat, verum est. Libri scripti plerique et editi a Volsco et aliis *eviolasse* habent.

21. TUNC ME] Ante consonam *Tunc* a bonis poëtis non usurpari verissima est Joh. Henr. Vossii observatio, exposita ab eo ad Tibullum I, 1, 21.; eamque in Propertio Codex optimus Neapolitanus planissime confirmat, qui in singulis locis, ubi vulgo *Tunc* ante consonam legitur, *Tum* exhibet:

TUM *me non humilem mirabere saepe poëtam.*
TUM *magis Armenias cupies accedere tigres.*
TUM *vero longas condimus Iliadas.*
TUM *me vel tragicae vexetis Erinnyes.*
nonne tuae TUM *cecidere manus?*

In uno tamen loco III, 4, 3. 5., ubi Burmannus dedit:

Nec mea tunc *longa spatietur imagine pompa.*
Nec mihi tum *fulcro sternatur lectus eburno.*

Neapolitanus bis habet *tunc.* Nos eum ad caeterorum normam dirigere nihil dubitantes *tum longa* scribimus, quod etiam ex codice D'Orvilliano secundo enotatur.

Nec poterunt juvenes nostro reticere sepulcro:
Ardoris nostri magne poëta, jaces.
Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu.
Saepe venit magno fenore tardus Amor.

VIII.

Tune igitur demens, nec te mea cura moratur?
An tibi sum gelida vilior Illyria,
Et tibi jam tanti, quicumque est, iste videtur,
Ut sine me vento quolibet ire velis?
Tune audire potes vesani murmura ponti
Fortis, et in dura nave jacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas,
Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?
O utinam hibernae duplicentur tempora brumae,
Et sit iners tardis navita Vergiliis,
Nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena;
Neve inimica meas elevet aura preces;

V. 3. est iste, 11. in ora.

VIII.

7. FULCIRE PRUINAS] *Pruinas* habent impressi ante Scaligerum omnes, scriptus autem, praeter Harlejanum, aliquot impressis libris, opinor, recentiorem, nullus. Tamen *ruinas* nolim tueri cum Hemsterhusio; *fulcire* idem ab Italorum *sulcare* reponentium temeritate vindicat recte explicando: nobis bene ab aliis tractata reco-quere non vacat.

11. NEC TIBI TYRRHENA etc.] In hoc perplexo loco singula nobis consideranda sunt, ut vera lectio partim eruatur, partim a criticorum audacia vindicetur. Unam rem servamus nobis ad Eleg. XVIII, 5. evolvendam, cur recte ferri possit codicum optimorum scriptura Antonio Volsco jam anno MCCCCLXXXII. probata in hoc versu,

Nec tibi Tyrrhena solvatur funis ARENA.

nec debuerit Burmannus de patrui sui et Hemsterhusii sententia vocabulum *arena* demtum ex illo in hunc transferre,

Et me defixum vacua patiaris IN ORA.

Ad sensum vero nihil interest, cum *arenam* pro litore saepe dici ipse Burmannus fateatur, et utrumque usu frequentetur, *vacua arena* et *vacuum litus*. Lucanus VIII, 62.

Atque ego non videam talis subsidere ventos,
Cum tibi provectas auferet unda rates,

- *jam fune ligato*
Litoribus, *lustrat* vacuas
Pompeius arenas.

Propertius III, 18, 7.

Putris et in vacua *requiescit*
navis arena.

Ovidius amor. II, 19, 45.

Ille potest vacuo *furari* litore *arenas.*

Silius II, 420.

Nec procul Aeneadum, vacuo *jam* litore, *classis*
Aequora nequicquam revocante petebat Elissa.

Sed omnem hujus loci ambitum videamus, ut ea, in quibus haerere aliquis possit, appareant.

O utinam hibernae duplicentur tempora brumae,
Et sit iners tardis navita Vergiliis,
Nec *tibi Tyrrhena solvatur funis arena.*

Ne tibi repositum volunt: frustra. Omnia haec eo pertinent, ne hiems cessans, Cynthiae, ut solvat navem, permittat. Tum id ne irritum votum sit, precatur:

Neve inimica meas elevet aura preces!

Quodsi tamen fuerit tandem profecta, nolle se hos hiemales ventos spirare desinere, sed ut mare nautasque turbent optat:

Atque ego non *videam* tales *subsidere ventos,*
Cum tibi provectas auferet unda rates.

Recte habet *Non videam subsidere*, ne videam cessare *tales ventos*, haec, quae modo dixit, *hibernae tempora brumae.* In his quae viri eruditi tentarunt, temere ingenio obsequentes incassum ausi sunt. At sequentia sane nec mihi explicabilia videntur:

Et me defixum vacua patiaris arena
Crudelem infesta saepe vocare manu.

Varia igitur excogitaverunt;

Cum tibi provectas auferet unda rates,
Ut me defixum vacua patiaris *in ora*

vel,

Et me defixum vacua patieris *in ora*
Crudelem infesta saepe vocare manu.

Sensus quidem et constructio ita recte habent: sed multum offendor in hoc, quod *patitur* Cynthia Propertium desertum queri: immo *cogas* debuit dici vel aliquid ejusmodi. Itaque rectius, opinor, sentiunt, qui codicibus aliud subindicantibus aurem praebent. *Patiaris* autem a Beroaldo quidem et ante eum Vicentiae MCCCCLXXXI. expressum video, caeterum e nullo codice disertim enotatur, puto tamen in quibusdam ita scriptum legi. Sed *Patiatur* habent membranae Groninganae, Neapolitanae, Guarnerianae, Cujacianus Scaligeri et apud Huschkium Vallierianus; neque aliter Volscus edidit, sed praeter-

Et me defixum vacua patienter in ora
  Crudelem infesta saepe vocare manu!

V. 15. patiaris arena.

ea, ut sermoni lux sua et ordo constaret, in prima editione *Et* mutato in *Nec:*

> Nec *me defixum vacua* patiatur *in hora*
> *Crudelem infesta saepe vocare manu.*

alii correxerunt:

> *Cum tibi provectas auferet unda rates,*
> *Et me defixum vacua* patietur *in ora* etc.

neutri intelligentes, magis inepte etiam id undam pati dici, quam Cynthiam. Scaliger mutato versuum ordine rem melius habere opinatur, juvante sententiam Huschkio, *Aut* praeterea pro *Atque* reponendo ex codice Vallieriano:

> *Neve inimica meas elevet aura preces,*
> *Et me defixum vacua* patiatur *arena*
> *Crudelem infesto saepe vocare mari;*
> Aut *ego non videam tales subsidere ventos,*
> *Cum tibi provectas auferet unda rates.*

Ita sane egregie omnia cohaerent: iterum me pungit unum illud, quod aura patitur plorare Propertium. At ego totum locum verissime restitutum iri judico, si, nullo versu in alium locum transmisso, una littera unoque apice mutato pro *patiatur* scribamus *patienter*, hoc modo:

> *Atque ego non videam tales subsidere ventos,*
> *Cum tibi provectas auferet unda rates,*
> *Et me defixum vacua* PATIENTER *in ora*
> *Crudelem infesta saepe vocare manu.*

ea sententia: Nolim hoc mali experiri, ut hi flatus hiberni, cum tu abibis, subsidant, egoque cum summo dolore in litore vacuo defixus crudelem revocem. De *videndi* significatione ea ad eleg. I, 12. dictum. Catullus LXIV, 57.

> *Utpote fallaci quae tum primum excita somno*
> *Desertam* in sola *miseram* se cernit arena.

Patienter autem eo facilius librarios fefellit, quod novo nec pervulgato sensu hic positum est. Nempe ut *patientem* dicunt, cui male est, ita *patienter* est aegre, cum dolore et malis. Ita Ovidius usurpat amor. I, 14, 25.

> *Cum graciles essent tantum et lanuginis instar,*
> *Heu mala vexatae quanta tulere comae!*
> *Quam se praebuerant ferro* patienter *et igni,*
> *Ut fieret torto flexilis orbe sinus!*

Praeterea vero nihil mutandum censeo. Non laudo enim, quod Huschkius, ut praedixi, divinavit:

Sed quocumque modo de me, perjura, mereris,
Sit Galatea tuae non aliena viae;
Vites felici praevecta Ceraunia remo;
Accipiat placidis Oricos aequoribus.

V. 19. Ut te felici provecta,

Et me defixum vacua patiatur arena
Crudelem infesto *saepe vocare* mari.

In quo *vocare* improbaret Heynius, ut improbabat in Virgilii ecl. V, 23.

Cum conplexa sui corpus miserabile nati,
Atque deos atque astra vocat crudelia *mater.*

ita intellectum, *Astra dicit esse crudelia*; recte monens ille, si quid video; sed tum demum satisfacturus, si ad *cum complexa*, aliorum errori cauturus, *est* arcessi debere annotasset, quia particula *atque* non ita ut *et* uni Verbo bis jungitur: nam *et deos et astra vocat* dicimus, non *vocat atque deos atque astra.* Ut illuc redeam, nolim mutari in Propertio:

Crudelem infesta saepe vocare manu.

quod est insigni affectus veritate conspicuum, quam pauci fortasse poëtae aequarunt. Revocat crudelem dominam desertus amator, blandus voce, sed minaci infestae manus gestu simul increpans. Eodem infesto gestu navem Romanam Silianus Hannibal prosequitur II, 25.

Hic alto Poenus fundentem vela carinam
Incessens dextra, *Nostrum, pro Juppiter, inquit,*
Nostrum ferre caput parat illa per aequora puppis.

Sceleratum Thesea Ariadna apud Nasonem Epist. X, 35., ut hic *crudelem* Cynthiam, *revocat:*

Quo fugis? exclamo, scelerate revertere Theseu.

Burmannus iis, quae apud Ovidium sequuntur, nostrum locum illustrare tentat frustra, quia non sibi, sed Cynthiae infestam manum dicit.

19. UT TE FELICI PROVECTA CERAUNIA REMO] Nescio cur *provecta* Burmannus nolente sensu revocaverit: recte Broukhusius, nec sine bonis libris, Menteliano ac Neapolitano, PRAEVECTA ediderat, quod pro *praetervecta* dicitur. Lucanus X, 308.

Inde plagas Phoebi, damnum non passus aquarum,
Praeveheris, *sterilesque diu metiris arenas.*

Tacitus annali II, 6. *servatque nomen et violentiam cursus, qua Germaniam* praevehitur, *donec Oceano misceatur.* Notarunt eum usum ex aliis multi. Sed hic orationis structura non caret labe:

Ut te, felici praevecta *Ceraunia remo*

Nam me non ullae poterunt conrumpere taedae,
Quin ego fida tuo limine verba querar;

V. 22. ego, vita, t. l. vera.

Accipiat placidis Oricos aequoribus.
Praevecta quinto casu, de ea, quae Romam nondum reliquerat, tolerari nequit. Quanto rectius Flaccus Valerius I, 392.

Tu quoque Phrixeos remo, Poeantie, Colchos,
Bis Lemnon visure, *petis.*

Laudo igitur Italos hoc vitium eluere conatos, *per saeva Ceraunia* scribendo, et *vectam per caerula remo,* et *provectam (praevectam) felice Ceraunia remo,* nisi quod audentes fortuna destituit. Haud paullo melius *post victa Ceraunia* Heinsius: nec tamen probo, non quod *vinci* praenavigando Ceraunia posse cum viris doctis negem, Ovidium ita loqui memor metamorph. XIV, 76.

Hanc, Scyllam dicit, *ubi Trojanae* remis *avidamque Charybdin*
Evicere rates.

et tristium I, 10, 33. de navi, post multa litora commemorata:

Haec, precor, evincat, *propulsaque flantibus Austris*
Transeat instabiles strenua Cyaneas.

sed ita ablativi *felici remo* parum scite collocantur; et in *praevecta* latere vitium quis credat? Repono:

Sed quocumque modo de me, perjura, mereris,
Sit Galatea tuae non aliena viae;
VITES *felici praevecta Ceraunia remo;*
Accipiat placidis Oricos aequoribus.

parva mutatione ex *Vtte* (nam litteram *s* quae sequitur *f* absorpsit) *Vites* facto. Sed sollemne hoc est, *vitare Ceraunia.* Ovidius remed. amor. 739.

Haec tibi sint Syrtes, haec Acroceraunia vita.

Pontic. epist. II, 6, 9.

Cum poteram recto transire Ceraunia *velo,*
Ut fera vitarem *saxa monendus eram.*

metamorph. XIV, 74.

scopulum quoque navita vitat.

Statius Theb. IV, 224.

Quos Pylos et dubiis Malea vitata *carinis.*

Ac ne quem pronomen *te* ad *accipiat* e praecedentibus repetendum moveat, idem fieri debet libro II, 5, 24.

Nec tibi connexos iratus carpere crines,
Nec duris ausim laedere *pollicibus?*

Pariter *nobis* omissum est libro I, 13.

Ecquid te —
Nostri cura subit memores ah ducere noctes?
Ecquis in extremo restat *amore locus?*

22. QUIN EGO, VITA, TUO

Nec me deficiet nautas rogitare citatos:
Dicite, quo portu clausa puella mea est?

LIMINE VERA QUERAR] In hoc disticho haec fere in libris scriptis varietas obtinet:

Nam me non ullae poterunt corrumpere { taedae, / , de te
Quin ego, vita, *tuo* { limine / lumine verba *querar*.

Reliqua e libris Italicis enotata in censum non veniunt: *Jam me*, et *corrumpere dirae*, et *Quin ego tuta* vel *victa*, et *meo limine*, denique *verba loquar*. Jam vero *de te* et *lumine* bene habere Scaligero affirmanti caeteri se recte opponunt: de *limine* dicetur mox; de *taedis* explicabimus ad librum II, 7, 5. Sed caetera egregia essent, si id, quod Beroaldus vult, dicerent: Nullus amor alterius puellae poterit efficere, quin ego conquerar et lamentationis plena verba pronunciem. Quem sensum quia repudiant verba, critici varia, at parum similia veri excogitavere: *Quin ego sueta — verba querar*, *tuo limine dura* vel *acerba querar*; Broukhusii et Burmanni assensum retulit Livineji aliorumque commentum *Vera querar*. Id an verum sit, expendendum nobis restat. Quamvis male, inquit, de me mereris, tamen feliciter naviges; nam me nullus umquam novus amor corrumpet, quin ego in tuo limine vera querar. Quaero, quando vera queri velit. Si modo factum ais, nego. Objurgando crudelem exagitavit, tempestatem imprecatus est, tum suadente amore revocavit vota: haeccine querelae sunt? At futuro tempore vera questurum dicis. Recte quidem: Bene naviga; nam me novi amores nulli, quo minus tuo limine semper *vera* querar, subigent; et nautas de te fatigabo; nec te aliquando meam futuram desperabo. Praeclare omnia et venuste: id unum male positum *Vera querar*. Quid enim *vera* se questurum promittit? Scilicet ut pungat animum Cynthiae. Id vero nunc magis agendum est, ut flectat etiamnum, si fieri possit, duram puellam. Ea vero hoc audito indignabitur potius, quam movebitur, ut mirum sit, si glorietur postea:

Vicimus! assiduas non tulit illa preces.
Hanc ego non auro, non Indis flectere gemmis,
Sed potui blandi carminis obsequio.

Quae cum ita sint, actum est de commento Livineji. Repono igitur:

Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae,
Quin ego FIDA *tuo limine* VERBA *querar.*

servato *verba* ex libris omnibus, *fida* scripto pro *vita*, de quo vitiorum genere Joh. Schraderus notavit in Emendationi-

Et dicam, licet Atraciis considat in oris,
Et licet Eleis: Illa futura mea est.

IX. [VIII. 27.]

VIII. Hic erit, hic jurata manet. rumpantur iniqui.
Vicimus; adsiduas non tulit illa preces.
Falsa licet cupidus deponat gaudia livor;
Destitit ire novas Cynthia nostra vias.
Illi carus ego et per me carissima Roma
Dicitur; et sine me dulcia regna negat.

V. 26. Eleis, illa. 5. ego: et.

bus. Nullo novo amore se temeratum iri dicit, semper Cynthiae addictum fido animo questurum. *Verba queri* Ovidius metam. IX, 304.

moturaque duros
Verba queror *silices.*

Noster libro I, 5, 17. loco frustra sollicitato:

Et quaecumque voles fugient tibi verba querenti.

Evolvimus ita: Quaecumque *verba queri* voles querenti tibi aufugient. Denique *tuo limine*, in amore tuo. Sic Eleg. 14, 34.

Tu vero, quoniam semel es periturus amore,
Utere; non alio limine *dignus eras.*

Haustum id a Graecis. Propriam significationem cum nova hac Theocritus conjungit II, 60.

Θέςυλι, νῦν δὲ λαβοῖσα τὺ τὰ θρόνα ταῦθ' ὑπόμαξον
Τᾶς τήνω φλιᾶς καθυπέρτερον, ᾶς ἔτι καὶ νῦν
'Εκ θυμῶ δέδεμαι· ὁ δὲ μευ λόγον οὐδένα ποιεῖ.

Neque aliter atque *limen* hic, infra *domum* dicit librō II, 8, 14.

Improba, qui tulerim teque tuamque domum.

et duplici sensu, ut Theocritus, libro II, 1.

Una meos quoniam praedata est femina sensus,
Ex hac ducentur funera nostra domo.

et libro III, 17, 8.

In primis una discat amare domo.

25. LICET ATRACIIS. 26. LICET ELEIS] Lege de hoc loco Burmannum, qui *Autariis* Propertium dedisse censet et *Isseis*. In Illyrico isti populi sunt. Assentior, rationum motus pondere, non codicum, in quos ista de Itali alicuius conjectura venerunt.

IX. [VIII. 27.]

1. HIC ERIT] Hos, qui sequuntur, versus, in libris scriptis editisque junctos praecedentibus, separatim ponendos esse tam egregie, ut melius fieri non possit, Lipsius docuit

Illa vel angusto mecum requiescere lecto
Et quocumque modo maluit esse mea,
Quam sibi dotatae regnum vetus Hippodamiae,
Et quas Elis opes ante pararat equis.
Quamvis magna daret, quamvis majora daturus,
Non tamen illa meos fugit avara sinus.
Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
Sed potui blandi carminis obsequio.
Sunt igitur Musae, neque amanti tardus Apollo;
Quis ego fretus amo. Cynthia rara mea est.
Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis;
Sive dies seu nox venerit, illa mea est;
Nec mihi rivalis certos subducit amores,
Ista meam norit gloria canitiem!

X. [IX.]

Dicebam tibi venturos, inrisor, amores,
Nec tibi perpetuo libera verba fore:
Ecce jaces supplexque venis ad jura puellae,
Et tibi nunc quovis inperat emta modo.

V. 19. subducet.

Var. Lect. II, 18. Passeratio errare eum pronuncianti, Broukhusio minus recte facere censenti, Vulpio denique novam tantum affectionem induci et argumentum triste exhilarari nuncianti quod opponam nihil habeo, praeter ipsam disputationem Lipsii attentis lectoribus satisfacturam.

19. NEC MIHI RIVALIS CERTOS SUBDUCET AMORES] Rectius est, ut cum libris scriptis plerisque omnibus SUBDUCIT legamus, quia *mea est* antecessit. Caetera ne quis tangat, suo exemplo Burmannus monet, dum nimis inepte *lecto subducet* tentat. Nec trium codicum scripturae *summi* aut *somnus* pro *certos* aliud subest, quam librariorum ad *summa sidera* aberrantium error. Nihilominus apud Tibullum IV, 6, 7. aliquid huic ineptissimo *somnus subducit amores* simillimum patienter fertur:

At tu, sancta, fave, ne nox divellat amantes.

quod Italorum commentum est, ut et *ne quid divellat. Nos* habent libri meliores; puto: *Ne* fors *divellat amantes.*

X. [IX.]

4. NUNC QUOVIS] Ita expres-

Non me Chaoniae vincant in amore columbae
Dicere, quos juvenes quaeque puella domet.
Me dolor et lacrimae merito fecere peritum:
Atque utinam posito dicar amore rudis!
Quid tibi nunc misero prodest grave dicere carmen,
Aut Amphioniae moenia flere lyrae?
Plus in amore valet Mimnermi versus Homero;
Carmina mansuetus lenia quaerit Amor.
I, quaeso, et tristis istos conpone libellos,
Et cane quod quaevis nosse puella velit.
Quid, si non esset facilis tibi copia? nunc tu
Insanus medio flumine quaeris aquam.
Necdum etiam palles, vero nec tangeris igni;
Haec est venturi prima favilla mali.
Tum magis Armenias cupies accedere tigris,
Et magis infernae vincula nosse rotae,

V. 9. ducere. 19. Tunc,

sum ante Scaligerum Vicentiae anno MCCCCLXXXI. libris paucis Italicis consentientibus. Caeteri, ni fallor, omnes habent *quaevis*. Volscus anno MCCCCLXXXII. dedit *Et tibi quivis nunc*. Sed recte *quovis modo*.

7. MERITO FECERE PERITUM] Burmannus tentat: Veri *fecere peritum;* Jacobsius ad anthologiam Graecam I, 2. pag. 266.

Me dolor et lacrimae merito
fecere peritum
Vatem: *utinam posito di-*
car amore rudis.

uterque negantes *peritum* nude poni posse. At ita de officiis Cicero I, 41. *Nec vero alienum est, ad ea eligenda, quae dubitationem afferunt, adhibere doctos homines, vel etiam usu peritos, et quid iis de quoque officii genere placeat exquirere.* Tibullus quoque in simili sententia *perdocuit* absolute ponit I, 8, 6. et *rudem* noster IV, 14, 5. 16, 7. *Merito*, quod friget Burmanno, interpretor: jure per labores multos quaesito. Vide Terent. Andr. III, 2, 51. Nec facile mihi *atque utinam* eripi patiar, quod tantum amat cum noster tum alii.

9. DUCERE CARMEN. 21. TOTIS] Immerito obtrusas Propertio elegantias hic ostentant exemplaria. Alterius commenti *totis medullis* auctor exstat Janus Dousa filius: *ducere car-*

Quam Pueri totiens arcum sentire medullis,
  Et nihil ingratae posse negare tuae.
Nullus Amor cuiquam facilis ita praebuit alas,
  Ut non alterna presserit ille manu:
Nec te decipiat, quod sit satis illa parata.
  Acrius illa subit, Pontice, si qua tua est;
Quippe ubi non liceat vacuos sedúcere ocellos,
  Nec vigilare alio nomine cedat Amor,

V. 21. totis. 22. iratae. 28. nomine, cedat Amor?

men Ant. Volscus jam dedit MCCCCLXXXII, non obsequente Beroaldo. Scripti omnes, ne uno quidem demto, habent:

> *Quid tibi nunc misero prodest grave* DICERE *carmen?*
> *Quam pueri* TOTIENS *arcum sentire medullis.*

Quis jure impugnet? quis tanti ducat defendere?

22. ET NIHIL IRATAE POSSE NEGARE TUAE] Amantis miserias narrat: nihil posse negare suae. Cur vero *iratae?* quasi et blande oranti obsequi non saepe durum sit. Quin irata si poscit, amanti dulce est, redintegratum ita amorem iri speranti. Errorem librariis Propertianis perquam familiarem agnosco, ita corrigendum:

> *Et nihil* INGRATAE *posse negare tuae.*

Ingratae, quae beneficiis tuis tamen nullam habeat gratiam. Vel, si mavis, *Ingrate*: Nihil negare poteris, sed ingrate servies. Ovidius amator. art. II, 435.

> *Sunt quibus* ingrate *timida indulgentia* servit.

Vel denique *ingrate* eo sensu, quo dicit infra I, 11, 23.

> *Neu, si quid petiit*, ingrata fronte negâris;

nihil negare poteris invitus et tristi vultu: omnia libenter facies servili ingenio. Distichi sequentis interpretationem ab alio cave petas, quam ab exactissimo Huschkio in analectis criticis pag. 44.

28. NEC VIGILARE ALIO NOMINE, CEDAT AMOR?] Broukhusii explicationem jam nostri codicis scriptor posito in fine interrogandi signo agnoscere videtur. Sed non hic id agit poëta, ut amorem, si se det puella, loco semel occupato cedere neget, sed *acrius subire* contendit, non fieri lenem et facile ferendum. Ita igitur potius distingue:

> *Acrius illa subit, Pontice, si qua tua est;*
> *Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos,*
> *Nec vigilare alio nomine* cedat Amor.

Cedere non aliud saepe esse ac *concedere* ad Horatium Bentleius docet epist. II, 1, 67.

Qui non ante patet, donec manus adtigit ossa.
Quisquis es, adsiduas ah fuge blanditias.
Illis et silices possunt, et cedere quercus:
Nedum tu possis, spiritus iste levis.
Quare, et si pudor est, quam primum errata fatere.
Dicere, quo pereas, saepe in amore levat.

V. 30. effuge. 31. et possunt. 33. Quare, ni pudor.

30. ADSIDUAS EFFUGE BLANDITIAS] Divinatio e codice Commeliniano petita correctoris Itali, *aufuge*, quod caeteri habent, Latinum non esse ante Passeratium et Broukhusium perspicientis. Probabilius corrigunt *O fuge* Passeratius et AH FUGE Boltius in silva critica pag. 73. Hoc posterius verum puto, ut ex *a fuge* natum sit *aufuge*.

31. ET POSSUNT] Meliore positu et numerosiore Groninganus:

Illis et silices POSSUNT ET *cedere quercus.*

Neapolitanus, plaudentibus Heinsio, Broukhusio, Burmanno: *et possint.* Non accipio. Vide lib. III, 3, 16. 6, 40. 31, 18.

33. QUARE, NI PUDOR EST, QUAM PRIMUM ERRATA FATERE] Libri meliores cuncti *Si pudor est.* Id Marklandus ita interpretatur cum Passeratio: si quid pudoris reliquum habes; nisi id facias, te impudentissimum dicam. At impudentiae non magis quam pudoris est fateri amorem suum. Possis et hoc modo interpretari: si pudet te errati tui. Sed causa quidem nulla erat, cur quorum puderet fatentem audire Propertius mallet. Hoc sentientes Itali ante Beroaldum reposuere:

Quare, si pudor est quam primum errata fateri,
Dicere quo pereas saepe in amore levat.

Ita eodem tempore Joh. Calphurnius Vicentiae, Romae Ant. Volscus ediderunt, sed praeterea *juvat* pro *levat*, ne a Beroaldo primum invectum esse Broukhusio credas. Et bene quidem ferri posset ea lectio *fateri*, nisi illud *Quare* esset, quod quo refert structura orationis, inde secludit sententia. Alius igitur corrector in Ang. Colotii libro et post eum Dousa, non tacto verbo *fatere*, *Ni pudor est* reposuerunt, hoc sensu, si puderet Ponticum, ut ne fateretur erratum. Quid vero, si sic quoque scire volebat Propertius? Et voluisse, ex eo, quod subjecit, apparet:

Dicere, quo pereas, saepe in amore levat.

Nam etiam in pudendo amore id levat. Repone:

Quare, ET SI *pudor est, quam primum errata fatere.*

Etsi pudet te fateri, inquit, ta-

XI. [X.]

O jucunda quies, primo cum testis amori
  Adfueram vestris conscius in lacrimis!
O noctem meminisse mihi jucunda voluptas,
  O quotiens votis illa vocanda meis!
Cum te complexa morientem, Galle, puella
  Vidimus et longa ducere verba mora.
Quamvis labentis premeret mihi somnus ocellos,
  Et mediis caelo Luna ruberet equis,
Non tamen a vestro potui secedere lusu;
  Tantus in alternis vocibus ardor erat.
Sed quoniam non es veritus concredere nobis,
  Accipe conmissae munera laetitiae.
Non solum vestros didici reticere calores:
  Est quiddam in nobis majus, amice, fide.
Possum ego diversos iterum conjungere amantis,
  Et dominae tardas possum aperire fores,

V. 13. dolores.

men dicito. Naso remed. amor. 359.

Multa quidem ex illis pudor *est mihi* dicere.

metamorph. XIV, 18.

pudor est *promissa precesque*
Blanditiasque meas contemtaque verba referre.

Lygdamus (Tibull. III.) 2, 7.

Nec mihi vera loqui pudor est *vitaeque* fateri
Tot mala perpessae taedia nata meae.

XI. [X.]

11. CONCREDERE NOBIS] Ita emendantem Beroaldum caeteri recte secuti sunt. *Concedere* est in libris scriptis.

13. VESTROS DIDICI RETICERE DOLORES] Quos *dolores*, et unde susceptos? Immo *laetitiam*, ut erat versu proximo. Nec *lacrimae* profecto, quas versu 2. et eleg. XIV, 16. commemorat, doloris fuere; et Passeratio tristitia sua umbram faciebat, aegritudines et amoris mala intelligenti, quia *morientem* dixerit supra versu 5. Est qui hoc videat, aliud ita non videat, ut, cum reprehendi se sciet, causam ignoraturus sit. Scilicet *dolorem* ille *vocabulum de amore solenne* appellat. Sed nihil dico, ne, qui nesciunt rem, a me discant, scientes doctoris gravitatem rideant. Scribe:

Et possum alterius curas sanare recentis,
Nec levis in verbis est medicina meis.
Cynthia me docuit semper quaecumque petenda
Quaeque cavenda forent; non nihil egit Amor.
Tu cave, ne tristi cupias pugnare puellae,
Neve superba loqui, neve tacere diu;
Neu, si quid petiit, ingrata fronte negaris;
Neu tibi pro vano verba benigna cadant.
Inritata venit, quando contemnitur illa,
Nec meminit justas ponere, laesa, minas:
At quo sis humilis magis et subjectus amori,
Hoc magis effecto saepe fruare bono.
Is poterit felix una remanere puella,
Qui numquam vacuo pectore liber erit.

XII. [XI.]

Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Baiis,
Qua jacet Herculeis semita litoribus,

V. 28. effectu.

Non solum vestros didici reticere calores.

Ita ante me, quod Burmanno praetermissum, Guyetus et Heinsius. Minus bene, sed ut intellexisse, quod multos latuit, videas, Antonius Volscus bis edidit *reticere furores.*

17. ALTERIUS CURAS SANARE RECENTES] Iterum ille vir amandi magistrum agit. „*Curas recentes*, inquit, eorum, qui in amore tirocinia ponunt: *cura* de amore apud poëtas obvium. v. Barth. ad Claudian. I, in Eutrop. 362. p. 1330. Burm. Anthol. Lat. T. I. p. 672." De *cura* ita verum, ut de *doloribus:* male virorum doctorum aliud, quam ipse vult, dicentium abutitur auctoritate. Tum cujus judicii est, tironem facere veteranum amatorem Gallum! Egregie et ingeniose, ut semper, Fridericus Jacobsius: *curas sanare vegentes.* Sed *recentes curas* ita cape: dum recentes sunt, necdum inveteratae. Neque aliter apud Tibullum intellige libro I, 2, 1.

Adde merum, vinoque novos compesce dolores.

28. EFFECTU] Ita primi, ni fallor, Scaliger et Dousae. Sed cur scriptam lectionem rejiciamus?

Hoc magis effecto *saepe fruare bono.*

Promisce enim illa vocabula usurpari consuerunt, parva ab

Et modo te Protei mirantem subdita regno
Proxima Misenis aequora nobilibus

V. 3. Thesproti.

initio differentia significationis discriminata, ut *effectus* temporis praesentis, *effectum* autem praeteriti; et *eventus* pariter, quod évenit, quod événit, *eventum.*

XII. [XI.]

2. QUA JACET HERCULEIS SEMITA LITORIBUS] Burmannus vult *Qua patet, jacere* negans recte dici de semita. Non ausim assentiri; nam et *jacet* via, quae neque ascendit nec descendit, ut Manilius I, 241.

Et pariter surgente via *pariterque* cadente;

et situm simpliciter indicare potest id vocabulum: Ovidius trist. IV, 7, 21.

Innumeri montes inter me teque, viaeque,
Fluminaque et campi, nec freta pauca, jacent.

Caetera autem, quae Burmannus hic, librarii Groningani *litora* pro *Cynthia* versu primo exhibentis errori confisus, praeterea tentat, ea ut oblivioni cum aliis permultis mandentur, auctor sum. Nec *Et quid* probanti Burmanno accedent, qui Bentlejum inspexerint ad Terent. Andr. prol. 25.

3. ET MODO THESPROTI. 4. PROXIMA] Hanc scripturam, in libris optimis aut expressam aut subindicatam, variis expositionibus, quarum partem Burmannus aliis omissis attigit, illustrare frustra conati sunt. Josephus Scaliger codicem Cujacianum secutus *Et modo* iterat:

Et modo Thesproti mirantem subdita regno
Et modo *Misenis aequora nobilibus.*

aequora Puteolis et Misenis subjecta intelligens. Sed quis ita loquitur: portui *subditum* mare? Quis *Thesproti regna* appellat regnum Abantum a Thesprotia Epiri, cui Thesprotus nomen fecit, in Campaniam transmissorum? Valeat igitur, qui *repetitionem τῦ* et modo *orationem magis vividam reddere et Propertii genio apprime convenientem esse* ex sepulta praeteritaque doctrina narrat, *vocem* proxima *omnino a grammatico margini adscriptam fuisse et inde in textum irrepsisse videri* sibi testatus. Burmanno unice probatur sententia Sannazarii corrigentis:

Et modo te Prochytae *mirantem subdita regno*
Proxima Misenis aequora nobilibus.

Prochyta insula est in eo tractu sita. Sed emendationem Latinitas respuit. Nam quod afferunt ex Virgilio Aen. VII, 734. *Teleboum Capreas cum regna teneret*, id quidem diversum

Nostri cura subit memores ah ducere noctis?
Ecquis in extremo restat amore locus?
An te nescio qui simulatis ignibus hostis
Sustulit e nostris, Cynthia, carminibus?

V. 7. quis.

est, quia Virgilius *aequora Caprearum regna* non dixit. Quale nomen hic lateat, Janus Parrhasius egregie percepit, id, puto, in primis animum advertens, non regionem aliquam, sed aequora huic regi subdita narrari. Quod reputans nemo, opinor, ei adversabitur reponenti:

Et modo TE PROTEI *mirantem subdita regno*
Proxima Misenis aequora litoribus.

Proteus enim ad Capreas portui Miseno et Bajis vicinas habitare fingitur. Vide Silii locum a Parrhasio jam allatum, libro VII, 409 – 421.

5. AH DUCERE. Merito Scaliger hanc emendationem suam *perspicue veram* appellat, codice Groningano confirmante, in quo est *aducere:* caeteri *adducere.*

6. ECQUIS IN EXTREMO RESTAT AMORE LOCUS] Mirum profecto loquendi genus. Hoc modo praeter interpretum mentem intelligo: Ecqua mihi parva amoris tui pars residua est? non magnum in me amorem tuum esse scio: sed ecquisnam in eo mihi locus est? *Extremum* pro minimo dici videbis supra eleg. IV, 11., apud Nemesianum in cyneg. 231., in Statii silv. I, 2, 100. Credo igitur Propertium ita scripsisse. Certe Passeratii divinationem probare nequeo,

Ecquis in externo *restat amore locus?*

quae verba ambigua sunt et difficiles explicatus habent. Primum potes ita capere: Ecquis mihi in amore tuo, exteris vel alienis nunc dato, locus restat? Ita *externum amorem* dixit noster I, 3, 44. III, 28, 31. Ovidius epist. V, 102. metam. XIV, 380. Sabinus epist. II, 16. Sed parum aptum est, ut externos amatores hic jam sciat adesse, de quibus sequente disticho demum suspicatur. *Externus* vero *amor* aliter quoque dicitur, cjus qui absentem amat; vide Statium silv. I, 2, 204.; ut exponere possis: Ecquis mihi quoque inter absentes, quos amas, locus relictus est? Sic vero dixisset rectius: Num ego tibi externus amor sum? ut alios, quos Cynthia amatores Romae reliquisset, excluderet. Quae cum ita sint, vulgaris omnium codicum scriptura me quidem judice maneat in loco suo.

7. NESCIO QUIS] Exigua pars negligentiae, quae huic disticho intolerabilem σιγματισμὸν irrepere passa est, recte pote-

Atque utinam mage te remis confisa minutis
  Parvola Lucrina cumba moretur aqua,
Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda
  Alternae facilis cedere lympha manu,
Quam vacet alterius blandos audire susurros
  Molliter in tacito litore conpositam,
Ut solet amoto labi custode puella
  Perfida, conmunis nec meminisse deos;
Non quia perspecta non es mihi cognita fama,
  Sed quod in hac omnis parte veretur amor.

V. 18. timetur.

rit in librarios transferri, qui male scripserunt *An te nescio quis simulatis* pro *Nescio qui*.

11. TEUTHRANTIS] Suum nomen restitutum sibi *Teuthras* sive fluvius sive euripus (nam aliunde notus non est) Josepho Scaligero debet. Codices habent fere *Teutantis*.

18. SED QUOD, IN HAC OMNIS PARTE TIMETUR AMOR] Iste versiculus loci suavissimi sententiam penitus intervertit. Quid enim dicit? Ideo se Cynthiam Bajis versari nolle, quod in hac parte timeatur omnis amor. Quaerendum, *in hac parte* quid sit. Si locum intelligit, Bajas, *omnis* caret sensu: timet amator ab eus, ne suo amori externus noceat, omnem amorem non timet. Sin ad fidem refers, *omnis amor* erit, vel certissimus: ei timetur sane, at non timetur ipse amor. Repono:

Non quia perspecta non es mihi cognita fama,
Sed quod in hac omnis parte veretur *amor*.

Hoc erat, quod volebat. In hac parte (fidem dicit) omnis amor timidus est, quia

Res est solliciti plena timoris amor.

Ovidius epist. XIX, 107., loco huic persimili:

Nec, quia venturi dederis mihi signa doloris,
Haec loquor, aut fama sollicitata nova:
Omnia sed vereor; quis enim securus amavit?
Cogit et absentes plura timere locus.

Recte autem *vereri* absolute positum est, hoc est, neque accusativo, neque infinitivo, neo conjunctivo adjectis. Terentius Adelph. IV, 5, 64.

Nisi tam misere hoc esse cupio verum; eo vereor *magis.*

Actu V, 3, 41.

video eos sapere, intellegere, in loco
Vereri, *inter se amare.*

Plautus Bac. I, 2, 50.

Satis historiarum est. Hic vereri *perdidit.*

Ignosces igitur, si quid tibi triste libelli
  Adtulerint nostri; culpa timoris erit.
Ah mihi non major carae custodia matris
  Aut sine te vitae cura sit ulla meae.
Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,
  Omnia tu nostrae tempora laetitiae.

V. 21. An.

Omnem amorem dicit, amoris eam esse naturam significans. Noster apud Fulgentium de prisco sermone:

Dividias mentis conficit omnis amor.

Ovidius Remed. amor. 462.

Successore novo vincitur omnis amor.

Tibullus I, 5, 60.

nam donis vincitur omnis amor.

quo loco qui *non* reponunt, *vincitur* male intellexerunt, quod quid sit, docet Lygdamus quoque (Tibull. III.) VI, 4.

Saepe tuo cecidit munere victus amor.

ubi frustra tentant *cessit*, cum alterum Catullus tueatur XI, 22.

Nec meum respectat, ut ante, amorem,
Qui illius culpa cecidit, *velut prati*
Ultimi flos, praetereunte postquam tactus aratro est.

21. AN MIHI NON MAJOR CARAE CUSTODIA MATRIS, AUT SINE TE VITAE CURA SIT ULLA MEAE?] Sic libri meliores cuncti, nullo quidem sensu, aut ei, qui debet esse, contrario. Libri Italici: *An mihi* sit *major*. Burmannus: At *mihi non major* — Ut *sine te*. Beckius: *An mihi* nunc *major*. Repone:

AH, *mihi non major carae custodia matris*
Aut sine te vitae cura sit ulla meae.

Sit, esse potest, foret; ut saepe.

24. OMNIA TU NOSTRAE TEMPORA LAETITIAE] Passeratius exponit: Quocumque tempore laetamur, id tibi omne acceptum ferimus. Immo potius: Tu laetitiam nobis et facis et aufers; tu es omne momentum laetitiae meae, bona et adversa nostrae laetitiae tempora. Nam *tempus* ut fortunam adversam significat; vide Manutium ad Ciceron. ad Div. I, 9.; ita pro secunda quoque fortuna dicitur. Valerius Flaccus I, 543.

Accelerat sed summa dies, Asiamque labantem
Linquimus, et poscunt jam me sua tempora *Graii.*

ut Pindarus Pyth. I, 56.

Οὕτω δ' Ἱέρωνι θεὸς ὀρθωτὴρ πέλοι
Τὸν προσέρποντα χρόνον, ὧν ἔραται, καιρὸν διδούς.

Sed et *μέσως*, ut hic noster, usurpat Lucretius V, 1275.

Sic volvunda aetas commutat tempora *rerum:*

Seu tristis veniam seu contra laetus amicis,
 Quicquid ero, dicam: Cynthia causa fuit.
Tu modo quam primum conruptas desere Bajas;
 Multis ista dabant litora dissidium,
Litora, quae fuerant castis inimica puellis.
 Ah pereant Bajae crimen amoris aquae!

XIII. [XII.]

Quid mihi desidiae non cessas fingere crimen,
 Quod faciat nobis conscia Roma moram?
Tam multa illa meo divisa est milia lecto,
 Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano;

V. 28. dabunt. 29. fuerunt. 4. Quanta.

Quod fuit in pretio, nullo fit denique honore;
Porro aliud succedit et e contemptibus exit.

tempora, fortunam, sortem. Neque aliter Thucydides I, 36. *Ὅταν ἐς τὸν μέλλοντα καὶ ὅσον οὐ παρόντα πόλεμον, τὸ αὐτίκα περισκοπῶν, ἐνδοιάζῃ χωρίον προσλαβεῖν, ὃ μετὰ μεγίστων καιρῶν οἰκειοῦταί τε καὶ πολεμοῦται.* *civitatem, quam amicam adversamve habuisse magni momenti fuerit.*

28. DABUNT LITORA DISSIDIUM] Recte Burmannus DABANT corrigit e Vossiano, volente etiam meliore codice Bononiensi. Frustra enim, praesertim *fuerant* vel *fuerunt* sequente, *dabunt* pro dant vel daro solent positum comminiscuntur. Sed *discidium* Burmannus e Neapolitano et tribus aliis (nam Neapolitanum, in quo ita legi testis sum, et quintum Vaticanum et duo D'Orvillianos videtur velle, dum quintum Neapolitanum et D'Orvillianos dicit) non debuit praeferendum judicare. Redire Bajis Cynthiam poëta cupit, ne amoribus implicata ibi a se dissideat. Discidium jam eo, quod puella abiverat, passus erat; id cupiebat tolli, ne e discidio, ut aliis multis, per delicias Bajanas oriretur dissidium. Haec notae Jo. Fr. Gronovii ad Livium XXV, 18. observationi convenienter disputata sunt, ubi et nostrum locum obiter tangit, ut eum Burmannus ad suam sententiam tuendam advocare neutiquam debuerit.

29. QUAE FUERUNT] Scripti omnes et editi ante Scaligerum FUERANT, idque cum praeterito *dabant* melius concinit, quam praesens *fuerunt*. Praeterea Cannegieterum vide ad Avianum pag. 316. et Propertium I, 17, 1. lib. III, 4, 22. 27, 7.

XIII. [XII.]

4. QUANTA HYPANIS] Hein-

Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores
Cynthia; nec nostra dulcis in aure sonus.

V. 6. sonat.

sii emendatio, necessaria futura, si *dissidet* abesset: nunc libros scriptos QUANTUM exhibentes sequamur. Livius XXII, 1. *Matronaeque, pecunia collata*, quantum *conferre cuique commodum esset, donum Junoni Reginae in Aventinum ferrent.*

6. NEC NOSTRA DULCIS IN AURE SONAT] In his verbis explicandis interpretes in diversa abeunt. Vulpius eum, cui

neque amare aliam, neque ab hac discedere fas est,

non amplius dulce sibi Cynthiae nomen dicere opinatur. Melius Broukhusius intelligit de Cynthia dulces poëtae suo nugas in aurem garriente. Burmannus de tinnitu aurium, tristia amatori de absentis fide narrantium, cum felici contra, ut ait Lucretius IV, 1058.

si abest, quod amet, praesto simulacra tamen sint
Illius, et nomen dulce obvorsetur ad aureis.

Horum uterque praesidium sententiae suae arcessunt ex epigrammate Anthologiae Latinae III, 202., quod totum apponimus elegantiae ergo et ut emendetur:

Garrula quid totis resonas mihi noctibus auris?
Nescio quem dicis nunc *meminisse mei.*
Hic quis sit, quaeris? resonant tibi noctibus aures,
Et resonant totis: Delia te loquitur.
Non dubie loquitur me Delia: mollior aura
Venit, et exili murmure dulce fremit.
Delia non aliter secreta silentia noctis
Submissa ac tenui rumpere voce solet,
Non aliter teneris collum complexa lacertis
Auribus admotis condita verba dare.
Agnovi. verae venit mihi vocis imago;
Blandior arguta tinnit in aure sonus.
Ne cessate, precor, longos gestare susurros.
Dum loquor haec, jam vos obticuisse queror.

Versu secundo lege:

Nescio quem dicis num *meminisse mei?*

Tum: Hem, *quis sit, quaeris.* In fine velim: *longos* garrire *susurros.* Nam *gestare verba*, quod e Seneca epist. CXXIII. accient, differt: *Hi sunt, qui vitia tradunt, et alio aliunde transferunt. Pessimum genus hominum videbatur, qui* verba gestarent: *sunt quidam, qui vitia gestant.* Verba gestant, qui

Olim gratus eram. non illo tempore cuiquam
Contigit, ut simili posset amare fide.

differunt alios tacenda vulgando. E Plauto disces, qui *gestare crimina*, id est, criminationes, dixit Pseud. I, 5, 12.

> *Homines, qui* gestant, *quique auscultant* crimina,
> *Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant,*
> Gestores *linguis*, *auditores auribus.*

Haec in transcursu. Sed Broukhusius, Martiale addito III, 63.

> *Inter femineas tota qui nocte cathedras*
> *Desidet atque aliqua semper* in aure sonat.

quinti sextique ex illo epigrammate distichi assensu contentus est: Burmannus totum in usus suos convertit, allato insuper Meleagri epigrammate LIII., e quo et ipso eximemus vitium:

> *Αἰεί μοι δύνει μὲν ἐν οὔασιν ἦχος ἔρωτος,*
> *ὄμμα δὲ σῖγα πόθοις τὸ γλυκὺ δάκρυ φέρει.*
> *οὐδ' ἡ νύξ, οὐ φέγγος ἐκοίμασεν, ἀλλ' ὑπὸ φίλτρων*
> *ἤδη που κραδίᾳ γνωστὸς ἔνεστι τύπος.*
> *ὦ πτανοί, μὴ καί ποτ' ἐφίπτασθαι μέν, Ἔρωτες,*
> *οἴδατ', ἀποπτῆναι δ' οὐδ' ὅσον ἰσχύετε.*

Lege: *ὦ πτανοί μοι ἀεὶ ποτ' ἐφίπτασθαι.* Jacobsius: *μή μοί ποτ'*, quod non magis verum censeo, quam quod Meleagrum versu primo putat dicere, se nihil audire et accipere, nisi quae ad amores suos spectent. Jam utra verior loci Propertiani explicatio sit, Broukhusiine an Burmanni, certo dici vix potest. Broukhusianam vidi qui praeferrent, quod ea, quae Cynthiae absentia amiserat, enumerare videretur:

> *Nec mihi* consuetos amplexu *nutrit* amores
> *Cynthia, nec nostra dulcis in aure sonat.*

Sed utut hoc sit, vitio laborat oratio. Aut enim jungenda haec sunt *sonat dulcis.* Quid vero hoc est? Nam *sonat dulce* quid sit, intelligo: non, quid *dulcis sonat.* Aut *Cynthiae* epitheton *dulcis* est:

> Cynthia *nec nostra* dulcis *in aure sonat.*

Id vero alieno loco ponitur, cum jam praecesserit *illa.* Aut denique *dulcis* substantivi loco est, quomodo *formosam* usurpant Romani, nos autem omnia, *die süsse, die schöne, die gute.* At Latini nec *dulcem* ita dicunt, nec *candidam;* et ne te Tibullus fallat IV, 4, 19.

> *At nunc tota tua est; te solum* candida *secum*
> *Cogitat; et frustra credula turba sedet.*

recte id Heynius cum Vulpio interpretatur: candide, candida mente cogitat. Apud Propertium vero repone:

> *Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores*
> *Cynthia; nec nostra dulcis in aure* SONUS.

Invidiae fuimus. num me deus obruit, an quae
  Lecta Prometheis dividit herba jugis?
Non sum ego, qui fueram; mutat via longa puellas.
  Quantus in exiguo tempore fugit amor!
Nunc primum longas solus cognoscere noctis
  Cogor et ipse meis auribus esse gravis.
Felix, qui potuit praesenti flere puellae! —
  Non nihil aspersis gaudet Amor lacrimis; —

Hoc si in Broukhusii sententiam interpretari vis, Meleagri epigrammate tuemur CVI.

Ναὶ τὸν Ἔρωτα, θέλω τὸ παρ' οὔασιν Ἡλιοδώρας
Φθέγμα κλύειν, ἢ τᾶς Λατοΐδεω κιθάρας.

Sin Burmannum sequeris, nos quoque ex isto Latino epigrammate proficiemus, in quo habes:

Blandior *arguta tinnit* in aure sonus.

9. NUM ME] Sic unus, quantum constat, codex Heinsianus; recte tamen. Plerique *non*, cum quibus Neapolitanus facit: *nunc* Groninganus. Caeterum ne quid tentes cave. *Quae* post *an* pro *aliqua* positum est. Reliqua Hemsterhusius optime expedivit.

11. NON SUM EGO QUI FUERAM. MUTAT VIA LONGA PUELLAS] Burmannus vult: *Non sum ego* quod *fueram*; scilicet quia ita Ovidius loquitur trist. III, 11, 25. Sed certior imitatore testis exscriptor, Maximianus eleg. I, 5.

Non sum qui fueram; *periit pars maxima nostri.*

Aliter tamen, quam illi, noster hoc usurpat. Intelliges ex libro II, 10, 1.

Iste quod est, ego saepe fui. *sed fors et in hora*
Hoc ipso ejecto carior alter erit.

et III, 18, 36.

Essem ego quod nunc tu: *tempore* vincor *ego.*

Mutari autem dicuntur, qui ab amore desciscunt. Propertius saepe:

Mutatum *domina cogis abire mea.*
Quid tantum merui? quae te *mihi crimina* mutant?
At me *non aetas* mutabit *tota Sibyllae.*
Nil ego non patiar. numquam me *injuria* mutat.
Quod si forte aliqua nobis mutabere *culpa.*

Catullus LXVII, 7.

Dic agedum nobis, quare mutata *feraris*
In dominum veterem deseruisse fidem.

Ovidius amor. I, 10, 10.

Nec facies oculos jam capit ista meos.
Cur sim mutatus, *quaeris. quia munera poscis;*

Idem tristium IV, 7, 19.

Aut si despectus potuit mutare calores;
  Sunt quoque translato gaudia servitio.
Mi neque amare aliam neque ab hac discedere fas est:
  Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

XIV. [XIII.]

Tu, quod saepe soles, nostro laetabere casu,
  Galle, quod abrepto solus amore vacem:
At non ipse tuas imitabor, perfide, voces;
  Fallere te numquam, Galle, puella velit.
Dum tibi deceptis augetur fama puellis,
  Certus et in nullo quaeris amore moram,
Perditus in quadam tardis pallescere curis
  Incipis et primo labsus abire gradu.
Haec erit illarum contemti poena doloris;
  Multarum miseras exiget una vices;
Haec tibi volgaris istos conpescet amores;
  Nec nova quaerendo semper amicus eris.
Haec ego, non rumore malo, non augure doctus:
  Vidi ego; me, quaeso, teste negare potes?

Haec ego cuncta prius, quam te, carissime, credam
  Mutatum *curam deposuisse mei.*

His consideratis virorum doctorum divinationes improbabis.

17. AUT SI DESPECTUS] *Aut qui* Heinsio et Hemsterhusio placet scribi, quia *felix qui* antecessit. Sed alterum elegantem orationi varietatem infert. Libro III, 17, 31.

Dura est, quae *multis simulatum fingit amorem,*
  Aut se plus uni si qua *parare potest.*

XIV. [XIII.]

7. PERDITUS IN QUADAM] Nimis abrupta, ni fallor, oratio. Puto: *Perditus* en *quadam*, ut libro III, 26, 7.

Ut Semela est combustus, ut est deperditus Io.

Vel:

Perditus, en quamdam *tardis*
  pallescere curis
Incipis.

Pallere accusativo junctum illustrat Huschkius in analectis criticis pag. 29. Ibidem pag. 155. *abire* in versu minore, quod, e Palatino chartaceo et Heinsiano tantum enotatum, caeteri fere in *adire* mutaverunt, ab Italis *amore* vel *amare*

Vidi ego te toto vinctum languescere collo
Et flere injectis, Galle, diu manibus,
Et cupere optatis animam deponere labris,
Et quae deinde meus celat, amice, pudor.
Non ego conplexus potui diducere vestros;
Tantus erat demens inter utrosque furor.
Non sic Haemonio Salmonida mixtus Enipeo
Taenarius facili pressit amore deus;

reponentibus et a caeteris correctoribus pulcherrima expositione defendit.

17. OPTATIS ANIMAM DEPONERE LABRIS] *Deponere verbis* omnes in scriptis suis repperere: *Labris* Passeratius e libro vetusto, hoc est, ex verissima Itali divinatione. *Optatis* languere viri eruditi censent, non ego, qui expono de osculis diu petitis, quae negata prius tum avido ore Gallus imbibebat. Ita habebimus, quod Huschkius quaerebat, *verbum, quo puellae prius reluctantis, mox cedentis amatori actio ob oculos ponatur.* Sic Catullus LXIV, 373.

Quare agite, optatos *animi conjungite* amores.

Statius Silv. I, 2, 20.

Amplexum niveos optatae *conjugis artus.*

Idem Theb. IV, 774.

Sed quid ego haec, fessosque optatis *demoror* undis?

Antholog. Lat. III, 272.

Candida jam nostris aptentur crura lacertis,
Suspenso maneat poplite noster amor.
Lusibus optatis *noctis luctemur in umbris,*
Pervigiles laudet jam rubicunda dies.

ubi versum secundum ita scribo:

Suspenso tumeat *poplite noster amor,*

eo sensu, quo apud Tibullum accipiunt I, 8, 36.

Dum tumet *et teneros conserit usque sinus.*

Id tamen de juventutis flore potius intelligendum recte docet in Observationibus Aeschyleis Wunderlichius; itaque etiam auctorem epigrammatis Anthol. Lat. III, 227. posuisse suspicor:

Quid saevis, Sybari? domiti modo terga juvenci
Quid premis, et tenerum currere cogis equum,
Dum tumet *ac novus est, et adhuc non novit amorem?*
Parce: premendus erit, cum veteranus erit.

ubi vulgo *Dum stupet* legitur. Sed jam pudet nequitiarum: ineptiae repellendae veniunt.

21. MIXTUS ENIPEO] Ubi Passeratius: „Quasi mare ipsum, inquit, mixtum fuerit cum aqua dulci, hoc est, Neptunus confusus cum Enipeo, assumpta

Nec sic caelestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit ab Oetaeis gaudia prima jugis.

ejus specie." Tu egregium istud commentum missum facito: hujus usus exempla accipe. Propertius III, 24, 5.

Mixtam te varia laudavi saepe figura,
Ut quod non esses esse putaret amor.

Statius Theb. V, 155.

tu Martia testis Enyo,
Atque inferna Ceres, Stygiaeque Acheronte recluso
Ante preces venere deae: sed fallit *ubique*
Mixta *Venus; Venus arma tenet, Venus admonet iras.*

In eadem historia alio nec minus raro loquendi genere Flaccus Valerius II, 174.

Has inter medias Dryopes in imagine *maestae*
Flet Venus et saevis ardens dea planctibus instat.

Sic tamen Ovidius quoque metam. II, 444.

Et timuit primo, ne Juppiter esset in illa.

Apud eumdem metam. III, 463. Narcissus ad imaginem suam,

In te ego sum; *sensi, nec me mea fallit imago.*

quomodo ibi ex codice Mediceo Heinsius rectissime edidit. Idem Remed. Amor. 384.

Peccat, in Andromache *Thaida si quis agat.*

ubi ex grammaticorum decretis *Andromacha* scribendum est; vide Valerium Probum pag. 1446. Tristium III, 4, 29.

Nec natum in flamma vidisset, in arbore *natas.*

Inde est, quod Virgilius Georg. IV, 444. dixit:

Verum ubi nulla fugam reperit pellacia, victus
In sese redit, *atque hominis sic ore locutus.*

quomodo Appulejus quoque metam. III. pag. 59. Pric. *Nam rosis tantum demorsicatis* exibis asinum, *statimque* in meum Lucium *postliminio* redibis. Hinc corrupto Ovidii loco salus Amor. II, 15, 9. ubi anulum alloquitur:

O utinam fieri subito mea munera possim
Artibus Aeaeis Carpathiive senis.
Tunc ego te *dominae cupiam tetigisse papillas,*
Et laevam tunicis inseruisse manum.
Elabar *digito, quamvis angustus et haerens,*
Inque sinum mira laxus ab arte cadam.

Medium distichon ineptissimum est, praesertim cum *elabar* et *cadam* sequantur. Suam elegantiam versibus restitues scribendo,

Tunc in te *dominae cupiam tetigisse papillas.*

Longiores in his, quam pro suscepti operis ratione, fuimus, cum quia intererat nostra, ut elegantes illi Nasonis versiculi emendatiores in posterum legerentur, tum quod

Una dies omnis potuit praecurrere amores;
 Nam tibi non tepidas subdidit illa faces,

V. 25. amantes.

Hemsterhusium illud Luciani de Jove, Dial. Deor. XX. ὁπότε ἤδη ἐν τῷ ἀετῷ ἦν; nullis exemplis tuitum esse intelligebam. Sed apud Graecos nihil ejusmodi reperi.

24. AB OETAEIS GAUDIA PRIMA JUGIS] Sic Scaliger, *Ab Octaeis*, et vere, ni fallor: scripti *In Oetaeis*. Johannes Schraderus;

Sensit ab Oetaeis gaudia
prima rogis,

pulchre, seu librariorum errorem seu Propertium ipsum correxerit.

25. UNA DIES OMNES POTUIT PRAECURRERE AMANTES] Audi hic interpretem. Illud *Eleganter* moris sui praefatus, tempori, quod erat hominis, tribui dicit; hoc velle poetam: una die potuisti furore, ardore, omnes superare et vincere amantes. Lepida sane sententia! Una die omnes, qui omni aevo amaverant, suo ardore superavit Gallus. Cur vero non una hora potius, unove momento? Id tamen majus etiam erat. Sed totum sententiae ambitum vide: Non sic Tyro Neptunus, nec sic Hercules Heben arsit; tu una die omnes amatores superasti. Quid, malum, *una die?* Immo illa die tu unus ac solus. Aliter, puto, Heinsius et Burmannus accepere; certe ita legi volunt;

Una adeo haec (*vel* en) *omnes*
potuit praecurrere amantes.

hoc, ni fallor, sensu: Omnes, quae ante amaverant, puellas haec una de gradu dejecit. Immo vero: in quarum tu vagabaris amore aut vagaberis. Repone:

Una dies omnes potuit prae-
currere AMORES.

hoc est, Una dies, qua tu hanc puellam vidisti, amoribus tuis (nam amoris desultorem fuisse supra dixit) finem imposuit. Sequentia confirmant:

Nam tibi non tepidas sub-
didit illa faces,
Nec tibi praeteritos passa est
succedere fastus,
Nec sinet abduci: te tuus
ardor aget.

Similia, sed de alia die, Lucretius habet III, 911.

misero misere, aiunt, omnia
ademit
Una dies infesta tibi tot prae-
mia vitae.

Praecurrere est praevertere, auferre. Idem Lucretius I, 372.

Illud in his rebus ne te dedu-
cere vero
Possit, quod quidam fingunt,
praecurrere *cogor.*

Valerius Flacc. I, 804.

mors sera viam tentataque
claudat
Effugia, et nostras nequeat
praecurrere *diras.*

Nec tibi praeteritos passa est succedere fastus,
  Nec sinet abduci; te tuus ardor aget.
Nec mirum, cum sit Jove dignae proxima Ledae
  Et Ledae partu, gratior una tribus,
Illa sit Inachiis et blandior heroinis,
  Illa suis verbis cogat amare Jovem.
Tu vero, quoniam semel es periturus amore,
  Utere; non alio limine dignus eras.

V. 29. digna, et. 54. Urere.

Amantes et *Amores* a librariis confundi videbis apud Tibullum I, 8, 71. 9, 1. Ibi cave *teneros amores* scribas e libris futilibus. Recte habet:

Quid mihi, si fueras miseros *laesurus* amores.

Misere amare notum: *miserum amorem* Catullus dicit XCI, 2.

Non ideo, Gelli, sperabam te mihi fidum
In misero *hoc nostro, hoc perdito* amore *fore.*

et XCIX, 15.

Quam quoniam poenam misero *proponis* amori.

29. QUUM SIT JOVE DIGNA, ET PROXIMA LEDAE] Burmannum ita interpretantem: cum Juno sit et Ledae proxima, refutari nihil opus est. *Tres* heroinas Ledam cum Helena atque Clytaemnestra dici satis constat. Sed ita *dignam Jove* puellam frustra narrat, cum sequatur:

Illa suis verbis cogat amare Jovem.

Recte Heinsius:

Nec mirum, cum sit Jove DIGNAE *proxima Ledae.*

Apollonius Rhodius I, 148. de Leda:

τοὺς δ᾽ ἤγε δόμοις ἔνι Τυνδαρέοιο
Τηλυγέτους ὠδῖνι μιῇ τέκεν, οὐδ᾽ ἀπίθησεν
Νισσομένοις· Ζηνὸς γὰρ ἐπάξια μήδετο λέκτρων.

54. URERE] Hoc a Beroaldo primum editum praeter duos Italicos, Perreji et secundum Vaticanum, liber nullus videtur agnoscere; de Palatino enim mendacium dicit, ut alibi quoque non raro, Burmannus. Probum est, quod omnes exhibent, UTERE. Locis a Burmanno allatis, nostri IV (V), 5, 58. et Tibulli I, 9 (8), 48. adde ex eodem Tibullo I, 5. 75.

Nescio quid, furtivus amor parat. utere, *quaeso,*
Dum licet; in liquida nat tibi linter aqua.

Versum proximum nescio an omnes recte intelligant:

Tu vero, quoniam semel *es periturus amore.*

Proclive Germanis interpretari *weil nun doch einmal,* quod Latinis est *quoniam tamen.* Tu

Quae tibi sit, felix quoniam novus incidit error;
Et quotcumque voles, una sit ista tibi.

V. 35. sit felix, quoniam.

particulam *semel* ita capias, ut apud Ovidium epist. V, 104.

Tu quoque clamabis. nulla reparabilis arte
Laesa pudicitia est: deperit illa semel.

Quia hoc ipse intelligis (id in *quoniam* latet, et ita differt a *quia*), fatale esse tibi semel neque iterum umquam vere amare, utere, ama.

35. QUAE TIBI SIT FELIX, QUONIAM NOVUS INCIDIT ERROR] *Felicem* benignam et facilem interpretantur; quomodo non nisi de divis usurpari recordor, ut apud Virgilium ecl. V, 65. et Aen. I, 330.

Sis *bonus o* felixque tuis.
Sis felix, *nostrumque leves quaecumque laborem.*

Verum sit sane felix Gallo Venus sua: quid rei illud alterum est, *quoniam novus incidit error?* Quae argumentatio! Haec tibi facilis sit, quoniam novus tibi amor venit. Non intelligo, nec si sequamur ita accipientes: quoniam novus tibi et insolitus unius puellae amor adest. Age igitur, mecum ita distingue:

Quae tibi sit, *felix quoniam novus incidit error.*

Tua maneat haec puella, inquit, quia felicem illum errorem agnoscis, felicia amoris retia, in quae, dum Veneri vulgivagae studes, necopinus incidisti. *Quae tibi sit* Tibullus vindicat IV, 6, 3.

Tota tibi est *hodie, tibi se laetissima comsit.*

Flaccus Valerius non pariter, cujus locum ibi ut similem affert Broukhusius V, 247.

Membra toris rapit ille tremens, patriumque precatur
Numen, et Eoo surgentes litore currus.
Haec tibi, *fatorum genitor tutela meorum*
Omnituens.

Nam ei quidem loco sensus non constat, nisi legamus: *Haec ibi*, dixit nempe. Sed tuetur se Propertius ipse repetendo in proximis:

Et quotcumque voles, una sit *ista* tibi.

Neu repetitionem culpes, recte habet: Haec semper tua sit, et quamvis multas voles, haec una tua sit. Nam ita capienda haec esse et Janum Dousam optime correxisse *quotcumque*, cum in libris scriptis tantum non omnibus esset *quocumque*, primi autem editores praeter Volscum, qui anno MCCCCLXXXVIII. *quocumque* reduxit, *quodcumque* reposuissent, epigramma quoque Anthol. Lat. III, 191. comprobat:

Sic tua sit, *quamcumque tuam vis esse puellam:*

XV. [XIV.]

Tu licet abjectus Tiberina molliter unda
  Lesbia Mentoreo vina bibas opere,
Et modo tam celeris mireris currere lintris,
  Et modo tam tardas funibus ire rates,
Et nemus omne satas intendat vertice silvas,
  Urguetur quantis Caucasus arboribus:
Non tamen ista meo valeant contendere amori.
  Nescit Amor magnis cedere divitiis.
Nam sive optatam mecum trahit illa quietem,
  Seu facili totum ducit amore diem,
Tum mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
  Et legitur rubris gemma sub aequoribus;
Tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges,
  Quae maneant, dum me fata perire volent.
Nam quis divitiis adverso gaudet Amore?
  Nulla mihi tristi praemia sint Venere!
Illa potest magnas heroum infringere vires,
  Illa etiam duris mentibus esse dolor.
Illa neque Arabium metuit transcendere limen,
  Nec timet ostrino, Tulle, subire toro,
Et miserum toto juvenem versare cubili:
  Quid relevant variis Serica textilibus?
Quae mihi dum placata aderit, non ulla verebor
  Regna, neque Alcinoi munera despicere.

V. 24. nec.

Sic, quamcumque voles,
mutuus ignis edat.

XV. [XIV.]

5. ET NEMUS OMNE SATAS INTENDAT VERTICE SILVAS] Verius est fortasse, ut scribamus:

Et nemus unde *satas intendat vertice silvas.*

quod sit suspensum a *mireris.* Nam *nemus omne* cur dicat, non patet; certe aliter et majore jure Virgilius ita loquitur Georg. II, 429.; nec *satam silvam* faciebat nemus, sed silvam nemus satum. Contra illud bene habet: unde ortam sponte ac sine satione silvam intendendis a vertice ramis efficiat rarum antea nemus.

24. NEC ALCINOI] Sic Gro-

XVI. [XV.]

Saepe ego multa tuae levitatis dura timebam,
Hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.
Aspice, me quanto rapiat Fortuna periclo:
Tu tamen in nostro lenta timore venis,
Et potes hesternos manibus conponere crinis,
Et longa faciem quaerere desidia,
Nec minus Eois pectus variare lapillis,
Ut formosa novo quae parat ire viro.

V. 7. radiare.

ninganus cum aliis nonnullis, in quibus et Leidensem primum Burmannus numerat, nihilominus e Menteliano, qui idem ac Leidensis est, *vel Alcinoi* afferens. Hoc plerique habent, in his Vulpiani et noster: sed recte Wolfius ad Tacitum annal. I, 32. pag. 73. „Disjunctivum *vel* negare, inquit, paucissimis exemplis doceri poterit." Nam de his, quae observata nobis pauca et huic fere dissimilia, dicetur ad librum IV, 21, 25. Praevaleat igitur codicis Groningani fides, cum *non* sequente *nec* familiare nostro sit, ut I, 10, 27. IV, 6, 9. et alibi. Ita et post *non sic* ponit *nec sic* vel *nec;* vide ad lib. III, 5, 3. At mire Tibullus I, 6, 45. inverso ordine:

Haec ubi Bellonae motu est agitata, nec *acrem*
Flammam, non *amens verbera torta timet.*

Sic tamen et noster quoque IV, 1, 51.

Nec *mea Phaeacas aequant pomaria silvas,*
Non *operosa rigat Marcius antra liquor.*

Nempe οὐ post οὔτε a Graecis frequentari magna exemplorum vi Schaeferus docet ad L. Bosii ellipses pag. 229. Caeterum NEQUE *Alcinoi*, non *nec*, scribendum esse, ad librum V, 5, 50. ostendemus. Versu superiore Marklandus ingeniose tentat:

non Lyda *verebor*
Regna vel Alcinoi munera despicere.

Sed *non ulla* hic, ut saepius, non magna cum vi positum teneamus licet. Flaccus Valerius II, 296.

Non populos, non dite solum, non ulla *parenti*
Regna *peto.*

Propertius I, 8, 21.

Nam me non ullae *poterunt corrumpere taedae.*

Virgilius Aen. II, 726.

Et me, quem dudum non ulla *injecta movebant*
Tela neque adverso glomerati ex agmine Graji.

XVI. [XV.]

7. PECTUS RADIARE LAPILLIS] Libri scripti VARIARE: probe. Ovidius amor. I, 2, 41.

At non sic Ithaci digressu inmota Calypso
Desertis olim fleverat aequoribus.
Multos illa dies incomtis maesta capillis
Sederat, injusto multa locuta salo;
Et, quamvis numquam post haec visura, dolebat
Illa tamen, longae conscia laetitiae.
Nec sic Aesoniden rapientibus anxia ventis
Hypsipyle vacuo constitit in thalamo:
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Ut semel Haemonio tabuit hospitio.
Conjugis Euadne miseros ablata per ignis elata, 1819.
Occidit, Argivae fama pudicitiae.

V. 9. mota. 13. posthac. V. 15—20. *Burm.* 17—22.
V. 21, 22. *Burm.* 15. 16. V. 19. [21.] elata.

Tu, pennas gemma, gemma variante *capillos,*
Ibis in auratis aureus ipse rotis.

Supra librariorum tamen captum est, Burmanno judice, *lectio* r a d i a r e, *quam ex Commelini membranis produxit Gebhardus.* At non supra captum ingeniosi Itali, cujus ille codex innumeras interpolationes exhibet.

9. ITHACI DIGRESSU MOTA] Optimus omnium codex Groninganus *digressum mota*, unde Graevius:

At non sic Ithaci digressu INMOTA *Calypso.*

eo sensu, quo Virgilius: *Mens inmota manet*, ac Statius Achil. II, 282.

Talia dicentem non ipse immotus *Achilles*
Solatur.

Hoc admisso melius variabitur oratio, cujus forma in vulgari, quam Burmannus minus cepit, lectione nihil plane differt a sequentibus:

At non sic, *Ithaci* digressu mota, Calypso
Desertis olim fleverat *aequoribus.*
Nec sic, *Aesoniden rapientibus* anxia ventis,
Hypsipyle *vacuo* constitit *in thalamo.*

13. NUMQUAM POSTHAC] POST HAEC legitur in Groning. Neapolit. et duobus aliis apud Burmannum. Hoc poëtae magis frequentant; neque aliter usquam Propertius:

Nec tibi me post haec *committet Cynthia.*
Me legat assidue post haec *neglectus amator.*
Dehinc domiti post haec *aequa et iniqua ferunt.*

Malo et partim contra optimorum codicum fidem apud Tibullum I, 5, 6. et IV, 5, 16,

Alphesiboea suos ulta est pro conjuge fratres,
Sanguinis et cari vincula rupit amor.
Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
Tu quoque uti fieres nobilis historia.
Desine jam revocare tuis perjuria verbis,
Cynthia, et oblitos parce movere deos,
Audax ah nimium, et nostro dolitura periclo,
Si quid forte tibi durius inciderit.

V. 27. nimium nostro.

posthac editur. Nam quod Horatius ter quaterque in sermonibus ita loquitur, ad hos poëtas nihil facit.

19. (21.) CONJUGIS EUADNE MISEROS ELATA PER IGNES] Nimis commune epitheton *miseros* esse ajunt, *seros* vel *mixtos* corrigendum. Recte contra Hemsterhusius egregium ac venustum esse docet, firmante Heynio in observat. Tibull. I, 2, 89. Adde Ovid. metam. XIV, 751. Valer. Flac. III, 273. Stat. silv. V, 5, 54. Confer etiam, quae Huschkius nuper ad Tibullum notavit. Sed id, quod vitiosum hic erat, criticos fefellit. Euadna enim *elata* numquam est, quae se vivam in mariti rogum praecipitaverit. Recte de Alcestide Ovidius art. amat. III, 20.

Proque sui est uxor funere lata *viri:*

de Euadna nihil tale potuit dici. Repone:

Conjugis Euadne miseros ABLATA *per ignes.*

Naso metam. IX, 263.

Interea quodcumque fuit populabile flammae
Mulciber abstulerat.

Propertius III, 1.

Omnia, crede mihi, secum uno munera lecto
Auferet *extremi funeris atra dies.*

Horatius epod. V, 65.

Cum palla, tabo munus inbutum, novam
Incendio nuptam abstulit.

21. (15.) ALPHESIBOEA SUOS] Hoc distichon, veterum librariorum culpa post illud *Et quamvis* positum, quatuor versibus post, ante *Conjugis Euadne*, collocandum esse Jer. Marklandus et Joh. Schraderus censent. Vulgo non suo loco legi, certa res est: sed malo post illud poni, *Conjugis Euadne*. Nam verisimile est errorem natum esse ex simili pentametrorum exitu, 14. *laetitiae* et 22. *pudicitiae*. Sed et *amores* ita majore intervallo ab *amore* distabunt. [17. 22.: Markl. 17. 20.]

27. AUDAX AH NIMIUM NOSTRO DOLITURA PERICLO, SI QUID FORTE TIBI DURIUS INCIDERIT] Viris doctis placet scribi: *Si quid forte* mihi. Se

Muta prius vasto labentur flumina ponto,
 Annus et inversas duxerit ante vices,
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura:
 Sis quodcumque voles, non aliena tamen.
Nam mihi ne viles isti videantur ocelli,
 Per quos saepe mihi credita perfidia est!

V. 29. labantur. 33. Quamve mihi.

gravius alterum ac verius: Dolebis laboribus nostris, si morbo forte aut alio malo tentabere; hoc enim tua in me injuria meritam senties. Sed hoc vide, posteriorem versum ad illa tantum pertinere: *nostro dolitura periclo;* contra *Audax ah nimium* ad praecedentia. Eapropter scribimus:

Audax ah nimium, ET *nostro dolitura periclo,*
Si quid forte tibi durius inciderit.

29. MUTA PRIUS VASTO LABANTUR] *Multa* habent codices scripti, sed verissimum est, quod Muretus divinavit, *Muta.* Sed LABENTUR, quod est in omnibus aut certe optimis, mutari non debuit. Nam cum sequente *duxerit* optime coit, quod et ipsum rem futuram significat. Libro III, 4, 11.

Tu vero nudum pectus lacerata sequeris,
Nec fueris *nomen lassa vocare meum,*
Osculaque in gelidis pones *suprema labellis.*

33. QUAMVE MIHI VILES] Ita constituta haec a Philippo Beroaldo caeteri acceperunt. Sed non placet, ut praecedentia, in quibus rei summa inest,

Sis quodcumque voles, non aliena tamen,

tamquam accessoria neque necessaria caeteris immisceantur. In libris scriptis est *Quam mihi ne viles*, vel *Quam tibi ne viles.* Ex priore scriptura in prima tantum littera laborante veram elicuit Ernestus Schulzius noster, ita corrigens:

Sis quodcumque voles, non aliena tamen.
NAM mihi NE *viles isti videantur ocelli,*
Per quos saepe mihi credita perfidia est!

Id probabit, qui priorem pentametrum a Passeratio non recte explicatum accuratius intellexerit. *Alienum,* qui proprie cognato vel propinquo opponitur (v. Cicer. pro Caecina 5, 14. Ovid. metam. IX, 326. X, 340.), eum dicimus, quem non curamus aut aversamur. Hinc Vellejus Paterculus II, 5. *Patriam* cognationi *praeferens, et quicquid publice salutare non esset, privatim* alienum *existimans.* Ovidius tristium IV, 3, 67.

Nec Semele Cadmo facta est aliena parenti,
Quod precibus periit ambitiosa suis.

Hos tu jurabas; si quid mentita fuisses,
Ut tibi subpositis exciderent manibus.
Et contra magnum potes hos adtollere Solem,
Nec tremis admissae conscia nequitiae?
Quis te cogebat multos pallere colores,
Et fletum invitis ducere luminibus?
Quis ego nunc pereo, similis moniturus amantes:
O nullis tutum credere blanditiis!

XVII. [XVI.]

Quae fueram magnis olim patefacta triumphis,
Janua Tarpejae nota pudicitiae,
Cujus inaurati celebrarunt limina currus,
Captorum lacrimis humida supplicibus,
Nunc ego, nocturnis potorum saucia rixis,
Pulsata indignis saepe queror manibus;
Et mihi non desunt turpes pendere corollae
Semper, et exclusi signa jacere faces;
Nec possum infamis dominae defendere noctes,
Nobilis obscenis tradita carminibus.
[Nec tamen illa suae revocatur parcere famae,
Turpior et saecli vivere luxuria.]

Terentius Phorm. III, 3, 12.

Verum hic dicit. Quid? ego vobis, Geta, alienus sum? Haut puta.

Hoc igitur dicit Propertius: Licet me fallas, tamen mihi cara eris. Absit enim, ut oculos istos, quibus quamvis perfidis toties credidi, contemnam!

XVII. [XVI.]

8. EXCLUSI SIGNA] Codicum scripturam *exclusis* verissime correxit Lipsius, nec plura postea ab aliis tentari debuere.

11. NEC TAMEN ILLA SUAE REVOCATUR PARCERE FAMAE, TURPIOR ET SAECLI VIVERE LUXURIA]. Notat ad hunc locum Johannes Antonius Vulpius: „Animadverte, lector, *τὸ revocatur*, quod est in superiore versu, accessum simul et recessum significare: illa etenim femina non revocabatur *ad parcendum* famae suae (ut Cicero dixit in Epistolis ad Atticum, *revocare ad severitatem*): neque *a vivendo* turpiter, flagitiose, ac luxuriose.“ Sic ille, artibus quidem suis vim faciens orationi. Quanto nobiliori artificio is utitur, qui ita

Has inter gravibus cogor deflere querelis,
  Supplicis a longis tristior excubiis.
Ille meos numquam patitur requiescere postis,
  Arguta referens carmina blanditia:
Janua, vel domina penitus crudelior ipsa,
  Quid mihi tam duris clausa taces foribus?

V. 13. Haec. 14. ah longas tristior excubias.

exponit: „Nec tamen potest revocari, et eo reduci, ut famae suae consulat, *nec* vivat turpior hominibus hujus aetatis corruptissimis, turpior ipsa seculi sui luxuria." Viden generosum facinus? Pro *et* furtim *nec* substituit callidus. Quid jam qui utriusque commenta aspernetur faciat? Nihil, me quidem auctore, tentet in disticho subdititio. Nam nec *Has inter*, quod sequitur, ad *noctes* referendum, sic ista interposita patitur. Quare velim hos versus pro panno assuto ab homine balbutiente haberi.

13. HAEC INTER GRAVIBUS COGOR DEFLERE QUERELIS SUPPLICIS AH LONGAS TRISTIOR EXCUBIAS] Hos versus a Broukhusio audacter interpolatos veterum membranarum fides ita scribendos evincit:

> HAS *inter gravibus cogor deflere querelis,*
> *Supplicis* A LONGIS *tristior* EXCUBIIS.

Has habent libri omnes: *Haec* ab Italis est, e vetere codice a Passeratio enotatum, itemque ex alio ab Heinsio adversariorum II, 15. pag. 327. *Deflere* sine accusativo positum Manilius tuetur IV, 747.

> *Virgine delapsa cum fratrem ad litora vexit,*
> *Et minui* deflevit *onus dorsumque levari.*

Appulejus metamorphoseos IV. extr. *Psychen paventem ac trepidam et in ipso scopuli vertice* deflentem. Sed si quis hoc Propertio indignum aut *duriusculum* cum Broukhusio judicabit, minima mutatione reponat: *Has* igitur *gravibus.* Sed certum est hoc dicere Januam, se per has infames noctes continuo flere, augentibus tristitiam perpetuis τοῦ δυσέρωτος querelis. Ita recte dicit *tristiorem* se fieri, quod vocabulum in altera scriptura, cum Broukhusius *longas excubias* non *minima*, ut ait, sed maxima *licentia* reposuisset, intellectu difficile erat. *Ah* in minore versu unus Palatinorum habet et Heinsianus: sed id male hic inculcatur. Recte caeteri *A longis tristior excubiis.* Ovidius tristium IV, 3, 36.

> *Tempus et a nostris exige* triste *malis.*

Neque aliter infra libro V, 7, 5.

> *Cum mihi somnus ab exsequiis pendebat* amarus.

17. PENITUS CRUDELIOR]

Cur numquam reserata meos admittis amores,
  Nescia furtivas reddere mota preces?
Nullane finis erit nostro concessa dolori,
  Tristis et in tepido limine somnus erit?
Me mediae noctes, me sidera prona jacentem,
  Frigidaque Eoo me dolet aura gelu:
Tu sola humanos numquam miserata dolores
  Respondes tacitis mutua cardinibus.
O utinam trajecta cava mea vocula rima
  Percussas dominae vertat in auriculas!
Sit licet et saxo patientior illa Sicano,
  Sit licet et ferro durior et chalybe:
Non tamen illa suos poterit compescere ocellos,
  Surget et invitis spiritus in lacrimis.

V. 25. labores.

Penitus comparativo junctum Burmannus tolerare renuit: Ruhnkenius ad Vellejum II, 27. poëtae concedit, historicum *penitus Romano nomine infestissimum* scripsisse negat. Equidem usu quidem minus probari, caeterum nulla ratione impugnari illud genus loquendi arbitror posse. Non dissimile certe *in primis* superlativo junctum a Sallustio in Jugurth. VII, 5. *Ac sane, quod difficillumum in primis est, et praelio strenuus erat et bonus consilio.* Majore fortasse jure in versu 22.

Tristis et in tepido limine
somnus erit,

Heinsius *rigido* tentat reponere, et Burmannus suavius *in gelido limine.* Interpretes tamen, me non adversante, limen incubando tepidum intelligunt; quam expositionem non solum Catulli, quem afferunt, locus LXIII, 65., sed Persius quoque adjuvat I, 109.

ne majorum tibi forte
Limina frigescant.

25. HUMANOS NUMQUAM MISERATA LABORES] Primus, ni fallor, Scaliger tacite *Labores* dedit, quod et in duobus scriptis reperisse se Heinsius narrat in notis Propertianis pag. 671. In adversariis II, 15. pag. 323. Mentelianum laudat et suum: Burmannus eosdem libros, Heinsianum tamen a manu secunda, DOLORES exhibere narrat; quod, quia caeteri meliores, Groning. Neapol. Palatt. confirmant, nec quicquam interest, revocamus, quamquam *quinque* versibus ante (id Heinsius ac Burmannus taxant) idem vocabulum erat:

Nunc jacet alterius felici nixa lacerto:
  At mea nocturno verba cadunt Zephyro.
Sed tu sola mei, tu maxima causa, doloris,
  Victa meis numquam, janua, muneribus.
Te non ulla meae laesit petulantia linguae,
  Quae solet ingrato dicere torva loco,
Ut me tam longa raucum patiare querela
  Sollicitas trivio pervigilare moras.
At tibi saepe novo deduxi carmina versu,
  Osculaque inpressis nixa dedi gradibus.
Ante tuos quotiens verti me, perfida, postis,
  Debitaque occultis vota tuli manibus!
Haec ille, et si quae miseri novistis amantes,
  Et matutinis obstrepit alitibus.
Sic ego nunc dominae vitiis et semper amantis
  Fletibus aeterna differor invidia.

XVIII. [XVII.]

Et merito, quoniam potui fugisse puellam!
  Nunc ego desertas adloquor alcyonas.

V. 38. iratus dicere trita. 1. puellam,

Nullane finis erit nostro concessa dolori?

33. QUAE SOLET IRATUS DICERE TRITA LOCO] Difficilis et hiulca, quin inepta satis oratio est in his a Scaligero infeliciter excogitatis. Boni codices universi *Irato dicere tota loco.* Non dubito, quin Heinsius recte divinaverit:

Quae solet INGRATO *dicere* TORVA *loco.*

Caetera ejusdem et aliorum commenta unius assis facienda nego. Carmine extremo Marklandus:

Sic ego nunc dominae vitiis, nunc *semper amantis*
Fletibus, alterna *differor invidia.*

Lusus est, ut opinor, sed mehercule pulcher. Propertius ipse, si rediret, acciperet: critico tam facili esse non licet, Quin ut temeritatem caveamus, hujusmodi commenta, specie sua nimis blandientia credulis, plerumque ne commemoramus quidem. Quorum ut nonnulla meliorum codicum auctoritate fidem fortasse olim accipient, ita hactenus ut ingeniosa lau-

Nec mihi Cassiopes statio visura carinam est,
  Omniaque ingrato litore vota cadunt.
Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti;
  Aspice, quam saevas increpat aura minas.

V. 3. Cassiope solito. 6. increpet.

dari debent, caeterum vera existimari non possunt.

XVIII. [XVII.]

3. NEC MIHI CASSIOPE SOLITO VISURA CARINAM EST] Dubitant interpretes, sitne Cassiepea intelligenda, signum caeleste, an Epiri Corcyraeve portus Cassiope. Priorem interpretationem futurum *visura* excludit: in utraque vocabulum *solito*, sive adjective capias, ut *Soliti rediere Pelasgi* apud Valerium Fl. III, 45., seu pro *ex solito* contra bonorum scriptorum consuetudinem positum opineris, mercatorem facit Propertium nostrum, quod Virgilio quoque interpretum Horatianorum culpa accidit. Sed ista incommoda ne correctorum quidem ullus vitavit praeter virum doctum in Bibliotheca critica II, 2. pag. 10. tentantem reponere *solidam visura carinam est;* modo ne *carinam* otioso epitheto ornasset; nam ut *solidam* intelligamus integram et incolumem, fieri non potest. Equidem repono:

Nec mihi CASSIOPES STATIO
  visura carinam est.

Portum Cassiopen *stationem* dicit, uti est in illo:

Nunc tantum sinus et statio
  male fida carinis.

Antiope et *Hermione* pro genitivis scripta habuimus supra eleg. IV, 5.

5. QUIN ETIAM ABSENTI PROSUNT TIBI, CYNTHIA, VENTI] Hanc consonantiam *absenti venti*, quae viris doctis dudum displicuit, Waardenburgius tollit corrigendo *adversi venti*. Vereor ne frustra ingeniosus fuerit. Nam iste sonus Romanas aures non offendit, si versus ex arte legatur. Sed scilicet paucos hodie inveniri, qui versus Latinos recte pronunciare sciant; quod ii demum recte facient, qui in Italicis artem usu didicerint. Habent suos accentus singula vocabula, habet et versus syllabas ictas depressasque: haec inter se plerumque dissidentia qui recte conjunxerit, ita ut ipsi veteres leget veterum poëtarum versiculos. Est ubi magis audiatur accentus versûs, ut in his:

Quin etiam ábsenti *prosunt*
  tibi, *Cynthia*, venti.
Nec tibi Ty'rrhena *solvatur*
  funis arena.
Tum caput órantis *nequicquam et multa* parantis.
Vir precor úxori, *frater succurre* sorori.

Nullane placatae veniet fortuna procellae?
  Haeccine parva meum funus arena teget?
Tu tamen in melius saevas converte querelas;
  Sat tibi sit poenae nox et iniqua vada.
An poteris siccis mea fata reponere ocellis,
  Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?
Ah pereat, quicumque rates et vela paravit
  Primus et invito gurgite fecit iter!
Nonne fuit levius dominae pervincere mores —
  Quamvis dura, tamen rara puella fuit —,

V. 15. melius.

Servat enim formáturam *servatque* figuram.

Item in his:

Trajicit. i, verbis *virtutem inlude* superbis.

Quot caelum stellás, *tot habet tua Roma* puellas.

Plaga recens, plenís *tumuerunt guttura* venis.

Quas velit; ast aliis durás *inmittere* curas.

quamquam hi minus facile feruntur, quoniam postrema syllaba in vocabulis Latinis acui non vult. Interdum vocabulorum accentus praevalet, tamquam in hoc:

Oraque velátarum *obvertimus* antennarum.

et si qua alia sunt, in quibus ultima syllaba liquescente accentus retrahitur.

6. INCREPET AURA] Burmannus: *Sic,* inquit, *edidi auctoritate veterum codicum, non increpat, ut Broukhusius.* Ne de omnibus codicibus intelligas, ad eleg. 2, 9. *sic e codd. Voss. corrigendum* notat, quorum nulla apud nos fides est. INCREPAT ad dictum locum firmavimus.

15. NONNE FUIT MELIUS] Hoc excusum est Vicentiae anno MCCCCLXXXI. et in exemplari Beroaldino anni MCCCCLXXXVII., et in posteriore editione Volsci; Burmannus quoque in suo priore reperisse videtur; verbis transpositis habet D'Orvillianus secundus, *Nonne fuit dominae melius.* At Antonius Volscus anno MCCCCLXXXII. edidit *Nonne fuit* LEVIUS; idque non solum Neapol. ac Bonon., sed et caeteri, opinor, meliores confirmant: certe majorem veritatis speciem habet. Horatius carm. I, 24, 19.

Durum, sed levius *fit patientia,*
Quicquid corrigere est nefas.

Versu sequente,

Quamvis dura, tamen rara *puella fuit,*

quominus *cara* ex aliquot libris probaretur, perfectum *fuit* prohibere potuit. Tam certum est, hic *rara* legendum esse, ut

Quam sic ignotis circumdata litora silvis
  Cernere, et optatos quaerere Tyndaridas?
Illic si qua meum sepelissent fata dolorem,
  Ultimus et posito staret amore lapis,
Illa meo caros donasset funere crinis,
  Molliter et tenera poneret ossa rosa.
Illa meum extremo clamasset pulvere nomen,
  Ut mihi non ullo pondere terra foret.
At vos aequoreae formosa Doride natae,
  Candida felici solvite vela choro.
Si quando vestras labens Amor adtigit undas,
  Mansuetis socio parcite litoribus.

XIX. [XVIII.]

Haec certe deserta loca et taciturna querenti,
  Et vacuum Zephyri possidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre inpune dolores,
  Si modo sola queant saxa tenere fidem.
Unde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus?
  Quod mihi das flendi, Cynthia, principium?
Qui modo felicis inter numerabar amantis,
  Nunc in amore tuo cogor habere notam.
Quid tantum merui? quae te mihi crimina mutant?
  An nova tristitiae causa puella tuae?

V. 24. Tum.

ex hoc loco non minus, quam ex illo in inscriptionibus sollemni FEMINAE RARISSIMAE, fidem accipiant loca ea, in quibus sensus utrumque admittit, ut apud nostrum I, 9, 16.

Quis ego fretus amo. Cynthia rara mea est.

et V, 11, 52.

Claudia, turritae rara ministra deae.

et in Silvis Statii II, 1, 200.

Mox ubi delicias et rari pignus amici Sensit.

24. TUM MIHI] Sic Passeratius ex malo codice Memmiano, in quo erat *Tu mihi.* Caeteri universi UT *mihi*, quod cur non revocemus?

XIX. [XVIII.]

9. CRIMINA MUTANT] Ita verissime Lipsius, et ante eum

Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro
  Limine formosos intulit ulla pedes.
Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
  Non ita saeva tamen venerit ira mea,
Ut tibi sim merito semper furor, et tua flendo
  Lumina dejectis turpia sint lacrimis.
An, quia parva damus mutato signa calore,
  Et non ulla meo clamat in ore fides?
Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
  Fagus et Arcadio pinus amica deo.

corrector Italus apud Perrejum atque Colotium. Caeteri *carmina.*

17. MUTATO SIGNA CALORE] Burmannus praefert, quod libri tantum non omnes habent,

An quia parva damus mutato
signa colore?

ut indicet, inquit, *in certo se colore esse.* Bene: sed ea causa nulla erat, cur Cynthia irasceretur. Unde enim in alia illum, non in se pallere sciebat? Porro autem illam scripturam in alium quoque sensum interpretari possumus, qui clarior fit emendatione Burmanni:

An quia rara *damus mutato*
signa colore?

ut interroget Cynthiam (Burmanni expositio est), *an ideo fidem suam haberet suspectam, quia raro colorem mutabat neque semper in ea pallebat.* Et hoc quidem ferri potest, ea tamen conditione, ut *rara signa* scribamus, non *parva*, ne Cynthia Propertium, quod *non multum* palleret, improbasse dicatur. Maneat tamen potius honor suus Jano Broukhusio et membranis optimis Groninganis, quibus auctoribus legatur:

An quia parva damus mutato
signa calore?

Cujus enim rei *signa* intelligi velit, ex adjectis patet; nempe *caloris.* Ita Ovidius fastor. II, 152.

Magnaque *discedens* signa
reliquit hiems.

Idem metamorph. VII, 725.

culpa domus ipsa carebat,
Castaque signa dabat, *dominoque erat anxia rapto.*

Lucretius III, 520.

Ergo animus, sive aegrescit,
mortalia signa
Mittit, ut edocui, seu flectitur a medicina.

Mutato autem *calore*, ut Ovidius metam. XIV, 39.

Sospite quam Scylla nostri
mutentur amores.

Noster libro I, 16, 31.

Quam tua sub nostro mutetur *pectore* cura.

Vide quae notavimus ad eleg. XII, 11.

Ah quotiens vestras resonant mea verba sub umbras,
  Scribitur et teneris CYNTHIA corticibus!
An, tua quod peperit nobis injuria curas,
  Quae solum tacitis cognita sunt foribus?
Omnia consuevi timidus perferre superbae
  Jussa, neque arguto facta dolore queri.

V. 21. teneras. 22. vestris, 26. ficta,

21. AH QUOTIES TENERAS RESONANT MEA VERBA SUB UMBRAS, SCRIBITUR ET VESTRIS CYNTHIA CORTICIBUS.] *Teneras umbras* non ferunt critici; quorum judicio accedo. *Tenues parvi discriminis umbras* in opere textili Ovidius commemorat metam. VI, 62. *Levem umbram* dicit idem metam. V, 336., quae *incerta* Virgilio ecl. V, 5. *Mollem umbram* noster IV, 2, 1. ac Virgilius georgic. III, 464. pro molli gramine in luco umbroso. Sed *umbrae tenerae* quae sint, non possum exputare; quamquam est, qui locam sanum pronunciet, affirmans *Propertium in mente habuisse Graecorum ἁπαλὸς h. e. mollis, tener.* Sed qua mente id positum velit, neque ex adjectis Germanicis *sanfte Schatten* apparet, neque ex iis, quae tamquam similia affert. Quid enim ἁπαλὸν σῶμα ad *teneras arbores,* quae *novellae* sunt Floro Anthol. Lat. T. I. p. 687.? Quantum ab his differunt ἁπαλοὶ κᾶποι apud Theocritum XV, 113. πεφυλαγμένοι ἐν ταλαρίσκοις Ἀργυρέοις! quantum, quas ultimo loco posuit, *molles umbrae* apud Virgilium! Sed alii critici alia moliuntur: omnium conamina longe longeque superat Schraderi et Koppiersii divinatio, scribentium:

Ah quoties VESTRAS *resonant mea verba sub umbras,*
Scribitur et TENERIS *Cynthia corticibus.*

Burmannus non improbandam transpositionem appellat, quam praeclaram ac verissimam merito pronunciare potuit. In sequente disticho nescio quid inepti reperisse sibi nonnulli visi sunt. At poëta, An, inquit, tristitiae tuae causa est (id et huic versui et 17. ex decimo applicandum), quod infidiam tuam me aegre tulisse credis? Mene injuria tua offendi posse? Ego omnia jussa tua timidus fero, nec me injuria tibi mutare potest.

26. NEQUE ARGUTO FICTA DOLORE QUERI] Memmiani codicis apud Passeratium scriptura est, quam Broukhusio et Marklando fucum fecisse miror. Nam nec ficta crimina dicit, sed vera; nec ficta se, simulato dolore, queri: immo nihil omnino, ne gravissimum quidem puellae facinus aegre ferre affirmat, omnia jussa dominae superbae patienter tolerare. Diu

Pro quo, dì, nivei montes, et frigida rupes,
  Et datur inculto tramite dura quies;
Et quodcumque meae possunt narrare querelae,
  Cogor ad argutas dicere solus avis.
Sed qualiscumque es, resonent mihi CYNTHIA silvae,
  Nec deserta tuo nomine saxa vacent.

V. 27. vivi fontes.

est, cum de conjectura reposui, quod postea omnes fere praeter Memmianum codices habere intellexi:

— *neque arguto* FACTA *dolore queri.*

Facta, hoc est, injurias tuas, infidiam, crimina. Propertius IV, 5, 21.

Ille potest nullo miseram me linquere facto?

Ovidius epist. XI, 148.

Per lacrimas oro, quas tua facta *movent.*

Idem amor. III, 11, 43.

Facta *movent odium: facies exorat amorem.*

et remed. amor. 299.

Saepe refer tecum sceleratae facta *puellae.*

27. PRO QUO, DÌ, VIVI FONTES] Ita Scaliger, emendatione parum probabili. Jucundae enim rei, *vivorum fontium*, mentio ab hoc loco, ubi dura et aspera omnia, nimis aliena est. Libri scripti habent *divini fontes*, quod per exclamationem accipiendum erit. Cur vero hic *divinos fontes* potius, quam caeteros deos omnes invocet, non intelligo. Agamemno Homericus, ubi universae naturae praesides juris jurandi testes facit, Terram quoque et *Fluvios* appellat; *Fontisque Fluviosque* itidem in foedere sanciendo vocat Aeneas Virgilii XII, 181.; Scheriae *Fluvio* Ulixes supplicat, sed quem ἔγνω προρέοντα, ut cursum sisteret; Fluminum *Fontes* apud Aeschylum Prometheus una cum aëre ventoque et mari caeloque ac terra malorum suorum testes invocat. At nihil tale apud nostrum. Recte igitur viri docti Propertium aliud scripsisse censent: Gruterus *Clitumni fontes*, nuperus criticus *devexi fontes*. Sed ad fontes devexos, leniter in declive labentes, sedere non sane triste est. Heinsius *dumosi, devexi, continui montes*: dî, *nudi montes* Marklandus. Pari, hoc est, exigua veri similitudine possis, *clivosi montes*, ut apud Ovidium fast. III, 415. Scribe vero:

Pro quo, dì, NIVEI MONTES, *et frigida* rupes,
Et datur inculto tramite dura quies.

Ita Lucretius V, 202.

montes *silvaeque ferarum*
Possedere, tenent rupes *vastaeque paludes.*

Horatius carm. III, 27, 61.

Sive te rupes *et acuta leto*

XX. [XIX.]

Non ego nunc tristis vereor, mea Cynthia, Manis,
Nec moror extremo debita fata rogo:
Sed ne forte tuo careat mihi funus amore,
Hic timor est ipsis durior exsequiis.
Non adeo leviter nostris Puer haesit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet.
Illic Phylacides jucundae conjugis heros
Non potuit caecis inmemor esse locis,
Sed cupidus falsis adtingere gaudia palmis
Thessalis antiquam venerat umbra domum.
Illic, quicquid ero, semper tua dicar imago;
Trajicit et fati litora magnus amor.
Illic formosae veniant chorus heroinae,
Quas dedit Argivis Dardana praeda viris:
Quarum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma
Gratior; et Tellus hoc ita justa sinat.
Quae tu viva mea possis sentire favilla!
Tum mihi non ullo mors sit amara loco.
Quamvis te longae remorentur fata senectae,
Cara tamen lacrimis ossa futura tuis.

V. 19. 20. *ante* 17. 18. V. 20 (18). meis.

Saxa *delectant*. Propertius I, 21, 13.

montes et frigida saxa.

Niveum montem apud Catullum habes LXIV, 241.

ceu pulsae ventorum flamine nubes
Aërium nivei montis *liquere cacumen.*

XX. [XIX.]

16. ET TELLUS HOC ITA JUSTA SINAT] Burmannus tentat: *et* Venus *hoc*, si dea *justa*, *sinat*, calida hercle conjectura, nisi quod ille calidior, qui carminis textui infulsit. Quid vero in codicum scriptura reprehendi queat, non video. *Tellurem* dicit inferos; quod omnibus poëtis sollemne; itaque *χθόνα* Graeci usurpant. Ita justos inferos sperat, ut se Cynthiam heroinis praeferre patiantur. Tenerrimum votum, cujus nullam litteram perire volumus.

17. QUAMVIS TE LONGAE REMORENTUR FATA SENECTAE,
18. CARA TAMEN LACRIMIS OSSA FUTURA MEIS.

Quam vereor, ne te contemto, Cynthia, busto
Abstrahat a nostro pulvere iniquus Amor,

19. QUAE TU VIVA MEA POSSIS SENTIRE FAVILLA,
20. TUM MIHI NON ULLO MORS SIT AMARA LOCO.]
Hunc locum satis obscurum sibi Burmannus fatetur: caeteri, interpretando et hic illic aliquid non nimia cum veri similitudinis specie sollicitando, varia primo aspectu blandientia, sed omnia rimanti vana apparitura extundunt. Ea tute, si voles, examinabis: nos tibi locum unius distichi transpositione facta (quatuor autem hic ab eadem syllaba incipiunt) verissime, ni fallor, restitutum dabimus. Sic igitur haec omnia formanda sunt:

Illic formosae veniant chorus heroinae,
Quas dedit Argivis Dardana praeda viris:
Quarum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma
Gratior; et Tellus hoc, ita justa, sinat.
17 Quae tu viva *mea* possis *sentire favilla!*
18 Tum mihi non ullo mors sit amara loco:
19 Quamvis te longae remorentur fata senectae,
20 Cara tamen *lacrimis, ossa* futura TUIS.
Quam vereor, ne te contemto, Cynthia, busto
Abstrahat a nostro pulvere iniquus Amor!

Vix ulli sunt in Propertii carminibus versiculi suaviores aut intimi amoris indices magis veri. Tentemus explicare hoc, quod, ut Broukhusius hic ait ad v. 11., *multo est tenerrimum, neque capi satis potest ab hominibus duris atque invenustis.* Optat, ut Cynthia viva in ipsis cineribus sentiat, quantum vel a mortuo ametur. Hoc si fieri possit, mortem sibi tristem negat, cum puellae se, quamvis diu superstiti, mortuum quoque carum fore sciat. Id unum vereri, ne puella se a busto insidiis Amoris abstrahi patiatur. Matrem suam post obitum mariti a tumulo deduci non potuisse Statius narrat silv. V, 3, 242.

Certe sejungere *matrem*
Jam gelidis nequeo bustis.

Sequitur:

te sentit *habetque,*
Te videt, et tumulos ortuque obituque salutat.

quod huic nostro simillimum:

Quae tu viva mea *possis* sentire favilla.

Neque non tuetur loquendi rationem Ovidius metam. XIII, 504.

cinis ipse sepulti
In genus hoc saevit; tumulo quoque sensimus *hostem.*

Cara lacrimis tuis cur maluerit dicere, quam *tibi*, ad Eleg. VI, 23. monuimus. *Tuis* autem pro *Meis* Scaliger tacite dedit; quod verum ajo esse,

Cogat et invitam lacrimas siccare cadentis!
Flectitur adsiduis certa puella minis.
Quare, dum licet, inter nos laetemur amantes.
Non satis est ullo tempore longus amor.

XXI. [XX.]

Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore,
Id tibi ne vacuo defluat ex animo:
Saepe inprudenti fortuna occurrit amanti.
Crudelis Minyis dixerit Ascanius.
Est tibi non infra speciem, non nomine dispar,
Thiodamanteo proximus ardor Hylae.
Huic tu, sive leges umbrosae flumina silvae,
Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes,
Sive Gigantea spatiabere litoris ora,
Sive ubicumque vago fluminis hospitio,
Nympharum semper cupidas defende rapinas —
Non minor Ausoniis est amor Hydriasin —,

V. 12. ah Dryasin. *et absunt interruptae orationis signa.*

adversantibus, quantum pote, librariis. *Ossa* Nostrum pro Manibus saepissime ponere, nemo ignorat et viri docti passim docuerunt.

XXI. [XX.]

7. HUIC TU — 11. CUPIDAS DEFENDE RAPINAS] Ita viri docti correxere quod in libris scriptis erat, *Hunc tu.* Groninganus tamen et Vaticanus apud Livinejum, praeterea excerpta Modii ac Pocchi habent:

Hunc *tu* —
Nympharum semper cupidis *defende* rapinis.

Mihi, utra lectio a Propertio sit, admodum incertum videtur, nec multum refert.

12. NON MINOR AUSONIIS EST AMOR AH DRYASIN] *Ah* Scaligeri inventum est, sed insuave. Melius Itali *in Dryasin,* Lipsius *et Dryasin.* Ex Codicum meliorum scriptura *est amor Hadriacis* id quod verum est facili negotio elicitur. Repone:

Non minor Ausoniis est
amor HYDRIASIN.

Liber Guelferbytanus (Gudian. 293.) Tusculanorum Ciceronis in libro III, 19, 43. pro *hydrauli* habet *Hrarali.* De istoc Nympharum nomine, *Hydriades,* Munckerus annotavit ad Albricum de deorum imaginibus cap. VII. Adde Platonem epigr. XIV.

Ne tibi sit — durum! — montis et frigida saxa,
Galle, neque expertos semper adire lacus;

V. 13. duros montes et torrida saxa.

Αἱ δὲ πέριξ θαλεροῖσι χορὸν ποσὶν ἐστήσαντο
Ὑδριάδες Νύμφαι, Νύμφαι Ἀμαδρυάδες.

et Paullum Silentiarium epigr. XLVII.

Ὑδριάδες Νύμφαι δὲ σὺν ὑλονόμοισι χορείαν
Στῆσαν, ἐπεὶ καὐτὰς πολλάκις ἐξεφόβει.

Hermocreon in Analectis Brunckii Tom. II. pag. 252.

Νύμφαι Ἐφυδριάδες, ταῖς Ἑρμοκρέων τάδε δῶρα
Εἵσατο, καλλινάου πίδακος ἀντιτυχών.

13. NE TIBI SIT DUROS MONTES ET TORRIDA SAXA, GALLE, NEQUE EXPERTOS SEMPER ADIRE LACUS] In hujus distichi scriptura variant codices etiam optimi. Principio pars *Nec* habent, alii *Ne;* neque sine differentia sensus. Hoc dicit *Nec:* Puerum tuum, quoties ad flumina versaberis, a Nympharum rapinis defendo; *nec* montes et saxa lacusve adeas. De fluminibus igitur et lacubus bis narrat: cur quaeso? Saxa autem montesque cur caveat, cui a fluminum Nymphis periculum est? Lege igitur *Ne*, et expone: Nympharum fraudes vita, ne tibi per montes et saxa lacusque errandum sit, quemadmodum Herculi olim Hylam amissum quaerenti. Theocritus XIII, 64.

Ἡρακλέης τοιοῦτος ἐν ἀτρίπτοισιν ἀκάνθαις
Παῖδα ποθῶν δεδόνατο, πολὺν δ' ἐπελάμβανε χῶρον.
Σχέτλιοι οἱ φιλέοντες. ἀλώμενος ὅσσ' ἐμόγησεν
Ὤρεα καὶ δρυμώς.

Porro *duros montes* commentum Lipsii est; neque ei accedit auctoritas ex codice, in quo ita legi Passeratius auctor est. Codices Neapol. Palat. papyr. Guarner. Bonon. *Ne* (*Nec*) *tibi sint* (*sim*) *duri montes;* quod est nihili. Caeteri boni, Groning. Mentel. Palat. membr. *Ne* (*Nec*) *tibi sit durum.* Hoc modo aliquid infertur alieni: Ne tibi difficile, molestum, ingratum sit (vide quae excitabimus ad II, 6, 15.) saxa montesque et lacus pervagari. Immo, Ne adeas, Ne adire cogaris. Nihilominus haec scriptura verissima est, sed Gronovio Francioque praeeuntibus distinctione adjuvanda:

Ne tibi sit (DURUM) *montes et frigida saxa,*
Galle, neque expertos semper adire lacus.

De ejusmodi exclamationibus notavit Burmannus ad Anthol. Lat. T. I. pag. 196. Hanc formulam *Ne sit tibi adire* Heynius illustrat ad Tibullum I, 6, 24. et Huschkius in epistola critica pag. 61. Porro libri non-

Quae miser ignotis error perpessus in oris
  Herculis indomito fleverat Ascanio.
Namque ferunt olim Pagasae navalibus Argo
  Egressam longe Phasidos isse viam,
Et jam praeteritis labentem Athamantidos undis
  Mysorum scopulis adplicuisse ratem.
Hic manus heroum, placidis ut constitit oris,
  Mollia conposita litora fronde tegit.
At comes invicti juvenis processerat ultra
  Raram sepositi quaerere fontis aquam.
Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles,
  Hunc super et Zetes, hunc super et Calais,

V. 21. placitis.

nulli habent *turbida saxa* vel *tumbida*, unde Gronovius *torrida* fecit. Sed FRIGIDA *saxa* libri meliores cuncti tueri videntur. Ita libro V, 7, 66.

nec meritas frigida saxa *manus.*

I, 19, 27.

nivei montes et frigida rupes.

Unde tamen ista scripturae varietas sit, ignoramus: sciremus fortasse, si Santenius Puccii excerpta edere quam in scriniis premere maluisset. In minore versu *lacus non expertos* interpretor, quos numquam adiisti. Virgilius I. Aen. 201.

vos et Cyclopia saxa
Experti.

Valerius Flaccus I, 566.

sic ecce meus, sic, orbe peracto
Liber, *et* expertus terras *remeavit Apollo.*

Silius Italicus III, 496.

Primus inexpertas adiit *Tirynthius* arces.

17. ARGO] *Argon* scripti, et versu 26. *Zetus* pro *Zetes. Argo* ac *Zethes* jam anno MCCCCLXXXII. dedit Antonius Volscus.

21. PLACITIS UT CONSTITIT ORIS] Ita N. Heinsius. Libri scripti PLACIDIS *oris*, quod recte servari poterat. Eleg. XVIII, 28.

Mansuetis *socio parcite* litoribus.

Libro IV, 18, 7.

Et placidum *Syrtes* portum, *et* bona litora *nautis*
Praebeat hospitio saeva Malea suo.

Ovidius trist. IV, 4, 58.

Nec placidos portus *hospita navis adit.*

Idem ex Ponto I, 2, 62.

Mollia *naufragiis* litora *posse dari.*

et libro II, 9, 9.

Oscula suspensis instabant carpere palmis,
Oscula et alterna ferre supina fuga.
Ille sub extrema pendens secluditur ala,
Et volucres ramo submovet insidias.
Jam Pandioniae cessit genus Orithyiae:
Ah dolor! ibat Hylas, ibat Hamadryasin.

V. 27. plumis. 31. cesset. 32. dolor ibat.

Excipe naufragium non duro litore nostrum.

Ἁπαλόν pro *εὐόρμῳ* dixit Cratinus, teste Phrynicho Arabio *Προπαρασκευῇ Σοφιστικῇ* MS. apud Ruhnkenium epist. crit. II. pag. 157.

27. PLUMIS] Ex emendatione Joh. Livineji est. Codices PALMIS, quod recte probat Mitscherlichius in lectionibus Catullianis pag. 159. Ita *ταρσοὺς* pro *alis* usurpant Graeci. Vide Eustathium ad Odyss. 4. pag. 349. 34. et Oudendorpium ad Appuleji metam. V. pag. 366.

29. ILLE SUB EXTREMA PENDENS SECLUDITUR ALA] Sic codices; nam *subducitur* a librariorum oscitantia est, caetera indigna memoratu. Heinsii insignem in hoc versu interpolando temeritatem accurata interpretatione facile refutes. Hylas non inepte se a Boreadum osculis defendit. Eorum alterum, cum supra caput suum *suspensis palmis*, ut *oscula supina* ferret, vagantem videt, sinistra manu *extremam alam*, hoc est, remigum pennarum longissimam arripit, itaque, dum ille altius volare nititur, *sub ala* pondere deorsum tracta *pendet*, qua arte ab ore appetentis *secluditur* ac removetur: alterius *volucres insidias ramo* in dextram sumto a se *submovet*. Haec ideo exponenda fuere, quia Vulpius rem minus perceperat. *Extremam alam* ita dicit, ut *extremas manus* Valerius Flaccus I, 293.

Quis tibi, Phrixe, dolor, rapido cum concitus aestu
Respiceres miserae clamantia virginis ora,
Extremasque manus, *sparsosque per aequora crines!*

quae sunt *primae palmae* Propertio III, 19, 11.

At tu vix primas *extollens gurgite* palmas
Saepe meum nomen jam peritura vocas.

et ipsi Valerio VII, 621.

Aequat humo truncos, rutilum thoraca sequenti,
Aut primas *a matre* manus; *preinit obvius ante.*

Neque aliter illud Catulli intelligendum videtur II, 3.

Quoi primum digitum *dare adpetenti*
Et acris solet incitare morsus.

31. CESSET GENUS ORITHYIAE] Nihili est iste con-

Hic erat Arganthi Pegae sub vertice montis
  Grata domus Nymphis humida Thyniasin,
Quam supra nullae pendebant debita curae
  Roscida desertis poma sub arboribus,
Et circum inriguo surgebant lilia prato
  Candida purpureis mixta papaveribus.
Quae modo decerpens tenero pueriliter ungui
  Proposito florem praetulit officio;
Et modo formosis incumbens nescius undis
  Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis,
  Innixus dextro plena trahens humero.
Cujus ut accensae Dryades candore puellae
  Miratae solitos destituere choros,
Prolabsum leviter facili traxere liquore.
  Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat, responsa det: illi
  Nomen ab extremis fontibus aura refert.

V. 33. Pege. 49. iterat responsa: sed illi.

junctivus. Aut *cessat* lege cum Gronovio et uno codice Regio, aut CESSIT ex Groningano, Menteliano ac duobus aliis.

33. HIC ERAT ARGANTHI PEGE] In his librarii omnes cespitarunt. Neapolitanus (nam de hoc, ut in aliis multis, quae non commemoramus, fallit Burmannus) *Hic erat arganthiphege subvertite montis.* Repone PEGAE cum Scaligero, Apollonii ejusque scholiastae auctoritate. Burmannus hic varia et partim bona, sed parum cohaerentia notat.

49. CUI PROCUL ALCIDES ITERAT RESPONSA: SED ILLI] Neque hanc, quam libri omnes praeferunt, scripturam probare possum, nec ingeniosam Fonteinii Huschkiique emendationem scribentium ex Theocrito:

Cui procul Alcides ter Hyla
  responsat: at *illi.*

quia quae praecedunt,

Tum sonitum *rapto corpore*
  fecit *Hylas,*

de clamore Hylae intelligi nequeunt, quem aliis et ornatioribus verbis poëta indicaturus fuisset: sin referuntur, quo sane referenda sunt, ad sonitum, quem in aquam decidendo faciebat (quomodo apud Ovidium est metam. III, 36.

demissaque in undas
  Urna dedit sonitum,)

non potuit eum sonum Hercu-

His, o Galle, tuos monitus servabis amores
Formosum Nymphis credere fisus Hylan.

XXII. [XXI.]

Tu, qui consortem properas evadere casum,
Miles, ab Etruscis saucius aggeribus

V. 51. monitis serv. amores, 52. tutus. 2. aggeribus, Quid — torques?

les procul audire, ut respondendi facultas esset. Magis probae hoc nomine, nisi alia obstarent, sunt divinationes Jani Rutgersii et Nicolai Heinsii:

Tum sonitum rapto corpore fecit. Hyla
Cui procul Alcides iterat. Responsa *sed illi*
Nomen ab extremis fontibus aura refert.
Quem *procul Alcides iterat,* Responsa *sed illi*
Nomen ab extremis montibus *aura refert.*

At una littera mutanda integritas sua his versibus redibit, si scribas mecum *det* pro *set:*

Cui procul Alcides iterat, responsa DET: *illi*
Nomen ab extremis fontibus aura refert.

Semel iterumque vocabat Hercules Hylam, hortans simul, ut responderet.

51. HIS, O GALLE, TUOS MONITIS SERVABIS AMORES, FORMOSUM NYMPHIS CREDERE TUTUS HYLAN] Quibus *monitis*? Ad initium carminis referunt; quam parum apte, nemo non videt. Repone MONITUS ex codice Neapolitano, quem quinque Italici sequuntur. De fine versus majoris distinctionem tollendam esse Marklandus monuit, ut *servabis* exponeretur *cavebis. Tutus* enim securum significat, qui se tutum credit: ita habes libro III, 2, 11.

Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem.

et apud Horatium art. poët. 266.

tutus, *et intra*
Spem veniae cautus.

Sed illud ipsum vocabulum *tutus*, quamvis aptum sententiae, tamen sincerum non est, sed ex uno illo, quo nosti, Cujaciano Scaligeri derivatum. Omnes boni libri habent *visus;* sub quo quid aliud latere potest, quam *fisus?* Sic scribe:

His, o Galle, tuos MONITUS *servabis amores*
Formosum Nymphis credere FISUS *Hylan.*

Noli, inquit, puerum tuum Nymphis credere, earum virtuti et continentiae nimis confisus. Dativus *Nymphis* bis intelligendus est: *confisus Nymphis* et *Nymphis credere.*

XXII. [XXI.]

Poëmatium non inelegans,

Qui nostro gemitu turguentia lumina torques,
Pars ego sum vestrae proxima militiae.

sed male sedula criticorum cura probe corruptum, nos meliorum codicum ope ductuque restituimus. Jam de singulis exponemus. Primos versiculos ita scriptos omni tempore critici dedere:

Tu qui consortem properas evadere casum,
Miles ab Etruscis saucius aggeribus,
Quid *nostro gemitu turgentia lumina torques?*

In quibus *nostro gemitu* pro *gemitu nostri* positum volunt, eo sensu, quo Livius XXII, 5, 4. *gemitus vulnerum* dixit. Eo modo Aeschylus Prometh. 388.

Μὴ γάρ σε θρῆνος οὑμὸς εἰς ἔχθραν βάλῃ.

Ita ergo exponunt: *Quid torques*, crucias, vel, ut Passeratius, flectis et volvis huc et illuc *lumina meum fatum gemendo tumida?* At vero a gemitu non tument oculi, sed a fletu; nec lugere Gallum poterat miles, qui commilitonem suum ne agnosceret quidem, cuique hoc ut diceretur opus esset,

Pars ego sum vestrae proxima militiae.

Jure meritoque igitur optimam codicis Groningani scripturam Johanni quoque Livinejo probatam asciscimus: Qui *nostro gemitu*, mutata insuper distinctione. Gallus militem fugientem alloquitur, qui gemitu audito oculos fletu turgentes a clade Perusina ad loquentem convertebat. Ita enim jungenda verba sunt: *lumina torques ab Etruscis aggeribus.* Ovidius metam. VI, 515.

et nusquam lumen detorquet ab *illa.*

Horatius epist. II, 1, 127.

Torquet ab *obscenis jam nunc sermonibus* aurem.

Porro Gallus militem fugiendo se ipsum, ut parentes gaudeant, servare jubet et fletum compescere, ne soror (Galli puta, non ejus, quem alloquitur), quam male res Perusina gesta sit, ex ejus lacrimis sentiat. Aperta sententia, modo teneas, Gallum omnia non ignoto homini sed sibi cognato dicere (ideo versu 4. dicit:

Pars ego sum vestrae proxima *militiae;*

ne Passeratio credas exponenti *nuper*), nec, quod interpretibus placet, hoc carmen inscriptum fingi sepulcro Galli, quippe qui humatus numquam fuit (v. 9. XXIII, 8.) neque a Gallo moribundo pronunciari, (est enim, qui hominem dispersis ossibus (v. 9.) *proximum morti* fuisse censeat) sed ab umbra et *εἰδώλῳ* interemti, cum gemitu (v. 3.) sueto more prodeunte. At criticis haec ita potius interpolare libuit:

Sic te servato possint *gaudere parentes,*
Haec *soror* Acca *tuis sentiat e lacrimis.*

Sic te servato, ut possint gaudere parentes;
Nec soror acta tuis sentiat e lacrimis.
Gallum per medios ereptum Caesaris ensis
Effugere ignotas non potuisse manus,
Et quaecumque super dispersa invenerit ossa
Montibus Etruscis, haec sciat esse mea.

XXIII. [XXII.]

Qualis, et unde genus, qui sint mihi, Tulle, Penates,
Quaeris pro nostra semper amicitia.

V. 5. servatō possint. 6. Haec soror Acca,

trium commentis in unum coactis, Passeratii, Beroaldi, Scaligeri. Nam *ut* ante *possint* delendum praecepit Passeratius; frustra. Cur enim nolimus hoc? *Serva te, ut parentes gaudere possint.* At idem Passeratius Scaligeri divinationem improbabat, a quo erat repositum *Acca*, quod nomen unde Cornelii Galli sorori venisset intelligere nequibat. N. Heinsio *uda* vel *aucta* placuit, quorum illud nemo probabit, hoc scurrile et Plautinum esse a Bentlejo disces ad Terentii Heaut. II, 2, 3. Nihil autem codicum scriptura verius est *Acta* exhibentium, modo ne mandata morientis intelligas, sed res bello gestas. Ita Statius Theb. II, 651.

sine tristia Thebis
Nuncius acta *feram, vulgique per ora paventis*
Contemto te rege canam.

Sallustius Jug. 53. *Igitur pro metu repente gaudium exortum, milites alius alium laeti adpellant,* acta *edocent atque audiunt, sua quisque fortia facta ad caelum ferre.* Denique etiam *Nec soror* recte habet, vel, si id mavis, *Neu*; *Ne* autem, quod habent libri quidam, vitiosum est. *Haec* debetur Philippo Beroaldo non videnti, *sciat* ex versu postremo ad illa quoque revocandum esse, *Gallum per medios* etc. Duae res sunt, quas scire sororem Gallus cupit: se, postquam milites Caesaris evasisset, in ignotas manus incidisse (interpretes accuratius, quam ipse Propertius, rem incertam edocti, a latronibus interfectum scribunt), tum ossa sua, ne forte quaerat integrum corpus, in montibus Etruscis passim esse dispersa. Caeterum et huic et sequenti carmini aliquid epigrammatici inesse ipse, opinor, sentis: ut nihil nos cogat Heinsium sequi, in adversariis II, 15. pag. 335. et hoc et illud majoris carminis fragmenta esse judicantem.

Si Perusina tibi patriae sunt nota sepulcra,
  Italiae et duris funera temporibus,
Cum Romana suos egit discordia civis —
  Sic, mihi praecipue, pulvis Etrusca, dolor,

V. 3. sepultae Italiae duris. 6. Sis.

XXIII. [XXII.]

3. SI PERUSINA TIBI PATRIAE SUNT NOTA SEPULTAE ITALIAE DURIS FUNERA TEMPORIBUS] Ita Scaliger, *sepultae*, accedente, quae tamen nulla est, codicis Memmiani auctoritate. Sed insuavis illa compositio est, *patriae sepultae Italiae.* Scripti meliores universi habent *Sepulcra*, quomodo Catullus LXVIII, 89.

Troja (nefas) commune sepulcrum Europae Asiaeque.

Vide Bentlejum ad Horat. epod. IX, 25. At neque ita orationi suus honor constat. Repone:

Si Perusina tibi patriae *sunt nota* SEPULCRA,
Italiae ET *duris* funera *temporibus.*

Patriae sepulcra et Italiae funera, plane ut Petronius cap. 121.

Thessaliaeque rogos et funera gentis Iberae.

6. SIS MIHI PRAECIPUE] Non felicius hic Scaligero divinatio cessit. Codices plerique *Sit mihi;* Heinsius *Fis*; *Tu mihi* Marklandus. Veram scripturam liber Mentelianus cum tribus aliis servavit, e quibus repono:

SIC, *mihi praecipue, pulvis Etrusca, dolor,*
Tu projecta mei perpessa es membra propinqui.

Sic, in his bellorum civilium turbis. Hoc enim illa particula significat: In hac rerum conditione, Cum aliud quid sit aut esset. Propertius III, 18, 39.

At vos, qui officia in multos revocatis amicos,
Quantum sic cruciat lumina vestra dolor!

Sic, cum illud facitis. Ita libro IV, 14, 34.

Sic *cadit inflexo lapsa puella genu.*

quem locum male intelligunt, ut ibi dicemus. Sed et priorem frustra sollicitant, et V, 11. versum 9.

Sic *moestae cecinere tubae,*

quod est Ideo. Neque ista recte capiunt I, 3, 34.

Sic *ait in molli fixa toro cubitum.*

in quibus *Sic* ad praecedentia referendum ita exponi debet: Cum Luna oculos compositos suis radiis patefecisset. Cave igitur *Hic* ibi vel *Tunc* scribas: neque *ais* reponendum est, cum ista puellae minus apte narrentur, et *ait* tueatur ipse Propertius III, 24, 1. et 23. 31. seqq. Particula *sic* Statius quoque ita usus est III. Theb. 254.

Tu projecta mei perpessa es membra propinqui;
Tu nullo miseri contegis ossa solo —,
Proxima subposito contingens Umbria campo
Me genuit, terris fertilis uberibus.

Dixit; et attoniti jussis (mortalia credas
Pectora) sic *cuncti vocemque animosque tenebant.*

nisi praestat illa aliter distinguere:

Dixit; et attoniti jussis. mortalia credas
Pectora; sic cuncti vocemque animosque tenebant.

Certior Virgilii auctoritas Aen. I, 225.

Et jam finis erat, cum Juppiter aethere summo
Despiciens mare velivolum terrasque jacentis
Litoraque et latos populos sic *vertice caeli*
Constitit, et Libyae defixit lumina regnis.

ubi Heynium adi, et, qui Graeca contulit, Wunderlichium ad Aeschinem contra Ctesiph. pag. 226.

SEX. AURELII

PROPERTII

ELEGIARUM

LIBER SECUNDUS.

I.

Quaeritis, unde mihi totiens scribantur amores,
  Unde meus veniat mollis in ora liber.
Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo;
  Ingenium nobis ipsa puella facit.

V. 2. liber? 3. dictat.

IN LIB. II.

I.

3. NON HAEC MIHI DICTAT APOLLO] Verbum *dictat*, postquam divinando Livinejus invenerat, ab Heinsio in notis Propertianis pag. 677. *libro Palatino* ascriptum, Burmannus *auctoritate codicum Palatinorum* sese edidisse ait; Jano Gebhardo, qui solus libros Palatinos vidit, tacente. Retineamus ergo certioris auctoritatis lectionem,

Non haec Calliope, non haec mihi CANTAT *Apollo*,

cui vindicandae vel illud sufficit *Μῆνιν ἄειδε θεά*. Scilicet poëtae Musarum et Apollinis *ὑποφῆται* sunt; quamquam et aliorum poëtarum *ὑποφήτην* facere se Theocritus videtur; ita tamen, ut secum pugnet ipse, non alios, sed Musam secuturum sese promittens, XXII, 116.

Εἰπὲ θεά, σὺ γὰρ οἶσθα· ἐγὼ δ' ἑτέρων ὑποφήτης
Φθέγξομαι, ὅσσ' ἐθέλεις σύ, καὶ ὅππως τοι φίλον αὐτᾷ.

Repone:

Sive lyrae carmen digitis percussit eburnis,
  Miramur, facilis ut premat arte manus.
Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
  Gaudet laudatis ire superba comis;
Sive illam Cois fulgentem incedere coccis,
  Hoc totum in Coa veste volumen erit;

V. 5—10. *hoc ordine positi* 9. 10. 7. 8. 5. 6. V. 5. (9). per- currit. 9. (5). inc. totis. 10. (6). e Coa.

> ἐγὼ δ' ἐπέων ὑποφήτης φθέγξομαι.

Nam non θεοῦ tantum, sed ἐπέων quoque ὑποφήτην recte dici Apollonius Rhodius fidem facit I, 20.

> *Νῦν δ' ἂν ἐγὼ γενεήν τε καὶ οὔνομα μυθησαίμην*
> *Ἡρώων, δολιχῆς τε πόρους ἁλὸς, ὅσσα τ' ἔρεξαν*
> *Πλαζόμενοι· Μοῦσαι δ' ὑποφήτορες εἶεν ἀοιδῆς.*

qui tamen Musas sibi *ὑποφήτορας* cupit, ut Catullus LXVIII, 45. ad Musas:

> *Sed dicam vobis; Vos* porro dicite *multis*
> *Milibus, et facite haec charta loquatur anus.*

5. (9.) LYRAE CARMEN DIGITIS PERCURRIT EBURNIS] Male receptum a Burmanno commentum Dousae *percurrit*. Scriptam lectionem PERCUSSIT et caetera, quae Burmannus et alii sollicitant, egregie vindicavit Huschkius in epistola critica pag. 8—12., quem vide. Mox,

> Miramur, *faciles* ut premit *arte manus,*

habet Groninganus cum Guarneriano aliisque pro *ut premat*. Utra sit vera scriptura, dici non potest, nisi quod conjunctivo favet alius locus III, 8, 7.

> *Vel tu Sisyphios licet* admirere *labores,*
> *Difficile* ut *toto monte* volutet *onus.*

7. (5.) Sive illam Cois fulgentem incedere totis,
  Hoc totum e Coa veste volumen erit;
Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
  Gaudet laudatis ire superba comis.]

Versus suavissimi, sed vitio non uno turpiter inquinati; quare, ut vera scriptura e librariorum erroribus prodeat, intentis viribus annitendum est. Primus igitur versus in libris scriptis ita legitur:

> *Sive illam Cois fulgentem incedere* cogis,

sensu aut inepto aut nullo. *Incedere togis* habent perpauci, idque Volscus dedit anno MCCCCLXXXVIII. Idem in prima editione cum Beroaldo et exemplari Vicentino aliisque *Sive togis illam fulgentem incedere Caeis* vel *Cois.* Broukhusius, togatam non ferens ingenuam, *Cois fulgentem ince-*

Seu cum poscentis somnum declinat ocellos,
Invenio causas mille poëta novas.

dere totis, non nimis aperto sensu, si forte id voluit, quod Burmannus patruus expressit melius corrigendo *fulgentem incedere totam*. Marklando placuit *Cois textis* vel *Coa veste*; Heinsio et Astio primorum editorum vestigia legentibus *Sive illam tunicis et Sive vagis illam fulgentem incedere Cois*. Magna, ut vides, commentorum vis, sed Sardi venales, alius alio nequior. Nemo totam sententiam sanam fecit, vitio satis gravi non animadverso. Vitium est enim illud, quicquid dicant, primi versus structuram a tertio pendere, *vidi* in tertio posito, quod ad primum pertinebat. Nam in his propositionibus, quae per bina *sive* ita, ut duae apodoses assint, junguntur, priorem quidem apodosin a posteriore suspendi licet; licet etiam in protasi posteriore aliquid e priore supplendum omittere. Utrumque apud Ovidium habes amor. II, 7, 9.

Sive *bonus color* est, *in te quoque* frigidus esse,
Seu malus, *alterius* dicor *amore mori.*

At protasin priorem cum posteriore ita copulari, ut ex hac demum illa intelligi possit, permissum non est. Lucani exemplo rem probabo lib. I, 376.

Pectore si *fratris gladium juguloque parentis*
Condere me jubeas, *plenaeque in viscera partu*
Conjugis, invita peragam tamen omnia dextra;
Si spoliare *deos ignemque* immittere *templis,*
Numina miscebit castrensis flamma Monetae;
Castra super Tusci si *ponere Tibridis undas,*
Hesperios audax veniam metator in agros.

Rectissime Lucanus et regulae, quam dixi, convenienter: sed periculum fac transponendi verbi *jubeas* e versu secundo in quartum: orationem tortuosam lucrabere ac male impeditam, sed ei, quam hic noster locus ostentat, simillimam. Huic igitur vitio longe caeteris feliciorem Itali saeculi XV. medelam attulere scribendo:

Sive illam Cois fulgentem incedere vidi,

quod e Vaticano ac Vossiano quarto, utroque Italicae propaginis, Livinejus et Burmannus *) annotarunt. Hoc ergo, quod ante pauca saecula edolatum nesciret, Johannes Schra-

*) Eam scripturam et sequente versu *Totam de* offerre *duos Vossii* codices in emendationum libro cap. VI. scribit Joh. Schraderus pag. 113. 114.

Seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
Tum vero magnas condimus Iliadas.

V. 14. Tunc.

derus auctore Propertio dignum judicavit: ego ut probum esse assentior, ita pro vero accipere negito. Huschkius quoque improbat, repetitionem verbi *vidi* nescio quid ingrati habere dicens, me aliter sentiente; id monens recte, quomodo illud cum *cogis* commutari potuerit, non apparere; quod ita verum est, ut idem de Huschkii emendatione dicendum sit,

Sive illam Cois fulgentem incedere novi;

si vel maxime *cognovi* ad hoc *novi* illustrandum in margine compendiose ascriptum fuerit. Jam vero et alia menda succedit in istis:

Hoc totum e Coa veste volumen erit,

quorum sensum cum caeteri subobscure et per nebulam quasi lectoribus ostendissent cauti, unus aperte exponere ausus est Frid. Gottl. Barthius: hoc dicere Propertium, se hunc ipsum librum secundum, si libitum sit, ex hac levi licet materia, nempe veste bombycina, tamquam filum e tenui lana deducere, et integrum conficere posse volumen. Hanc ille *elegantem imaginem* appellat. Haud vidi magis elegantem. Aliud certe ejusdem Joh. Schraderi ejusdemque Itali, Vossiani quarti interpolatoris, judicium fuit, corrigentium,

Totum de *Coa veste volumen erit,*

nimis libera tamen et audaci conjectura. Post horum omnium conatus nos locum aliter concinnatum damus, et speramus fore, ut nos hic saltem operam non lusisse dicas. Ita igitur hi versus scribendi sunt:

Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
Gaudet laudatis ire superba comis;
Sive illam Cois fulgentem incedere coccis,
Hoc totum in *Coa veste volumen erit.*

Pro codicum scriptura *Cogis* repositum est *Coccis*. *Coa cocca* appellat, quas Horatius *purpuras Coas* dicit carm. IV, 13, 13.

Nec Coae *referent jam tibi* purpurae,
Nec cari lapides tempora, quae semel
Notis condita fastis
Inclusit volucris dies.

ubi interpretes vide. Nuper de his purpuris Cois Mongezium accurate disputasse comperimus. In versu minore *Hoc* interpretor Ideo; ne quis *hoc volumen* conjungat. Sed volumen suum *totum* futurum *in Coa veste* dicit, eaque celebranda totum occupatum iri. Terentius Adel. IV, 2, 50.

Ctesipho autem in amore est

Seu quicquid fecit, sive est quodcumque locuta,
 Maxima de nihilo nascitur historia.

totus. *ego jam prospiciam mihi.*

Ovidius metam. III, 586. et XIII, 546.

poenaeque in imagine tota est.

Idem fastor. VI, 251.

In prece totus eram. *caelestia numina sensi.*

Horatius serm. I, 9, 2.

Nescio quid meditans nugarum, totus in illis.

Idem epist. I, 1, 11.

Quid verum atque decens curo et rogo, et omnis in hoc sum.

Sed praeterea ordo versuum mutandus fuit, ut lux sua et ordo redderetur orationi, quae jam Lucani loco supra excitato prorsus gemina est. Nec nimia hic dici potest ea licentia, ubi singula disticha ab *Seu* et *Sive* incipiunt. Quid? quod amplius hic turbatum esse versuum ordinem aliud orationis vitium ostendit. Id est in versu 11.

Seu cum *poscentes somnum declinat ocellos,*
Invenio causas mille poëta novas.

Qui Latine scit, conjunget *Sive invenio*: at id vetat sensus. Neque in superioribus est, unde *seu* pendeat; nam *Sive percussit* praecesserat. Nonne manifestum est, et hic quoque particulam *cum* ad illud *vidi* pertinere? Transponendum igitur est, quia singula verba nullam praebent corruptelae suspicionem. Jam vero hi versiculi quatuor modis sine constructionis damno ordinari possunt; quorum primus tortuosam orationem reddit: *Sive lyrae carmen, Seu vidi ad frontem, Seu cum poscentes, Sive illam Cois, Seu nuda erepto;* alterum praeterea sententiarum cohaerentia non probat: *Seu vidi ad frontem, Seu cum poscentes, Sive illam Cois, Sive lyrae carmen;* nec tertius ordinem bonum praestat: *Seu vidi ad frontem, Sive illam Cois, Seu cum poscentes, Sive lyrae carmen.* Una ratio superest, quae vel subtili judicio satisfaciat, si versus 5. 6.que cum 9. ac 10. commutaverimus, hoc ordine:

Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo:
Ingenium nobis ipsa puella facit.
Sive lyrae carmen digitis percussit eburnis,
Miramur, faciles ut premat arte manus.
Seu vidi *ad frontem sparsos errare capillos,*
Gaudet laudatis ire superba comis;
Sive *illam* Cois fulgentem *incedere* coccis,
Hoc totum in Coa veste volumen erit;
Seu, cum *poscentes somnum* declinat *ocellos,*
Invenio causas mille poëta novas.

Quod mihi si tantum, Maecenas, fata dedissent,
Ut possem heroas ducere in arma manus,
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
Inpositam, ut caeli Pelion esset iter;

V. 20. Inpositum, ut caelo.

Seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
Tum vero longas condimus Iliadas.
Seu quicquid fecit, sive est quodcumque locuta,
Maxima de nihilo nascitur historia.

Hoc ordine positis versibus mira est in singulis vocabulis orationis elegantia. Tute ipse considera; nam nobis alio properandum est.

20. INPOSITUM] In codice Neapolitano invenio: *Non Ossan Olympo* IMPOSITAM, et probo, quamquam annotare ex eo libro hanc varietatem Heinsius et Burmannus neglexerunt. Alibi tamen praeferri talia codicum auctoritate solent; itaque Ovidius cum saepius, tum amorum II, 1, 14.

Ausus eram, memini, caelestia dicere bella,
Centimanumque Gygen, et satis oris erat;
Cum male se Tellus ulta est, ingestaque Olympo
Ardua *devexum Pelion* Ossa *tulit.*

20. UT CAELO PELION ESSET ITER] Libri scripti omnes CAELI *iter* habent, cui lectioni divinatio Broukhusii debuit cedere. Apud Flaccum Valerium I, 565. scripti plerique:

durum vobis iter *et grave* caeli
Institui.

nec rejiciendum ideo, quod in codice uno aut altero *caelum* exstat. Idem Valerius I, 793.

Da placidae *mihi* sedis iter,
meque hostia vestris
Conciliet praemissa locis.

et eodem sensu *viam leti* Ovidius metam. XI, 792.

furit Aesacos, inque profundum
Pronus abit, letique viam
sine fine retentat.

Lucanus IV, 267.

Ut leti *videre* viam, *conversus in iram*
Praecipitem timor est.

Seneca Phoeniss. 304.

Ideoque leti *quaero maturi* viam.

Tibullus I, 10, 4.

Tum brevior dirae mortis
aperta via *est.*

ubi vide Broukhusium et Schaeferum in meletem. critic. I. pag. 90. et ad Sophoclis Philoct. 43. pag. 345. Apud eumdem Tibullum I, 3, 49.

Nunc Jove sub domino caedes et vulnera semper,
Nunc mare, nunc leti *mille repente* viae,

non tantum *leto* reposuit Broukhusius, sed etiam *nunc vulnera* et *multa reperta via,*

Non veteres Thebas, nec Pergama, nomen Homeri,
Xerxive imperio bina coisse vada,
Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altae,
Cimbrorumve minas et benefacta Mari:
Bellaque resque tui memorarem Caesaris, et tu
Caesare sub magno cura secunda fores.
Nam quotiens Mutinam, aut civilia busta Philippos,
Aut canerem Siculae classica bella fugae,
Eversosve focos antiquae gentis Etruscae,
Aut Ptolemaeeae litora capta Phari,

V. 22. Xerxis et. 24. Cimbrorumque. 29. Eversosque. 30. Et.

quae omnia a correctoribus Italis excogitata esse censeo, non videntibus *semper* haud minus quam *repente* languere. Scribo:

Nunc Jove sub domino caedes et vulnera; apertum
Nunc mare, nunc leti mille repente viae.

in quibus *Nunc* pro Tum ponitur, *apertum* ad utrumque, mare et leti viam, refertur. Praeter locum Tibulli ante excitatum compara Valerium Flac. I, 7. 169. Statium Achill. I, 62.

21. NON VETERES THEBAS] Aliquot codices et in prima editione Volscus *Nec veteres*. Sed *Non* praestat, quod res divinas ab humanis accuratius distinguit.

22. XERXIS ET IMPERIO] Codex Heinsianus et, si Burmanno fides, alii *Persis* exhibent, quod vellet admittere, modo grammaticorum praeceptis congrueret, Burmannus patruus ad Lucan. II, 672. Sed *Xersis* aut *Xerxis* melior quisque, quo tamen genitivo qui usus sit, bonum scriptorem ne unum quidem novi. Praeterea vero particula *et* ferri non potest; quid enim Xerxes ad bellum Trojanum? Lego:

XERXIVE *imperio bina coisse vada.*

Eam formam *Xerxi* habet Cornelius Nepos XXI, 1, 3. Confer Heinsium ad Ovid. Epist. VIII, 9.

24. CIMBRORUMQUE] Corrige:

*Cimbrorum*VE *minas et benefacta Mari.*

29. EVERSOSQUE. 30. ET. 33. AUT] Nulla librariorum errantium habita ratione, scribe ex historiae fide:

Nam quoties Mutinam aut civilia busta Philippos
Aut *canerem Siculae classica bella fugae,*
*Eversos*VE *focos antiquae gentis Etruscae,*
AUT *Ptolemaeeae litora capta Phari;*

Aut canere inciperem et Nilum, cum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis,

V. 31. canerem Aegyptum.

Aut *canerem Aegyptum et*
Nilum, cum tractus in
urbem
Septem captivis debilis ibat
aquis,
ET *regum auratis circumdata*
colla catenis,
Actiaque in Sacra currere
rostra Via.

Priora ad res gestas, ultima ad triumphum pertinent. Neque in hujusmodi enumeratione negligentiae locus est.

31. AUT CANEREM AEGYPTUM ET NILUM] Codices aut omnes aut certe optimi, Groning. Mentel. Guarner. (nam de Palatinis et Bononiensi nihil constat) habent *Aut canerem Cyprum et Nilum*, Neapolitanus *Cyptum*. Id cum historiae non conveniret, *Aegyptum* primi editores substituerunt, probantibus, qui posthac hunc poëtam attigerunt, omnibus. Sed quo tandem consilio *Aegyptum* commemorat, qui jam dixerat antea

Ptolemaeëae litora capta Phari?

Quid, quod hic de rebus gestis in Aegypto (has enim *Aegypti* nomen sic nude positum indicabit) non amplius agitur, sed de triplici triumpho, Aegyptio, Illyrico, Actiaco:

Nilum, *cum tractus in*
urbem
Septem captivis debilis ibat
aquis,
Et regum *auratis circumdata*
colla catenis,
Actiaque *in* Sacra *currere*
rostra Via.

Neque duci in triumpho imago potuit, septem ostiis tarde incedentem Aegyptum referens, sed Nilum. Praeterea, ut de soni rusticitate nihil dicam et intolerabili *μυκηθμῷ canerem Aegyptum et Nilum cum*, habet etiam metrica ars, quod admissum contra suas regulas culpet. Nam in penthemimeri particulam *et* ita poni vetat, ut breve vocabulum sequatur, sensu cum praecedentibus, non cum his, quae subjiciuntur, conjunctum:

Aut canerem Aegyptum et
Nilum, | *cum tractus*
in urbem.

Vide ab hoc versu quantum differant illi:

Tela fugacis equi, | et braccati militis arcum. |
Sacra diesque canam, | et cognomina prisca locorum. |
Arma tuli quondam, | et (memini) laudabar in illis. |
Et praeceps Anio, | et Tiburni lucus | *et uda.*
Inclamat voce, | et, | Licet antestari? | *ego vero.*

Et regum auratis circumdata colla catenis,
  Actiaque in Sacra currere rostra Via,
Te mea Musa illis semper contexeret armis,
  Et sumta et posita pace fidele caput,
Theseus infernis, superis ceu fatur Achilles,
  Hic Ixioniden, ille Menoetiaden.

V. 33. Aut. 37. testatur.

Quae cum ita sint, librorum lectio *Aut canerem Cyprum* facile nos ducit eo, ut reponamus:

Aut canere INCIPEREM *et Nilum, cum tractus in urbem*
  Septem captivis debilis ibat aquis,
Et regum auratis circumdata colla catenis,
  Actiaque in Sacra currere rostra Via.

Ex *canere inciperem* posteaquam factum erat *canerem ciperem*, nihil mirum jam est, inde *Cyprum* promanasse. Ita vero particula *et* sese sustinere potest, praedicens nova, non sequentia prioribus copulans; et amat Propertius sic ponere *incipiendi* vocabulum, tamquam libro IV, 3, 15.

Inque sinu carae nixus spectare puellae
  Incipiam, *et titulis oppida capta legam.*

Libro III, 11, 19.

Incipiam *captare feras —*

Libro III, 31, 43.

Incipe *jam angusto versus includere torno.*

Libro IV, 5, 7.

Nunc mihi, si qua tenes, ab origine dicere prima
  Incipe: *suspensis auribus ista bibam.*

Libro V, 10, 1.

Nunc Jovis incipiam *causas aperire Feretri.*

35. CONTEXERET] Sic impressi, quos vidi, omnes praeter exemplar Venetum Volsci MCCCCLXXXVIII., in quo *contexerit* est, ut in scriptis, quantum constat, omnibus: *contexuit* in Groningano.

37. THESEUS INFERNIS, SUPERIS TESTATUR ACHILLES, HIC IXIONIDEN, ILLE MENOETIADEN] Hoc distichon carebit sensu, nisi *quale caput* cum Mureto suppleas. Id quia non Latinitas, sed omnis humani sermonis ratio vetat, Burmannus aut desiderari nonnulla judicat, aut haec male huc aliunde intrusa esse; quin et alium locum, quo reponeret, invenit. Nobis interim parva mutatione lux sua his versibus restitui posse videtur scribendo:

Te mea Musa illis semper contexeret armis,
  Et sumta et posita pace fidele caput,
Theseus infernis, superis CEU FATUR *Achilles,*

Sed neque Phlegraeos Jovis Enceladique tumultus
  Intonet angusto pectore Callimachus,
Nec mea conveniunt duro praecordia versu
  Caesaris in Phrygios condere nomen avos.
Navita de ventis, de tauris narrat arator,
  Enumerat miles volnera, pastor ovis,
Nos contra angusto versantes praelia lecto.
  Qua pote quisque, in ea conterat arte diem.

V. 45. versamus. 46. pote, quisque in ea.

Hic Ixioniden, ille Menoetiaden.
Fidele Augusto caput Maecenatem dicit, quales sibi Pirithoum et Patroclum fuisse superis inferisque Achilles ac Theseus referunt. Nam mortui apud inferos sua fata narrant. Vide Nostrum V, 7, 63 seqq. III, 22, 27. Virgil. Aen. VI, 619. Dii autem (hos enim *superos* intelligo) apud Homerum et alios res ab hominibus gestas in animum sibi saepius revocant.

45. NOS CONTRA ANGUSTO VERSAMUS PRAELIA LECTO; Falsa sententia. Imparem se rebus militaribus canendis dicit, huic leviori carminum generi operam dare. Quo igitur hic *versamus praelia*, quod est, committimus? Immo *narramus*, *celebramus* debuit dici. Quis est igitur, quin malit accipere, quod scripti omnes habent:

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves,
Nos contra angusto VERSANTES *praelia lecto.*

Nos, inquit, enumeramus amantium delicias praelia angusto lecto versantium. Ita, ut dixi, codices scripti universi e impressus Vicentinus; eamque lectionem, cui anno MCCCCLXXXII., Beroaldo et caeteris omnibus assentientibus, substituerat *versamus*, Ant. Volscus recte demum anno MCCCCLXXXVIII. reduxit. Caeterum *versari praelia* nemo fortasse dixit praeter nostrum et Ciceronem. In Verrem lib. III, 53, 124. *Quaenam in Sicilia tanta clades, aut quod bellum tam diuturnum, tam calamitosum, te praetore, versatum est?* pro Archia 9, 21. *Mithridaticum vero bellum, magnum atque difficile, et in multa varietate terra marique versatum, totum ab hoc expressum est.* At hic noster *contra versantes praelia* dicit, alterum nempe contra alterum, ut libro IV, 10, 13.

Ausa ferox ab equo contra oppugnare sagittis
Maeotis Danaum Penthesilea rates.

Laus in amore mori; laus altera, si datur uno
Posse frui. fruar ô solus amore meo!

Post v. 48. *inserti* eleg. IV. v. 1. 2.

ne forte *contra* pro autem positum existimes.

47. LAUS IN AMORE MORI; LAUS ALTERA, SI DATUR UNO POSSE FRUI. FRUAR O SOLUS AMORE MEO!] Ita quidem libri meliores plerique: sunt tamen in quibus legatur,

laus, si datur, altera, vivo
Posse frui.

quod interpres optimus Johannes Livinejus praeoptat. Sed praeter confusam orationem hoc in illa lectione vitii inest, quod *laus altera* dictum est pro *laus quoque*. *Altera* enim *laus* est, quam priori accedere volumus. Pindarus Pyth. I. 99.

Τὸ δὲ παθεῖν εὖ, πρῶτον ἄθλων· εὖ δ' ἀκούειν δευτέρα μοῖρ'· ἀμφοτέροισι δ' ἀνὴρ
Ὃς ἂν ἐγκύρσῃ καὶ ἕλῃ, στέφανον ὕψιστον δέδεκται.

Simonidis scolion:

Ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνατῷ·
Δεύτερον δέ, φυὰν καλὸν γενέσθαι·
Τὸ τρίτον δέ, πλουτεῖν ἀδόλως·
Εἶτα τέταρτον, ἡβᾷν μετὰ τῶν φίλων.

Contra alterum egregium est: *laus altera*, *si datur uno Posse frui*, modo ne interpretes sequare, qui *uno* pro *uni* positum autumant, connexum et cohaerentiam sententiarum nihil curantes. Sic igitur haec capienda sunt: Laus est in unô apto amore ad mortem usque perstare; laus altera, si illius unius amoris fructum percipere licet ex mutuo amore puellae. Redamari enim hoc est, *frui amore*. Libro IV, 20, 20.

Semper amet, fructu *semper* amoris *egens.*

Tibullus I, 5, 17.

Omnia persolvi: fruitur *nunc alter* amore.
Et precibus felix utitur ille meis.

id est, amoris mei fructum alter percipit, mea benefacta redduntur alteri. Ita enim is locus explicandus est, Ovidio interpretationem praeeunte epist. VI, 75.

Vota ego persolvam? votis Medea fruetur?

Alium dicit *Veneris fructum* Lucretius IV, 1069.

Nec Veneris fructu *caret is, qui vitat* amorem.

quamquam et hunc *amoris fructum* Catullus minus proprie appellavit LV, 19.

Si linguam clauso tenes in ore,
Fructus *projicies* amoris *omnes:*
Verbosa gaudet Venus loquela.

Pergit Propertius: *fruar o solus amore meo!* Utinam mihi

Si memini, solet illa levis culpare puellas,
  Et totam ex Helena non probat Iliada:
Seu mihi sunt tangenda novercae pocula Phaedrae,
  Pocula privigno non nocitura suo,
Seu mihi Circaeo pereundum est gramine, sive
  Colchis Iölciacis urat ahena focis,

V. 49—70. *Burm. vers.* 51—72. V. 49. (51.) Sed. 51. (53.) sint. 53. (55.) est *omissum.*

uni omnium meo amore liceat frui! *Solus* est, insignis prae aliis amatoribus, unus omnium. Plautus in Curcul. II, 1, 33.

Vah solus hic homost, qui
sciat divinitus.

Virgilius ecl. VIII, 10.

En erit, ut liceat totum mihi
ferre per orbem
Sola *Sophocleo tua carmina*
digna cothurno.

Aeneid. XI, 821.

Tum sic exspirans Accam ex
aequalibus unam
Adloquitur, fida ante alias
quae sola *Camillae.*

Antholog. Lat. III, 168.

Solus *vera probas jucundi*
verba poëtae.

Propertius III, 12, 35.

Hoc mihi perpetuo jus est,
quod solus *amator*
Nec cito desisto, nec teme-
re incipio.

et ne longe quaeramus in vicinia posita, hoc ipso carmine v. 65.

Hoc si quis vitium poterit
mihi demere, solus
Tantaleae poterit tradere
poma manu.

49. SED MEMINI] Sic solus Vaticanus Livineji: caeteri si *memini*, quod unice verum est. Versibus 49—56. illustratur sententia distichi modo a nobis expliciti. Quare nullus hic est particulae adversanti locus, neque ei disticho, quod suo loco motum ante hoc posuit Scaliger, *His saltem ut tenear*, de quo dicemus in tempore, ad elegiam IV, quam ab eo dicemus inchoandam esse: Vulpio erat eleg. III. vers. 45. et 46. Mox post versum 72 (70) *Brachia* etc. quatuor disticha exstirpanda sunt, *Non hic herba, Quippe ubi nec, Non eget hic, Ambulat et subito.* Ista in libris scriptis et editis ante Scaligerum recte ponuntur ante elegiae II. versum 7., qui apud Vulpium est eleg. IV, 15., nobis eleg. IV. 25tus.

51. SEU MIHI SINT TANGENDA. 53. CIRCAEO PEREUNDUM GRAMINE] Scripti aut omnes aut certe plerique habent:

Seu mihi SUNT *tangenda no-*
vercae pocula Phae-
drae,
Seu mihi Circaeo pereundum
EST *gramine, sive*
Colchis Iolciacis urat *ahena*
focis.

Est agnoscunt omnes: Broukhusius demum ejecit. *Si*

Una meos quoniam praedata est femina sensus,
  Ex hac ducentur funera nostra domo.
Omis humanos sanat medicina dolores:
  Solus amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetae sanavit crura Machaon,
  Phoenicis Chiron lumina Phillyrides;
Et deus exstinctum Cressis Epidaurius herbis
  Restituit patriis Androgeona focis;
Mysus et Haemonia juvenis qua cuspide volnus
  Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.
Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus
  Tantaleae poterit tradere poma manu;
Dolia virgineis idem ille repleverit urnis,
  Ne tenera adsidua colla graventur aqua;
Idem Caucasia solvet de rupe Promethei
  Brachia, et a medio pectore pellet avem.

Post vers. 70. (72.) *inserti* el. IV, 17—24.

habent praeter alios Neapolitanus, Mentel. et Palatini: de Groningano et Vulpianis nihil innotuit. *Sint* tamen impressi omnes exhibent; nec sane multum refert. Nam de hac modorum variatione ad librum I, 2, 9. satis dictum est. Caeterum *seu* hic *si vel* significat. Vide Wunderlichium ad Tibull. I, 6, 21., cujus notatis adde ex nostro III, 18, 10.

Sive *ego Tithonus*, sive *ego Nestor ero.*

et ex Statio Theb. IV, 756.

Da fessis in rebus opem, seu *turbidus amnis*,
Seu *tibi foeda palus.*

54. COLCHIS IOLCIACIS] Ita Scaliger, praeclara emendatione: codices scripti *Colchiacis.*

66. TANTALEAE POTERIT TRADERE [POMA MANU] *Tantalea* est in libris scriptis omnibus, sed a Beroaldo correctum egregie. Nihilominus praeter Heinsium, cui *radere*, Broukhusio recte obnitente, placebat, Burmannus et ante eum Latinus Latinius operum vol. II. pag. 59. a. tentant:

Tantalea poterit carpere *poma manu.*

Sed cur Tantalea manu? Quidni potius, sua manu poma Tantali? Cur non ornaverit ita rem Propertius, ut eum, a quo ipse sanaretur, Tantalo quoque aeternum cruciatum adimere eique poma diu captata tandem tradere posse diceret? Ita certe antea quoque de Danaidibus et Prometheo locutus erat; nec fefellit Broukhusium elegantia.

Quandocumque igitur vitam mea fata reposcent,
  Et breve in exiguo marmore nomen ero,
Maecenas, nostrae spes invidiosa juventae,
  Et vitae et morti gloria justa meae,
Si te forte meo ducet via proxima busto,
  Esseda caelatis siste Britanna jugis,
Taliaque inlacrimans mutae jace verba favillae:
  Huic misero fatum dura puella fuit.

II.

Liber eram, et vacuo meditabar vivere lecto:
  At me conposita pace fefellit Amor.
Cur haec in terris facies humana moratur?
  Juppiter, ignoro pristina furta tua.
Fulva coma est, longaeque manus, et maxima toto
  Corpore, et incedit vel Jove digna soror,

V. 71—78. *Burm.* 81—88. *Tum* eleg. III, 1—4. — Eleg. II, 1. 2. *Burm.* II, 5. 6. V. 1. (II, 5.) quaerebam. 3—16. *Burm.* II, 55—68.

II.

1. QUAEREBAM VIVERE] *Quaerebam* primus Scaliger dedit: errore, puto, quia sequebatur ex ejus dispositione, *Quaerebam sicca* (III, 5.). Scripti omnes et olim impressi: *Vacuo* MEDITABAR *vivere lecto.* Ita Horatius serm. II, 3, 262.

Ne nunc, cum me vocat ultro,
Accedam? an potius mediter *finire dolores?*

Silius IV, 178.

avia namque
Dum petit, ac laevo meditatur *fallere gyro.*

Male autem Scaliger hoc distichon a sequentibus avulsit; nam bene cohaerent; quod et vidit Vulpius, et si clarius exposuisset, Johanni Schradero persuasurus erat. Iterum se Amoris insidiis captum Propertius dicit; nec mirum esse in hac forma. Cur tantum haec facies ab Jove terris nondum erepta sit? Esse sane dignam, qua et Juppiter capiatur. Ut modo per longos annos incolumis maneat.

6. ET INCEDIT VEL JOVE DIGNA SOROR, AUT QUUM DULICHIAS PALLAS SPATIATUR AD ARAS] Per appositionem capienda ista sunt: *incedit digna vel Jove soror*, et *incedit Pallas.* Sed Burmannus *Jove dignam* pro Junone dici vult, itaque et lib. I, 14, 29. intelligit:

Aut cum Dulichias Pallas spatiatur ad aras,
Gorgonis anguiferae pectus operta comis;
Qualis et Ischomachè, Lapithae genus heroinae,
Centauris medio grata rapina mero,
Mercurio et sanctis fertur Boebeïdos undis
Virgineum Brimo conposuisse latus.
Cedite jam, divae, quas pastor viderat olim
Idaeis tunicam ponere verticibus.
Hanc utinam faciem nolit mutare senectus,
Etsi Cumaeae saecula vatis aget.

V. 15. (67.) vetustas.

Nec mirum, cum sit Jove *digna et proxima Ledae.*

Ne forte erres, *cum sit Jove digna* explicat *cum Juno sit.* Eadem arte efficiemus, Liviam Augusti sororem fuisse, itaque prorsus Junonem sui Jovis, ex Ovidiano fast. I, 650.

Sola toro magni digna reperta Jovis.

Nos illa *Jove digna soror* ita potius interpretemur: Jove digna fratre, Digna quam sororem habeat Juppiter. Caeterum admodum dura est haec, quam diximus, appositio, ut suspicio sit scripsisse Propertium:

et incedit, vel Jove dignus amor,
Ut *cum Dulichias Pallas spatiatur ad aras,*
Gorgonis anguiferae pectus operta comis.

Id probabilius videtur, quam quod Heinsio in mentem venit, *ceu Jove digna viro.* Pro *Aut* vero *Ut* Livinejus jam voluit et Italus in libro Colotii. Sed quod *Munychias aras* faciunt e *Dulichiis*, non caret specie, tametsi non duco necessarium.

11. MERCURIO ET SANCTIS] In hac scriptura codicis Menteliani fiduciâ acquiescamus licet, sed addita particula *et*, quam scripti ignorant. Eam si abesse non posse meminisset Burmannus, nollet conjectasse,

Mercurio Ossaeis (*vel* Ossaeae) *fertur Boebeïdos undis.*

Sed verum illud *sanctis* nolim contendere, cum omnes praeter Mentelianum boni habeant *Mercurio satis.* Utramque scripturam Domitius Calderinus commemorat, a quo est illa lectio *Mercurio Sais.* In minore versu *Brimus* nomen Turnebi acumen restituit, pro quo scripti omnes exhibent *primo.*

15. VETUSTAS] Hoc quoque non sponte, opinor, inductum a Scaligero recentiores imitati sunt. Scripti, quantum con-

III.

Qui nullam tibi dicebas jam posse nocere,
Haesisti; cecidit spiritus ille tuus.
Vix unum potes infelix requiescere mensem,
Et turpis de te jam liber alter erit.
Quaerebam, sicca si posset piscis arena,
Nec solitus ponto vivere torvus aper,
Aut ego si possem studiis vigilare severis:
Differtur, numquam tollitur ullus amor.
Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit —
Lilia non domina sint magis alba mea; —
Ut Maeotica nix minio si certet Hibero,
Utque rosae puro lacte natant folia —,
Nec de more comae per levia colla fluentes,
Non oculi, geminae, sidera nostra, faces;
Nec sic Arabio lucet bombyce puella —
Non sum de nihilo blandus amator ego —,

Eleg. III. *Burm. eleg. II.* *Post* v. 4. *inserti* eleg. II, 1, 2. V. 5—8. *Burm.* 7—10. *Post* v. 8. *inserti* eleg. IV, 3—10. V. 9—44. *Burm. vers.* 19—54. V. 10. (20.) sunt. *Signa parentheseos absunt.* 15. (25.) si qua. 16. (26.) *Signa parentheseos absunt.*

stet, omnes: *nolit mutare* SENECTUS. Sequente versu pro

Etsi *Cumaeae saecula vatis* aget,

Palatinus prior cum Commeliniano et Latinus Latinius pag. 59. a. dant *Et sic agat*, Marklando ac Burmanno probatum. Sed alterum pulchrius est, ut longos annos Cynthiae non optet, sed eos fore ei persuasum habeat.

III.

1. QUI NULLAM] Sic Heinsius et Broukhusius verissime. Librorum tamen *nullum* habentium consensum miror.

10. SUNT MAGIS ALBA] Omnes, ni fallor, impressi ante Burmannum et codices boni, demto Menteliano, SINT exhibent: *Sunt* minus rectum Broukhusius dicit, sed perinde est. Notatu dignius est, hunc versum cum sequentibus duobus a vicinis separandos esse, utpote mediae orationi insertos. Idem monemus de versu 16. Editores Propertii interpunctionem nihili facere solent. Nos quae in hoc genere correximus, longum est et putidum lectoribus annumerare.

15. NEC SI QUA ARABIO. 17.

Quantum cum posito formose saltat Iaccho,
Egit ut euantis dux Ariadna choros,

V. 17. (27.) quod.

QUANTUM QUOD POSITO] Totam orationis formam ac rationem considera:

Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit,
Nec de more comae per levia colla fluentes,
Non oculi, geminae sidera nostra faces,
Nec si qua *Arabio* lucet *bombyce* puella,
Quantum, quod *posito formose saltat Iaccho,*
Egit ut euantes dux Ariadna choros,
Et quantum, Aeolio cum tentat *carmina plectro,*
Par Aganippeae ludere docta lyrae.

Hanc sentis esse non structurae libertatem, sed meram stribliginem: *Non tantum* cepit *me, si qua puella* lucet *bombyce,* et, Cepit *me, cum* tentat *carmina.* Nam *Quantum quod* et *Quantum cum* ferrem conjuncta, si caetera recte procederent. Ita certe Lucretius IV, 1131.

Aut quom *conscius ipse animus se forte remordet,*
Desidiose agere aetatem lustrisque perire,
Aut quod *in ambiguo verbum jaculata reliquit,*
Quod cupido adfixum cordi vivescit ut ignis,
Aut nimium jactare oculos aliumve tueri
Quod *putat in voltuque videt vestigia risus.*

Adde quod inepte prorsus inter medias Cynthiae laudes aliarum mentionem facit:

Nec si qua *Arabio lucet bombyce* puella.

Quod vitium augent, qui interpretando conantur tollere, tam illi, qui intervertunt sententiam, *nec tam* pro *nec* positum opinati, ut neget se Propertius aliarum ornatu capi posse, quam qui mirum, ita ipsi appellant, loquendi genus comminiscuntur, quod certam puellam incerto sermone designet, et magis miram rationem, cur eo utatur poëta, nempe quod et alias Cynthiam ob nimium formae cultum vituperarit; utrique obliti, non *capit* aut *capiet* praecedere, sed *cepit*, quod illa commenta prorsus evertit. Meliore igitur consilio Franciscus Puccius correxit: *Nec si* quando Araba *lucet bombyce puella*, et Heinsius praeterea *Arabae puellae;* tum Guyetus *Aeolio* quod *tentat carmina plectro.* Sed vel sic laborat structura. Repone:

Nec SIC *Arabio* lucet *bombyce* puella,
Quantum QUOM *posito formose saltat Iaccho,*
Et quantum, Aeolio cum *tentat carmina plectro.*

Non tantum, inquit, in veste bombycina lucet Cynthia, quantum lucet, cum saltat et canit. De *lucendi* vocabulo notavit

Et quantum, Aeolio cum tentat carmina plectro,
  Par Aganippeae ludere docta lyrae,
Et sua cum antiquae committit scripta Corinnae,
  Carminaque Erinnes non putat aequa suis.
Num tibi nascenti et primis, mea vita, diebus
  Candidus argutum sternuit omen Amor?

V. 23. (33.) *abest* et. 24. (34.) Aureus.

ad II, 1, 5. Broukhusius. Comparatio ut hic indicatur his, *Nec tam*, *Nec sic*, *Quantum*, ita libro III, 5, 1—9. respondent sibi *Non ita*, *Nec sic*, *Quantum*, et *Nec tantum*, *Nec sic*, *Quantum*, apud Ovidium fast. IV, 917—919.

22. CARMINAQUE ERINNES] Merito Burmannus cum aliis probavit hanc scripturam e monstrosis librariorum corruptelis ab Antonio Volsco feliciter erutam. Volscus tamen male dedit *Carmina quae* pro *Carminaque*, neque operarum vitio, ut Burmanno videtur, sed suo.

23. NUM TIBI NASCENTI PRIMIS, MEA VITA, DIEBUS AUREUS ARGUTUM STERNUIT OMEN AMOR] Plura hic sunt, quae sigillatim tractari postulant. Primum recte habet *Num*, nolim reponi *Nam*. Dubitans ait: Num tibi Amor nascenti sternutavit? certe dei haec dona sunt, non matris. Tum in longiore versu praeteriit criticos grave vitium, ubi per plures dies nasci Cynthiam facit. Qui solus animadvertit, Wopkensius, non bene curat; nam nec *nascendi omen* dari primis diebus potuit, sed primo; nec plures *dies nascendi* habet unus homo, sed *nascendi diem*, ut ait Manilius I, 55. id indicaturus, quod alibi *tempus nascentis* appellare solet:

Nascendi *quae cuique* dies,
  quae vita fuisset;

quamquam Bentlejus ibi *Nascenti* reposuit, alterum tuente Ovidio metam. VI, 406.

Concolor huic humerus, nascendi tempore, *dextro*
  Corporeusque fuit.

Sed addita particula *et*, quam alibi quoque omissam vidimus, salus sua restituetur versui, ita:

Num tibi nascenti ET *primis*,
  mea vita, diebus.

ad exemplum Homerici illius: ὥτε Κρονίων
Ὄλβον ἐπικλώσῃ γαμέοντί
  τε γεινομένῳ τε.

Multo minus certa est versus brevioris scriptura in primis duobus vocabulis; nam tertium, *sternuit*, pro quo in scriptis plerisque habetur *stertuit*, confirmat praeter Macrobium in de differentiis et societate Graeci Latinique verbi pag. 692. optimus codex noster Neapolitanus. Sed *aurei* epitheton, satis otio-

Haec tibi contulerunt caelestia munera divi;
Haec tibi ne matrem forte dedisse putes.
Non, non humani sunt partus talia dona;
Ista decem menses non peperere bona.
31 Nec semper nobiscum humana cubilia vises:
30 Romana adcumbes prima puellā Jovi.

V. 29—31. *inverso ordine.* (41. 40. 39.) V. 30. (40.) Romano.

sum hic, Hemsterhusio judice, habet ab N. Heinsio Amor: codices partim *Ardidus* exhibent, quod est et in aliis permultis et in Neapolitano (*Arridus* enim apud Burmannum aut calami festinationi aut typothetae errori debetur); alii *Arduus*, cum quibus Groninganus facit; pars etiam *Aridus* cum Menteliano. Bene igitur sit Macrobio, qui veram scripturam CANDIDUS servavit; hoc enim verum esse, et natum inde *Ardidus* et caetera, vix dubito. Ei vindicando Pontanus ad Macrobium commode admovit locum Catulli ab Jos. Scaligero sibi subministratum, LXVIII, 134.

Quam circumcursans hinc illinc saepe Cupido
Fulgebat crocina candidus *in tunica.*

Sed de secundo vocabulo Macrobius, *Augustae* exhibendo, scrupulum injicit, sitne *augustum omen* legendum de conjectura Pontani, an *argutum* e codicibus Propertianis. Illud mihi pariter atque Hemsterhusio praeferendum videri confiteor; recipere, cum alterum non ineptam interpretationem admittat, non audeo.

25. HAEC TIBI CONTULERUNT] Hanc esse veram lectionem Beroaldus ait, et recte quidem. Impressi veteres *Haec ubi contulerint.* Codices quoque, ut videtur, omnes *contulerint* vel *contulerant.* Neapolitanus *Haec contulerint,* omisso *tibi.* Versu sequente codices aliquot Italici:

Haec tibi ne matrem, stulta, *dedisse putes.*

Nolo judicare ante, quam, unde haec scriptura venerit, scivero.

30. ROMANO ACCUMBES PRIMA PUELLA JOVI] Nescio quem lenonem fecerunt hic e Propertio critici. Scripti aut omnes aut plerique *Romana accumbens.* Lege cum Vulpio aliisque:

ROMANA *accumbes prima puella Jovi.*

quam scripturam Burmannus quoque ad hanc ipsam elegiam v. 57. (nobis II, 5.) *veram* pro levitate sua dicit. Sed de caeteris in hoc loco non fallor, esse hic transpositionem faciendam. Vide an ista tolerare possis:

29 Gloria Romanis una es tu nata puellis;
32 Post Helenam haec terris forma secunda redit.
Hac ego nunc mirer si flagret nostra juventus?
Pulchrius hac fuerat, Troja, perire tibi.
Olim mirabar, quod tanti ad Pergama belli
Europae atque Asiae causa puella fuit:
Nunc, Pari, tu sapiens, et tu, Menelaë, fuisti,
Tu, quia poscebas, tu, quia lentus eras.
Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles;
Vel Priamo belli causa probanda foret.

V. 35. (45.) cur. 40. (50.) fuit.

Gloria Romanis una es tu nata puellis:
Romana accumbes prima puella Jovi,
Nec semper nobiscum humana cubilia vises.
Post Helenam haec terris forma secunda redit.

in quibus omnia divina humanaque mirifice confusa et permixta sunt. Duo hexametri loca sua commutent, singula in ordinem redibunt, hoc modo:

Non, non humani sunt partus talia dona;
Ista decem menses non peperere bona.
Nec semper nobiscum humana cubilia vises:
Romana accumbes prima puella Jovi.
Gloria Romanis una es tu nata puellis:
Post Helenam haec terris forma secunda redit.

35. MIRABAR, CUR] Sic e Groningano Broukhusius; non bene, sequente *fuit*. Rectius caeteri omnes:

Olim mirabar, QUOD *tanti ad Pergama belli*
Europae atque Asiae causa puella fuit.

40. VEL PRIAMO BELLI CAUSA PROBANDA FUIT] Spinosus locus, in quo scripturae ambiguitas sensum quoque ambiguum reddit. Primum, quid codices ferant, videamus. *Vel Priamus* habent omnes praeter Perreji librum et Neapolitanum, in quibus *Priamo* est; in hoc tamen ab eadem manu correctum *us*. In fine *fuit* plerique: *foret* Groninganus et Heinsio teste Mentelianus. Ratione igitur potius quam codicum auctoritate res agenda videtur. Atqui totum locum in duplicem sententiam interpretari possumus, quarum altera ita se habet: Digna fuit facies, pro qua heroës perirent; hoc est, Non nego, faciem ac pulchritudinem unius mulieris justam Graecis Trojanisque bellandi causam fuisse. His, ut vides, *foret* non concinit, sed *fuit*.

Si quis volt fama tabulas anteire vetustas,
Hic dominam exemplo ponat in ante meam.

V. 42. (52.) arte.

Sin *Priamus* scribitur, male haec nude ponuntur: *belli causa probanda fuit.* Aut enim *probanda est* dicendum fuit, aut, quis eam immerito culpaverit, adjiciendum. Quare huic interpretationi Broukhusii Burmannique scriptura satisfacit:

Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles.
Vel Priamo *belli causa probanda* fuit.

Est vero aliud quoque, quod Propertius voluisse videri potest: Pulchrius Trojae fuisse, si propter Cynthiam perire potuisset, dignam profecto, pro qua vel Achilles et alii maximi viri cecidissent. Haec sententia *foret* scribi postulat, caeterum et *Priamus* legi patitur,

Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles,
Vel Priamus; *belli causa probanda* foret.

neque alterum, *Priamo*, aspernatur,

Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles;
Vel Priamo *belli causa probanda* foret.

Jam trium commodarum lectionum quae vera sit, dici non potest; quae optima, potest. Primae obest, quod suavius est, ut ipsa Cynthia altera Helena, quam prior illa, laudibus a Propertio extollatur; quod et in proximis fit:

Si quis vult fama tabulas anteire vetustas,
Hi dominam *exemplo ponat in arte* meam.

Duarum reliquarum posterior eo magis placet, quod Priamus, quamquam Helenae causa interiit, tamen pro ea non pugnavit, quod et ipsum velle poëta videtur. Sic igitur, me judice, hi versus scribendi sunt:

Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles;
Vel Priamo *belli causa probanda* FORET.

Quid, quod ita scriptos legisse videtur auctor epigrammatis Anthol. Lat. III, 275., qui ita imitatur v. 73.

Tu poteras Priamo validissima causa fuisse,
Nulla ut cura foret regna perire sua.

42. IN ARTE] Habent pauci libri, ex emendatione haud dubie. Meliores *in ante;* idque verissimum est:

Si quis vult fama tabulas anteire vetustas,
Hic dominam exemplo ponat in ANTE *meam.*

Id est, Ante quam alias tabulas ponat, pro exemplo pingat dominam nostram. *Ponere* de pictoribus pervulgatum est. Verborum ordinem tuetur Ovidius metamorph. II, 524.

— *Argolica quod* in ante *Phoronide fecit.*

Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois,
Uret et Eoos, uret et Hesperios.

Post v. 44. (54.) *sequuntur* eleg. II, 3—16. *tum* IV, 11 seqq.

43. SIVE ILLAM OSTENDET EOIS] Sic codices plerique, in quis Neapolitanus; probe. Libro III, 18, 10.

Sive *ego Tithonus*, sive *ego Nestor* ero.

Codex Groninganus *Ostendat*; nec male. Libro II, 1, 53.

sive
Colchis Iolciacis urat *ahena focis.*

Porro Burmannus, „Notari etiam forte meretur, inquit, eodem in disticho *Eois* et *Eoos* prima brevi et producta hic occurrere.“ Ea observatione vir doctus lepide abutitur ad docendum, in nominativo *mea* posteriorem syllabam produci posse. Nam emendationem quamdam suam, qua versum I, 20, 17. (19, 19.) tentat, propugnaturus, „Offendit quidem, inquit, in hac lectione *mea*. Sed poeta noster etiam II, 3, 43. in eodem disticho *Eois* et *Eoos* prima brevi et producta bis usurpavit.“ Nobis, missa hac nova dialectica, omnibus prosodiarum regulis letale vulnus inflictura, placet exempla quaedam producere hujus variationis, qua boni poëtae saepissime utuntur in repetitione, ne idem vocabulum eodem accentu eademque syllabarum quantitate recurrat. Sic alibi Propertius:

Cum tibi nec fratér, *nec sit tibi filius ullus*,
Fráter *ego et tibi sim filius unus ego.*
Cóntendat *mecum ingenio*; conténdat *et arte.*
Cinge caput mitra, speciem furábor *Iacchi;*
Fúrabor *Phoebi, si modo plectra dabis.*

Tibullus II, 6, 31.

Illa mihi sancta est; illíus *dona sepulcro*
Et madefacta meis serta feram lacrimis;
Illius *ad tumulum fugiam supplexque sedebo.*

Idem I, 5, 25.

Cónsuescet *numerare pecus;* consuéscet *amantis.*

Ovidius metam. XII, 181.

— *a quo sit* victús, *si* víctus *ab ullo est.*

Catullus LXI.

ô Hymenaee Hymên,
Hy'men *ô Hymenaee.*

Nam basi iambica in illo carmine non utitur. Item Lucretius IV, 406.

Quom coeptat natura, suprá*que extollere monteis,*
Quos tibi tum suprá *sol monteis esse videtur.*

V, 837.

Androgynem, inter utrás, *nec* utrámque, utrímque *remotum.*

quamquam in his quantitas tan-

tum variatur, non accentus: in his autem utrumque VI, 950.

Séntimus; sentímus *item transire per aurum.*

961.

Corpora quomque ab rebus, eódem praedita sensu,
Atque eodém pacto rebus sunt omnibus apta.

Eodem illa apud Virgilium pertinent:

Clamassent, ut litus Hylá Hyla *omne sonaret.*
Et longum formose valé vale *inquit, Iola.*

Saepius accentum, manente quantitate, mutari videas; cujus generis pauca ascripsimus. Propertius:

Nón haec *Calliope,* non haéc *mihi cantat Apollo.*
Quaerebam, sicca sí pósset *piscis arena* —
Aut ego sí possém *studiis vigilare severis.*
Nóli *nobilibus,* nolí *conferre beatis.*
Haéc di *condiderunt,* haec di *quoque moenia servant.*

Virgilius Aen. X, 375.

Numina nulla premunt: mortáli *urguemur ab hoste* Mórtales.

Ovidius epist. III, 89.

Própter mé *mota est,* proptér me *destitit ira.*

Quem solum de hac re aliquid dicere memini, Bentlejum ad illud Horatii A. P. 461.

non sit qui tollere cúret.
Si curét *quis opem ferre et demittere funem.*

eumdem miror hanc variationis suavitatem negare Terentio. Nihilominus multa apud eum ejus generis restant, ut in Andr. I, 5, 46.

Unum hoc scio, esse meritam, ut mémor essés *sui.*
Memor éssem? *o Mysis, Mysis* —

Eunuch. III, 1, 31.

Numquám *tibi dixi?* númquam: *sed narra obsecro.*

V, 2, 17.

Quid feceras? paullúm *quid.* *eho* paullum, *inpudens?*
An paúllum *hoc esse tibi videtur* —

Heaut. III, 3, 52.

Máne, mané; *quid est, quod tam a nobis graviter crepuerunt fores?*

IV, 4, 14.

Perii hercle. Bacchis, máne, mané: *quo mittis istanc quaeso?*

IV, 5, 7.

Cotidiano fíeri, *nec* fierí *modum.*

Adelph. IV, 5, 56.

Quid fierét? qua fíeret? *si te mi ipsum puduit dicere,*
Quá *resciscerem?*

Hecyr. I, 2, 1.

Senex si quaéret me, *modo isse dicito* —
Audin quid dicam, Scirte? sí quaerét me, *uti*
Tum dicas: si *non* quaéret, *nullus dixeris.*

III, 5, 5.

Ipsus est, de quo hoc agebam tecum. sálve, *mi pater.*
Gnate mi, salvé.

III, 5, 45.

Matris serribo commodis. quo abis? mané.
Mane, *inquam*; quó abis? *quae haec est pertinacia?*

Phorm. V, 8, 56.
Noló voló: volo nólo *rursum: cape, cedo.*

V, 8, 88.
In jús *eamus.* ín jus? *huc, si quid lubet.*

Cur igitur haec similia illis mutari debuere?: Eun. III, 5, 56.
Quid túm? *quid* Quíd tum, *fatue?*

Adelph. IV, 2, 17.
— *quid aïs,* bóne vir? *est frater domi?*
Quid malum Bone vír *mihi narras?* —

Phorm. V, 9, 31.
Quamóbrem te oro, ut alia facta tua sunt, aéquo animo *hoc feras.*
Quid ego aequo ánimo?

Nemo autem talia magis frequentavit Plauto, ex quo perpauca subjiciemus. Amphitr. I, 3, 32.
Ne corrumpe oculos. redibo actútum. *Id* áctutúm *diust.*

Bacchid. I, 1, 23.
Egomet, ápud me *sí quid stulte facere cupias, prohibeam.*
Sed ego apúd me *te esse ob eam rem, miles cum veniat, volo,*
Quia, cum tu aderis, huic mihique haud faciat quicquam injuriam
Tu prohibebis, et eadem ópera tuo sodali operám *dabis.*

Menaechm. II, 2, 8.
Quos tu convivas quaeris? párasitúm *tuum.*
Meum parasítum? *certe hic insanust homo.*

71.
Mones quidem hercle récte. *tum demum sciam*
Recté *monuisse, si tu* récte *caveris.*

Mostell. I, 3, 12.
Quin tu te exornas moribus lepidís, *cum* lépida *tota es?*
Non vestem amantes mulieris amant, sed vesti' fartum.
Ita me di ament, lepidást *Scapha; sapit, scelesta multum.*
Ut lépide *res omnes tenet sententiasque amantum.*

23.
ain meam speciem alios inridere?
Ego vérum *ámo,* verúm *volo mihi dici, mendacem odi.*

Pseudol. I, 1, 25.
Cur inclementer dicis lépidís *litteris,*
Lepidis *tabellis* lépida *conscriptis manu?*

IV, 1, 11.
Nimís tandem ego ábs te contémnor. *quippe égo te*
Ni cóntemnam, *strátioticús homo qui clúear?*

15.
Quid properas? placide. ne time. ita ílle *faxit Juppiter,*
Ut ílle *palam ibídem assiet, quisquís* ílle *est, quí ádest a milite.*

IV.

His saltem ut tenear jam finibus. hei mihi, si quis,
  Acrius ut moriar, venerit alter amor!

Eleg. IV, 1. 2. *Eleg. I*, 49. 50. V. 1. (I, 49.) aut mihi. 2. (I, 50.) Venerit alter amor, acrius ut moriar.

Numquam edepol ille potior erit harpax quam ego, habe animum bonum.
Trucul. II, 5, 13.
Id illi morbo, id illi senio est, ea illi miserae miseriast.

Sed tandem finis faciendus est, cum praesertim res ipsa ab annotationis nostrae ratione paullum diversa sit. Quare nulla, quamquam nobis in promtu sunt, ex poëtis Graecis exempla apponimus. Italis quoque haec perquam familiaria sunt, nec nostris poëtis Anglisve aliena.

IV. [III, 45—IV.]

Audaciam Scaligeri ne improbasse simul, ejus transpositionibus rejiciendis, et imitati esse nova audendo videamur, ratio nobis reddenda est, cur decem versus a carmine praecedente revulsos huic praefigendos putaverimus. Nam cum Vulpius hic quoque libros scriptos plane sequendos esse pronunciasset, veram et propriam poëtarum elegiacorum μέθοδον esse ἀμεθόδειαν testatus, qualia intelligere non esse omnium, sed eorum tantum, qui Gratiis litaverunt: editores Germanici δεισιδαιμονίᾳ tacti nihil ausi sunt, expositionem Vulpii repetivisse contenti.

Sic igitur ille: „Initio hujus Elegiae dixerat poeta, se dimissos amores revocavisse, inductum et coactum forma Cynthiae, quam postea describit. Nunc ait: *Si mihi necessario amandum est, ac mala omnia fortiter perferenda quae in amore sunt*, hoc mihi saltem dii largiantur, ut unam tantummodo amare possim, ne videlicet, si plures amare coepero, amoris incommoda mihi duplicentur et augeantur." Jam si forte quaeras, ubinam illa verba, quae affingit Propertio, legerit, abutentur hic quoque illo, quod saepe alienis locis applicant, praecepto, quo interpres etiam non scripta intelligere jubetur. Quare, ut cavillationes effugiamus, consideremus potius, quam apte querula haec tam magnificas laudes sequantur. Quis ferat post illa,

Uret et Eoos, uret et Hesperios,

ita pergentem:

His saltem ut tenear jam finibus —,

quorum illud exsultantis est, hoc desperantis? Nimis mirum profecto, eum, qui modo do-

minae suae dotes elato spiritu efferebat, intimo pectoris sensu prolato omnes alias prae sua contemnens, nunc repente mutatum ad miseras querelas descendere, se, quoniam necessario omnia mala, quae in amore sunt, perferre debeat, uni huic puellae libenter cedere, ne hi cruciatus duplicentur. Hunccine, quem talia nihil offendant, interpretem sub Italico caelo credamus natum?

Porro autem, illis prioribus paullisper sepositis, elegiae quartae principium animadverte:

Multa prius *dominae delicta queraris oportet,*
Saepe roges aliquid, saepe repulsus eas.

Ea *prius* esse dicendo terminum aliquem finemve amatoris querelarum statuit: sed quid post illa multa mala eventurum sit, nusquam ostendit. Interpretes igitur, ingeniosi vel potius divini, de suo largiuntur Propertio, quod ipsi deest. Passeratius, caeteris plaudentibus: „ἔλλειψις, inquit; subaudiendum, quam ejus lecti copia tibi fiat, et eâ certa demum et fideli tuto frui possis.“ Quid vero, si multa alia eadem veri similitudine subaudire possumus? Quid, si poëtam alio modo intelligi voluisse vincimus?

Nam cum neque illi decem versus *His saltem* etc. prioribus commode conjungi queant, et hi versus *Multa prius* etc., in carminis principio positi, difficiles intellectus habeant, quid probabilius est, quam illos decem versus ad hoc posterius carmen pertinere, si modo eorum sensus et cohaerentia initium fieri ab illo *His saltem* etc. et hos *Multa prius* etc. superioribus annecti patiantur? Id autem recte fieri posse, accurate omnia rimanti facile patebit. Hoc enim Propertius dicit, Nolle se aliam post hanc puellam amare; domi enim experiri, feroces amatores mox perdomitos aequa et iniqua ferre; nec novum id esse, cum Melampus amoris causa vel furtum facere sustinuerit. Multa tamen prius, quam ita humiles fiant et Amori subjecti, aegre eos et cum dolore ferre, sed frustra amori repugnare, cum nullum exstet hujus diri cruciatus remedium. Id sibi quoque accidisse, tam graves sese dolores expertum, ut mulieris amorem hostibus imprecetur, amicos mitius puerorum imperium subire malit.

Diu nobis de his omnibus constabat, cum eorum partem Johanni Schradero quoque perspectam fuisse vidimus. Is enim in Emendationum libro cap. VI. pag. 119. positis elegiae III. v. 47 (*Ac veluti* etc.) — 54. et IV, 1 — 4. ita pergit: „Sic versus in pervulgatis et mss. libris ponuntur. At qui diligenter attenderit, statim sentiet finem Elegiae tertiae, et initium quartae cohaerere. Nihil itaque vetat versus conjungere, praesertim cum in mss.

Ac veluti primo taurus detractat aratra,
Post venit adsueto mollis ad arva jugo,

Vers. 3—10. *Burm. II*, 11—18. V. 3. (II, 11.) aratro, Mox.

libris Elegiae modo conjungantur, modo disjungantur."

1. HIS SALTEM UT TENEAR JAM FINIBUS: AUT MIHI SI QUIS VENERIT ALTER AMOR, ACRIUS UT MORIAR] Si in alius puellae amorem incidat, optat sibi amoris incommoda duplicari. Mirum in eo, qui queribundus et quasi desperans dixerat: Si amore carere non possum,

His saltem *ut tenear jam finibus!*

Vide, quid hic egerint Vulpius et recentiores. Reductum in sedem pristinam hocce distichon non aliter scriptum dederunt, ac Scaliger, qui alio loco reposuerat alia prorsus ratione interpretandum, nempe post versum 48. elegiae primae:

Laus in amore mori: laus altera, si datur uno
Posse frui. fruar ô solus amore meo,
His saltem ut tenear jam finibus, aut, mihi si quis
Venerit alter amor, acrius ut moriar.

Nam libri scripti, quotquot sunt, pentametrum inverso hemistichiorum ordine exhibent:

Acrius ut moriar, venerit alter amor,

nullo quidem idoneo sensu, sed unde bonam sententiam eruere parvo negotio possis, non tamen *aut mihi ne quis* reponendo, quod Franciscus Puccius fecit, particula *aut* id negante, sed hoc ipso *aut* mutato in *hei*, ut legatur:

His saltem ut tenear jam finibus! HEI mihi, si *quis*,
ACRIUS UT MORIAR, VENERIT ALTER AMOR!

Quoniam mihi, inquit, amare fatale est, utinam saltem in hoc uno amore me contineam! Hei mihi, si ad hunc novus, qui me crudelius exerceat, amor accesserit! Recte habet illud *Hei mihi, si.* Ovidius epist. II, 16.

Hei mihi, si, *quae sim Phyllis et unde, rogas!*

Idem Pontic. II, 2, 5.

Hei mihi, si *lecto vultus tibi nomine non est*
Qui fuit, et dubitas caetera perlegere!

Perire autem, qui amant, dicuntur frequentius, quam *mori;* sed hoc quoque. Propertius I, 11, 5.

Cum te complexa morientem, *Galle, puella*
Vidimus.

Ovidius I. amat. art. 372.

Tum de te narret, tum persuadentia verba
Addat, et insano juret amore mori.

Idem amor. II, 7, 10.

Seu malus, alterius dicor amore mori.

Sic primo juvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post haec aequa et iniqua ferunt.
Turpia perpessus vates est vincla Melampus,
Cognitus Iphicli subripuisse boves;
Quem non lucra, magis Pero formosa coëgit,
Mox Amythaonia nupta futura domo.
Multa prius dominae delicta queraris oportet,
Saepe roges aliquid, saepe repulsus eas,

Post v. 10. *sequuntur* eleg. III, 19—54. V. 11—16. *Eleg.* *III*, 1—4.

Sed *acrius mori* ita dictum est, ut I, 10, 26.

> Acrius *illa* subit, *Pontice, si qua tua est.*

3. AC VELUTI PRIMO TAURUS DETRACTAT ARATRO] Hoc ad eum modum Broukhusius dictum censet, quo *negare* jungitur tertio casui; quae tamen diversa res est, quia id verbum *negare* in talibus pronominis *se* significationem includit, tamquam apud Ovidium quoque non addito dativo, art. I, 127.

> *Si qua repugnarat nimium, comitemque* negarat;

et in Horatii carm. I, 35, 22.

> *Te Spes et albo rara Fides colit*
> *Velata panno, nec comitem* abnegat.

Porro neque absolute poni *detrectare* posse constat, ne *primo aratro* pro ablativis habeas cum Burmanno patruo ad Lucanum II, 646. Quare melius est, ut *detractat* ARATRA ex libris melioribus revocemus, praesertim cum alterum non nisi in tribus quatuorve Italicis exstet. At particulae *Ac* significatio ab hoc loco aliena est. Vide, an Silii Italici loco tueri velis IV, 304., ubi *Ac veluti* habes, mira cum abundantia particulae connectentis. Possis hic *En* scribere: sed mihi veri similius fit, Propertium dedisse:

> Unca *velut primo taurus detractat aratra.*

Ita Virgilius georg. I, 19.

> uncique *puer monstrator* aratri.

Ovidius metam. VII, 210.

> *Vos mihi taurorum flammas hebetastis, et* unco
> *Haud patiens oneris collum pressistis* aratro.

Idem metam. V, 341.

> *Prima Ceres* unco *glebam dimovit* aratro.

4. MOX VENIT] Hoc quoque a Scaligero est, et mira ratione propugnat Broukhusius. „Libri, inquit, habent *Post.* sed *τὸ mox* aptius est: id enim notat tractum temporis, interdum etiam satis longum.“ Nos revocamus POST *venit*, confisi libris omnibus et his, quae se-

Et saepe inmeritos conrumpas dentibus unguis,
  Et crepitum dubio suscitet ira pede.
Nequicquam perfusa meis unguenta capillis,
  Ibat et expenso planta morata gradu.
Non hic herba valet, non hic nocturna Cytaeis,
  Non Perimedeae gramina cocta manus.
Quippe ubi nec causas nec apertos cernimus ictus,
  Unde tamen veniant tot mala, caeca via est.
Non eget hic medicis, non lectis mollibus, aeger;
  Huic nullum caeli tempus et aura nocet.
Ambulat; et subito mirantur funus amici.
  Sic est incautum, quicquid habetur amor,
Nam cui non ego sum fallaci praemia vati?
  Quae mea non decies somnia versat anus?

V. 17—24. *Eleg. I*, 73—80. V. 18. (I, 74.) Perimedea gr. secta manu. V. 25—32. *Burm. III*, 7—14.

quuntur: *Dehinc domiti post haec* et *Multa prius.*

18. NON PERIMEDEA GRAMINA SECTA MANU] Codicum meliorum scripturam aperte vitiosam,

> *Non* per Medeae *gramina* cocta manus,

Muretus ita correxit:

> *Non* Perimedea *gramina* cocta manu.

Gramina secta sunt a Broukhusio singularem illam, ut appellat, locutionem *manu coquere* improbante. Nescio an verissima sit Italorum correctio scribentium:

> *Non* PERIMEDEAE *gramina* COCTA MANUS.

Id quosdam libros habere Beroaldus dicit, qui et ita edidit; enotatum quoque a Scaligero et Colotio reperimus. *Perimedea manus* veneficae sunt, quomodo apud Horatium est serm. I, 4, 141.

> *Multa* poëtarum *veniet* manus —

et apud Propertium III, 24, 2,

> *Nec me* servorum *duceret ulla* manus.

Caeterum hoc distichon cum tribus sequentibus a Scaligero in carmen primum transposita huc revocavimus. Utrobique autem haec bene leguntur, sed huc reposita de amore non tollendo, sed levando accipienda sunt; dolores ex amore mulieris ejusque fastu susceptos nullis remediis ex amantis animo eximi ait, saepe proximum morti amatorem esse, ita denique mollem subjectumque fieri, malis discere quod non didicisse mallet,

Hostis si quis erit nobis, amet ille puellam:
  Gaudeat in puero, si quis amicus erit.
Tranquillo tuta descendis flumine cumba:
  Quid tibi tam parvi litoris unda nocet?
Alter saepe uno mutat praecordia verbo;
  Altera vix ipso sanguine mollis erit.

V.

Hoc verum est, tota te ferri, Cynthia, Roma,
  Et non ignota vivere nequitia?
Hoc merui sperare? dabis mihi, perfida, poenas;
  Et nobis aliquo, Cynthia, ventus erit.
Inveniam tamen e multis fallacibus unam,
  Quae fieri nostro carmine nota velit,

V. 27. (III, 9.) puellas. — Eleg. V. *Burm. eleg. IV.*
V. 4. Aquilo.

27. AMET ILLE PUELLAS] E duobus libris non bonis enotatur PUELLAM. Id sive a correctore venerit, sive e codice meliore (nam ista uno parvulo apice differunt in scriptis), verum esse sequentia docent:

Altera *vix ipso sanguine mollis erit.*

V.

4. ET NOBIS AQUILO, CYNTHIA, VENTUS ERIT] Verissime Burmannus *ventum Aquilonem* huc pertinere negat. Nam Roma se abiturum non dicit Propertius; caeteras interpretationes loquendi usus non admittit, qui ex Ovidio disci poterat epist. XVII, 202.

Qui ferat in patriam, jam tibi ventus erit.

Aquilo figurate ac translate dici de amore non potest, sed *ventus.* Libro III, 2, 8.

Nostraque non ullis permanet aura *locis.*

Eleg. 18, 27.

Mendaces ludunt flatus *in amore secundi.*

Egregie igitur Burmannus corrigit:

Et nobis alio, *Cynthia, ventus erit.*

ex *alio* factum *aliquo* causam vitio praebuisse censens. Sed hoc ipsum ALIQUO verum est, non alia, atque illud alterum, significatione capiendum, nisi quod additam habet loci incerti notionem. Brutus in Cicer. epist. XI, 1. *Dandus est locus fortunae; cedendum ex Italia, migrandum Rhodum aut* aliquo *terrarum arbitror.*

Nec mihi tam duris insultet moribus, et te
Vellicet. heu sero flebis amata diu.
Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus:
Si dolor afuerit, crede, redibit amor.
Non ita Carpathiae variant Aquilonibus undae,
Nec dubio nubes vertitur atra Noto,
Quam facile irati verbo mutantur amantes;
Dum licet, injusto subtrahe colla jugo.
Nec tu non aliquid, sed prima nocte, dolebis;
Omne in amore malum, si patiare, leve est.
At tu, per dominae Junonis dulcia jura,
Parce tuis animis, vita, nocere tibi.
Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem,
Verum etiam instanti laesa repugnat ovis.
Nec tibi perjuro scindam de corpore vestem,
Nec mea praeclusas fregerit ira fores,
Nec tibi connexos iratus carpere crinis,
Nec duris ausim laedere pollicibus.
Rusticus haec aliquis tam turpia praelia quaerat,
Cujus non hederae circuiere caput.
Scribam igitur, quod non umquam tua deleat aetas:
CYNTHIA FORMA POTENS, CYNTHIA VERBA LEVIS.

V. 10. abfuerit. 27. tua quod numquam deleverit aetas. 28. forma levis.

27. SCRIBAM IGITUR TUA QUOD NUMQUAM DELEVERIT AETAS] Sic Broukhusio teste codex Mentelianus (suum secundum appellat), in quo tamen *quod non umquam* legi Heinsius auctor est pag. 633. Caeteri universi:

Scribam igitur, QUOD NON UMQUAM TUA DELEAT *aetas*,

quorum consensum tutius reverebimur.

28. CYNTHIA FORMA POTENS, CYNTHIA FORMA LEVIS] Hanc scripturam in infimi loci libros aliquot, Mureti, Heinsianum, Borrichianum, ex mera librariorum oscitantia irrepsisse existimo. Quid vero in eo reprehendi potest, quod habent caeteri,

Cynthia forma potens, Cynthia VERBA *levis*?

Certe Graecismus iste poëtis nimis familiaris est, quo levem

Crede mihi, quamvis contemnas murmura famae,
Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit.

VI.

Non ita conplebant Ephyreae Laidos aedes,
Ad cujus jacuit Graecia tota fores;
Turba Menandreae fuerat nec Thaidos olim
Tanta, in qua populus lusit Erichthonius;
Nec, quae deletas potuit conponere Thebas,
Phryne tam multis facta beata viris:
Quin etiam falsos fingis tibi saepe propinquos,
Oscula nec desunt qui tibi jure ferant.
Me juvenum pictae facies, me nomina laedunt,
Me tener in cunis et sine voce puer;

Eleg. VI. *Burm. V.* V. 8. ne desint. 9. facies pictae, me numina.

Cynthiam Propertius indicat, cujus verba nihil ponderis habeant, certi nihil. Neve quem capiat illa repetitionis, quam Broukhusius *unice exosculabatur*, elegantia, videndum est, ne alia penitus sit *forma levis*, quam quae huc pertineat. Libro I, 4, 9.

Nedum, si levibus *fuerit collata* figuris.

VI.

6. TAM MULTIS] Quia comparationi nihil respondeat, Burmannus quaedam hic excidi se opinatur. Eodem jure hoc suspiceris in I, 2, 15. I, 16, 9. III, 5, 4. Vide viros doctos ad Virgil. ecl. VI, 30.

8. NE DESINT] Pulchra scriptura codicum Commeliniani et Dresdensis: sed quia a correctore venit, revocemus potius, quod caeteri exhibent,

Oscula NEC DESUNT *qui tibi jure ferant.*

Nam hoc et ipsum bonum probumque est.

9. ME JUVENUM FACIES PICTAE, ME NUMINA LAEDUNT] Omnes fere scripti habent: *Me juvenum* PICTAE FACIES, quod praestat, quia arte conjungenda ista pronunciando sunt: *pictae facies*, non separanda: *juvenum facies, pictae* quoque; nam veras quidem quod timebat, nihil mirum. Porro *numina* deorum icones intelligunt; quae quam recte ita dicantur, ignoro. Codices scripti, uno Passeratii excepto *), *Me* NOMINA *laedunt*; idque

*) Gebhardum quoque *numina* in libris priscis invenisse Brouk-

Me laedit, si multa tibi dedit oscula mater,
  Me soror, et cum quae dormit amica simul;
Omnia me laedunt; — timidus sum; ignosce timori; —
  Et miser in tunica suspicor esse virum.
His olim, ut fama est, vitiis ad praelia ventum,
  His Trojana vides funera principiis.

V. 12. qua. V. 15—22. *Burm. eleg. VII*, 9—16. V. 15. (VII, 9.) ventum est.

ego tenendum ajo. Me, inquit, vel picturae juvenum apud te visae et nomina eorum, quos amatores tuos suspicor, a te pronunciata terrent.

12. ME SOROR, ET CUM QUA DORMIT AMICA SIMUL] Quid amica, cum qua soror Cynthiae dormiebat, Propertio nocere potuerit, dictu difficile est. Recte igitur Janus Dousa filius:

Me soror, et cum QUAE *dormit amica simul.*

Cum quae et *si quae* dicebant eo aevo; vide Francisc. Fabricium ad Ciceronem de offic. II, 25.

15. HIS OLIM] Haec octo disticha hinc submovit Scaliger, bene tuitura locum suum, si non de rivalitate virorum, sed de mulierum libidine accipias, quam efficere dicit, ut jure meritoque aliquis timeat.

15. UT FAMA EST, VITIIS AD PRAELIA VENTUM EST] Vel dissentientibus librariis *Est* in fine versiculi dele, non ferendum post illa *Ut fama est.* Caeterum *est* post brevem vocalem in extremo versu melius ponitur, quam abest: post longam syllabam, ut hic, ubi fieri potest, omittitur. Recte libro III, 29, 16. codices scripti et impressi:

Cur tibi tam longa Roma petita via?

recte quoque ibidem v. 14.

Juppiter, idcirco facta superba dea es?

In hoc genere multa peccavit in Tibullo J. H. Vossius. Male edidit v. c. I, 9 (8), 51.

Parce, precor, puero; non illi sontica causa.

sed optime I, 7 (6), 1.

Illa quidem tam multa negat, sed credere durum;

cum praeterea *est* post *durum* omitti usitatius sit; vide Bentlejum ad Horat. serm. I, 9, 42. addito ex eodem Horatio carm. I, 24, 19.

Durum: *sed levius fit patientia.*

---

husius scribit; verum ille non suos, sed Passeratii *veterem librum* indicat scribendo: „V. C. *Numina.* Deorum imagines sive icones."

Aspera Centauros eadem dementia jussit
  Frangere in adversum pocula Pirithoum.
Cur exempla petam Grajum? tu criminis auctor,
  Nutritus durae, Romule, lacte lupae.
Tu rapere intactas docuisti inpune Sabinas;
  Per te nunc Romae quidlibet audet Amor.
Felix Admeti conjunx et lectus Ulixi,
  Et quaecumque viri femina limen amat.

*

Templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
  Si cuivis nuptae cuilibet esse licet?

V. 23—40. *Burm.* *V*, 15—32. V. 23. (15.) Ulyxis. 26. (18.) quidlibet.

Apud Ovidium quoque epist. XXI, 13. omitti velim:

Jamque venire videt, quos non admittere durum;

quamquam tentari non debuit, quod est in epigrammate Antholog. Lat. II, 51.

Dextera quid dubitas? durum est jugulare Catonem?

tuente etiam Juvenale VI, 98.

Si jubeat conjux, durum est conscendere navem.

Post brevem syllabam *melius* addi verbum substantivum dixi; est enim ubi fieri non possit, tamquam apud Propertium V, 1, 132.

Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
Matris et ante deos libera sumta toga.

et in Tibulli lib. I, 6, 4.

Quid tibi, saeve puer, mecum est? an gloria magna,
Insidias homini composuisse deum?

23. LECTUS ULYXIS] Ita quidem impressi omnes et scriptus noster, *Ulixis*. Nihilominus ULIXI scribe, ut *Achilli* II, 10, 13. V, 11, 39.

26. SI CUIVIS NUPTAE QUIDLIBET ESSE LICET] Quid, inquit, opus fuit puellis Pudicitiae fana exstruere, si tamen nuptis impune peccare licet? Nupta igitur Cynthia fuit. Broukhusius affirmat, Vulpius negat ad elegiam sequentem. Certe maritum habuit, cum Propertius elegiam XV. libri III. scribebat; quin etiam, cum librum secundum componebat, quo dabat praecepta,

Qua nuptae possint fallere ab arte viros.

Sed hoc tamen loco mentionem mariti inepte injicit is, cui unice curae est, ut nupta in conjugem peccet, amatori autem fidelis sit. Bene igitur Broukhusius (nam Toupii commen-

*

Quae manus obscenas depinxit prima tabellas,
Et posuit casta turpia visa domo,
Illa puellarum ingenuos conrupit ocellos,
Nequitiaeque suae noluit esse rudis.
Ah gemat, in terris ista qui protulit arte
Jurgia sub tacita condita laetitia!
Non istis olim variabant tecta figuris;
Tum paries nullo crimine pictus erat.

*

Sed non inmerito velavit aranea fanum,
Et mala desertos occupat herba deos.

*

tum nihil est): *Si cuivis nurui.* Sed repone:

Si cuivis nuptae CUILIBET *esse licet.*

Hanc scripturam habent membranae Mentelianae et Palatinae cum codice Heinsii et uno Vossiano, subindicant Palatinus alter et prior Leidensis. Caeteros librarios exquisitior loquendi ratio fefellit, quam illustravit Heinsius ad Ovidium epist. XIV, 64. *Nubere* autem de illegitimo quoque amore dici etiam lexica docent.

55. SED NON IMMERITO] Hoc distichon praesertim hoc loco positum intelligi nullo modo potest. Post inepta aliorum commenta Burmannus, poëtam hic post commemoratam impudentiae praecipuam causam *e diverticulo quasi*, ut ait, ad Pudicitiae fanum redire sentiens, legendum censuit *Sed nunc emeritum*. Hac correctione probata vir doctus, dispersa membra recolligens, optima profecto conjecturá hoc distichon post v. 26. inserendum putat. Hujus sententiam ego quoque secutus essem, parva adhibita verbis corruptis mutatione, hoc modo:

Templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptae cuilibet esse licet,
Si *non* e merito *velavit aranea fanum,*
Et mala desertos occupat herba deos?

nisi tamen his admissis ante hos versus, *Templa Pudicitiae*, et post eos in hoc, *Quae manus*, maxime autem in ultimis distichis hiaret sententia, idque fidem faceret, ab hoc carmine initium cepisse illam cladem, qua multa carmina libri secundi multosque eorum, quae restant, versiculos periisse posthac omnibus manifestum erit, cum nos singula loca, in quibus certa erant lacunarum indicia, asteriscis interpositis no-

Quos igitur tibi custodes, quae ad limina, ponam,
  Quae numquam supra pes inimicus eat?
Nam nihil invitae tristis custodia prodest;
  Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.
Nos uxor numquam, numquam diducet amica:
  Semper amica mihi, semper et uxor eris.

V. 37. (29.) *abest* ad. V. 41. 42. *Burm. VI*, 21. 22. V. 41. (*VI*, 21.) Uxor me n., n. me ducet.

taverimus. Quare nihil magnum hic audendum esse existimavi, quamquam nonnulla de suo loco migrasse in his fragmentis negare nolim.

37. QUOS IGITUR TIBI CUSTODES, QUAE LIMINA PONAM] *Limina* quomodo alicui *ponantur*, quia nemo commode explicare potuit, Burmanno certissima visa est Heinsii correctio scribentis:

Quos igitur tibi custodes ad
  limina ponam?

Sed satius est id vocabulum scripturae vulgari adjici:

Quos igitur tibi custodes, quae AD limina, *ponam*,
  Quae numquam supra pes inimicus eat.

vel *Quin umquam*, si te ista repetitio offendit, *quos*, *quae*, *quae*. Nam particula *quin* librariorum manus raro effugit.

41. UXOR ME NUMQUAM, NUMQUAM ME DUCET AMICA] Hoc distichon Scaliger ab hac elegia resecavit, ut in fine sequentis collocaret, a qua tamen *amicae* mentio aliena est. Hic quo sensu retinendum esset, Vulpius aperuit: „Monitis adhuc et aliorum exemplis fidem et constantiam in amore laudavit: nunc demum exemplo suo Cynthiam hortatur, ut mutuam sibi voluntatem praebeat.“ Sed quem versum ut his simillimum apposuit III, 13, 19.

Nos quocumque loco, nos
  omni tempore tecum,

ex eo poterat intellexisse, illum sensum, qui pronomen *me* acui postulat, huic versui inesse non posse:

Uxor me *numquam*, num-
  quam me *ducet amica.*

Sed hic quidem a Beroaldo est. Scripti omnes:

Nos uxor *numquam*, *num-*
  quam me ducet amica.

Quis jam dubitet, quin verissima lectio sit, quam Antonius Volscus Romae anno MCCCCLXXXII, sive e codicibus, sive de conjectura, dedit:

NOS UXOR *numquam*, *num-*
  quam deducet *amica*:
Semper amica mihi, *sem-*
  per et uxor eris.

Ita III, 18, 9.

At me ab amore tuo deducet
  nulla senectus.

Utrobique tamen DIDUCET po-

VII.

Gavisa es certe sublatam, Cynthia, legem,
  Qua quondam edicta flemus uterque diu,
Ni nos divideret; quamvis diducere amantis
  Non queat invitos Juppiter ipse duos.
At magnus Caesar. sed magnus Caesar in armis;
  Devictae gentes nil in amore valent.

Eleg. VII. *Burm. VI.*

tius scribendum est. Vide Burmannum ad locum posteriorem [II, 19, 45.].

VII.

1. GAVISA ES] Sic recte Burmannus, Joh. Schradero et P. H. Koppiersio auctoribus. Codices *Gavisa est.*

5. AT MAGNUS CAESAR. etc.] Nescio cur viri docti haec sollicitent. At, inquit, magnus Caesar dividere amantes poterat. Sed Caesar bello tantum magnus est: in amore nihili aestimatur nationes devicisse; virum bello insignem amantes timere nesciunt. Sic alibi:

> *Tantum* in amore *preces et benefacta* valent.
> *Plus* in amore valet *Mimnermi versus Homero.*

Sed hoc Passeratius bene perspexit. At in sequentibus,

> *Quam possem nuptae perdere amore* faces,

et itidem libro I, 8, 21.

> *Nam me non ullae poterunt corrumpere* taedae,

falluntur, qui *faces* et *taedas* pro puellis poni opinantur. Amatores a dominis suis uri facibus dici, nota res; vide Propertium I, 14, 26. Unum Tibulli locum afferre juvat, II, 4, 5. a Christiano Bunsenio nostro conjectura palmaria ita restitutum:

> Eheu *quid merui? heu quid peccavimus? uror,*
> *Uror io! remove, saeva puella, faces.*

Ea conjectura facta, anno post fuerunt nova Tibulli exemplaria divulgata, quae praeter novam nec ferendam interpretationem attulerunt enotatam ex codice Vindobonensi scripturam *Heu heu quid merui?* Jam ex hoc loquendi usu hoc dictionis genus derivatum est, quo *faces* pro amoribus, non pro puellis, usurpantur. Horatius suavissima imagine carm. III, 9, 13.

> *Me torret* face mutua
> *Thurini Calais filius Ornyti.*

face mutua, ut Ovidius metam. VII, 803. de Cephalo et Procride:

> — *aequales urebant pectora flammae.*

Idem epist. XIII, 160. de Laodamia ac Protesilao:

> *Perque* pares *animi conjugiique* faces.

Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptae perdere amore faces.
Aut ego transirem tua limina clausa maritus,
Respiciens udis prodita luminibus?
Ah mea tum qualis caneret tibi, Cynthia, somnos
Tibia, funesta tristior illa tuba!

*

Unde mihi Parthis gnatos praebere triumphis?
Nullus de nostro sanguine miles erit.

V. 9. Anne. 11. tibia. 13. patriis.

Sabinus epist. II, 3.

Nec face Demophoon alia nec conjuge captus.

et iterum epist. III, 20.

Cumque petant Satyri connubia cum tua Panes,
Rejectae *memor es tu tamen usque* facis.

Rejectae facis, amoris rejecti, plane ut noster, *faces perdere.* Statius Achill. I, 636.

quin etiam dilectae virginis ignem
Aequaevamque facem *captus noctesque diesque*
Dissimulas?

9. ANNE EGO] Hoc reposuerunt, cum in alteram editionem Volsci MCCCCLXXXVIII. aliasque non paucas irrepsisset *An ego.* At recte scripti universi cum priore Volsci ac Beroaldina AUT *ego transirem.*

11. CANERET TIBI TIBIA SOMNOS, TIBIA] Ita Neapolitanus cum Menteliano et aliis nonnullis. Caeteri:

Ah mea tum qualis caneret tibi, CYNTHIA, *somnos*
Tibia!

quod pulchrius est; nam quis hunc sonum libenter ferat *tibi tibia*? Ingeniose Huschkius, minus suaviter tamen:

Ah mea tum quales caneret tibi Lydia *somnos*
Tibia!

13. UNDE MIHI] Libri scripti omnes aliud carmen hinc ordiuntur: primus Antonius Volscus in editione secunda MCCCCLXXXVIII. ex duobus unum fecit; *Elegiam separare*, inquit, *non ausim, quoniam ex eodem ducitur argumento.* Non nego, omnia ad unum carmen pertinere: sed quia non satis bene cohaerent, non dubito, quin antiquus librarius interstitio lacunam indicare voluerit.

13. UNDE MIHI PATRIIS NATOS PRAEBERE TRIUMPHIS] Burmannus interpretatur: „Non ego sum isto genere natus, ut possim filios producere, qui summos honores et triumphos nanciscantur; vel ut milites gignerem, qui triumphos patrios, id est, Romanos Caesa-

Quod si vera meae comitarent castra puellae,
Non mihi sat magnus Castoris iret equus.

V. 15. Romanae comitarent.

ris prosequerentur." Neutrum probare possum. Quid enim dedecoris est, currum imperatoris triumphantis militem sequi? aut quam inepta modestia filios suos honore triumphantem prosequendi dignari nolentis! Quam stulta vero arrogantia, filios nolle, nisi qui, non dicam, imperatores fiant, sed quibus triumphus, honor paucissimis datus, contingat! Tu cum Ruhnkenio repone:

Unde mihi PARTHIS *natos praebere triumphis?*

Sed triumphos non, ut ille, Augusti, sed a Parthis agendos intellige. Contra ea nihil mutandum est versu ultimo:

Hic erit et patrio sanguine *pluris amor,*

quem Passeratius et Livinejus male interpretantur; ille: *Mihi sic eris carior, quam parentes, liberi et propinqui omnes;* hic: *Patrio sanguine, sobole, quae patriae debetur.* Sed *patrium sanguinem* cognationem dicit, communionem sanguinis, quae patri cum filiis intercedit. Cicero pro Roscio Amer. XXIV, 66. (quem locum Passeratio debemus): *Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem* paternus *maternusque* sanguis.

15. QUOD SI ROMANAE COMITARENT CASTRA PUELLAE] Ita Scaliger; Heinsius: *Quod mea si tenerae.* Considera, quae sequuntur:

Hinc *etenim tantum meruit mea gloria nomen.*

Hinc, nempe a puellis Romanis, vel a teneris puellis, quas celebravit. Porro:

Tu mihi sola places, *placeam tibi*, Cynthia, *solus.*

Quid jam? num hic idem ille est, qui modo a puellis Romanis gloriam adeptus erat? Detestandum hercle amatorem et excludendum, qui in uno eodemque carmine et solam dominam suam et omnes puellas Romanas amare testetur. Quid igitur agamus potius, quam ut, prava Scaligeri emendatione omissa, corruptam omnium librorum scripturam revocemus,

Quod si VERA MEAE *comitarent castra puellae?*

Sub ea quid lateat, me non intelligere fateor; nec quicquam facile hic audendum est, cum singula disticha non satis bene cohaereant. Nemini igitur conjecturae meae veritatem persuadere volo, qua ductus aliquando tentavi scribere:

Quod si cura meae comitari *castra puellae,*
Non mihi sat magnus Castoris iret equus.

Hoc tamen certe commodam sententiam parit: Si puellae suae, Cynthiae, esset curae, ut

Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.
Tu mihi sola places: placeam tibi, Cynthia, solus.
Hic erit et patrio sanguine pluris amor.

VIII.

Eripitur nobis jam pridem cara puella:
Et tu me lacrimas fundere, amice, vetas!
Nullae sunt inimicitiae, nisi amoris, acerbae;
Ipsum me jugula, lenior hostis ero.
Possum ego in alterius positam spectare lacerto?
Nec mea dicetur, quae modo dicta mea est?
Omnia vertuntur; certe vertuntur amores.
Vinceris aut vincis, haec in amore rota est.
Magni saepe duces, magni cecidere tyranni,
Et Thebae steterunt, altaque Troja fuit.
Munera quanta dedi! vae, qualia carmina feci!
Illa tamen numquam ferrea dixit Amo.

*

Ergo tam multos nimium temerarius annos,
Inproba, qui tulerim teque tuamque domum?

Post v. 20. *additi* eleg. VI, 41. 42. — Eleg. VIII. *Burm.* *VII.* *Post* v. 6. *inserti* lib. IV, 17, 29. 30. *deinde* eleg. VI, 15—22. *tum* IX, 13—24. V. 7—10. *inverso ordine* 31. 32. 29. 30. *Post hos* X, 1. 2. V. 11-16. *Burm.* 35—40. 11. (35.) vel.

se comitaretur, non filios se militatum missurum esse, sed ipsum cum illa in castra profecturum; hanc enim solam carminis sui, hanc gloriae causam esse, hanc unam prae omnibus sibi placere.

VIII.

10. STETERUNT] Sic Scaliger: scripti codices male *steterant.*

11. MUNERA QUANTA DEDI, VEL QUALIA CARMINA FECI] *Vel* pro *et* deterioris aevi est: aliter intelligi sensus non patitur. Repone:

Munera quanta dedi! VAE, *qualia carmina feci!*

Ovidius amor. III, 6, 101.

Huic ego, VAE, *demens narrabam fluminum amores.*

13. ERGO TAM MULTOS etc.]

Ecquandone tibi liber sum visus? an usque
In nostrum jacies verba superba caput?

*

In primis hujus carminis versibus ne quid excidisse suspicemur, fortasse interpretando cavere poterimus. Ibi amicum alloquitur: „Reprehendis me, inquit, quod Cynthiam ab alio mihi ereptam doleo. At nihil, quam in amore turbari, acerbius. At, dicis, nulla quidem stabilis fortuna est; jure igitur amores quoque vertuntur. Accipio: sed meus non vertitur; nam illa me numquam amavit.“ Ita illa interpretari possumus, non nimis tamen, ut mihi videtur, probabiliter. At qui sequuntur quatuor versiculi, quid huc faciant, non intelligo:

Ergo tam multos nimium temerarius annos,
Improba, qui tulerim teque tuamque domum?
Ecquandone tibi liber sum visus? an usque
In nostrum jacies verba superba caput?

Quid, quod eorum sententia prorsus obscura est ac difficilis. Interpretibus quidem nihil durum est: „*Temerarius*, inquiunt, h. l. pro stulto. Supplendum vero: *sum* vel *fui*.“ Ego vero scire velim, quo jure in his *Ergo nimium temerarius?* omitti verbum substantivum possit, quod addi sermonis puritas exigit. Nec *temerarium* pro stulto dici bonis exemplis probant. *Temere* quidem, hoc est, sine causa aut consilio, et stulti agunt et audaces; hinc res *temerarias* dicimus, quae inconsulte fiunt, vel audacter nimis vel stulte: at *temerarium* hominem audacem tantum, non stultum. Aliis enim notionum terminis ratio et origo, aliis et plerumque angustioribus vocabula usus circumscribit. Non frustra igitur N. Heinsius et P. Francius conjectasse videntur, scribendum esse:

Ergo ego tam multos nimium temerarius annos,
Improba, qui tulerim teque tuamque domum?

Nam si *ego* accesserit, verbum substantivum recte omittitur. Itaque omnia capiam hoc sensu: „Ergo ego nimis temerarius? egone audax, qui amorem tuum poscam? cum tamen tam multos annos imperium tuum patienter tulerim. Jam dubito, simne tibi umquam liber visus, an usque me pro servo tuo habitura sis.“ Sed nihil haec, ut dixi, ad praecedentia. Jam vero qui versus hos excipiunt, *Sic igitur prima,* in libris omnibus conjuncti prioribus, ii ad aliud penitus carmen pertinent. Illic enim secum loquitur, cum domina sese interficere parat, mortem inhonestam Achillis exemplo excusat: priora ad amicum scribebat, nihil de morte, nulla

IX.

Sic igitur prima moriere aetate, Properti?
Sed morere; interitu gaudeat illa tuo,
Exagitet nostros Manis, sectetur et umbras,
Insultetque rogis, calcet et ossa mea.
Quid? non Antigones tumulo Boeotius Haemon
Conruit ipse suo saucius ense latus,
Et sua cum miserae permiscuit ossa puellae,
Qua sine Thebanam noluit ire domum?
Sed non effugies. mecum moriaris oportet;
Hoc eodem ferro stillet uterque cruor;
Quamvis ista mihi mors est inhonesta futura.
Mors inhonesta quidem: tu moriere tamen.
Ille etiam abrepta desertus conjuge Achilles
Cessare in tectis pertulit arma sua.
Viderat ille fugas, fractos in litore Achivos,
Fervere et Hectorea Dorica castra face;

Eleg. IX. *Burm. VII.* V. 1—12. *Burm.* 79—90. 5. (83.) Antigonae. *Post* v. 12. (90.) *positi* X, 41—48. V. 13—24. *Burm.* 17—28. V. 14. (18.) Teucros.

fortitudo animi, nil nisi miserae rejecti amoris querelae.

IX. [VIII, 17.]

5. ANTIGONAE] ANTIGONES scribendum esse dicemus ad librum III, 14, 31.

14. CESSARE IN TEUCROS] Sic Commelinianus et in margine D'Orvillianus secundus, Italicus uterque et interpolatus. Caeteri omnes:

Cessare in TECTIS *pertulit arma sua.*

Recte. Ita Achillis tentorium appellat Homero praeeunte Iliad. XXIV, 471.

Ἰδαῖον δὲ κατ' αὖθι λίπεν· ὁ δὲ μίμνεν ἐρύκων
Ἵππους ἡμιόνους τε· γέρων δ' ἰθὺς κίε οἴκου,
Τῇ ῥ' Ἀχιλεὺς ἵζεσκε Διῒ φίλος.

Nec mirum post ea, quae ibidem habes de Achillis tentorio, versu 449 seqq.

15. VIDERAT ILLE FUGAS, FRACTOS IN LITORE ACHIVOS] Ita Hieronymi Bercheemii liber apud Palmerium Spicileg. pag. 802., et hoc ferri optime potest. V. Virgil. Aen. XII, 1. Propert. V, 11, 39. Libro IV, 10, 60.

Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta *pedes*,

ubi Carolum Feam in nuperis ad Horatium commentariis *glo-*

Viderat informem multa Patroclon arena
Porrectum et sparsas caede jacere comas;
Omnia formosam propter Briseida passus.
Tantus in erepto saevit amore dolor.
At postquam sera captiva est reddita poena,
Fortem illum Haemoniis Hectora traxit equis.
Inferior multo cum sim vel matre vel armis,
Mirum, si de me jure triumphat Amor?

X.

Iste quod est, ego saepe fui: sed fors et in hora
Hoc ipso ejecto carior alter erit.
Penelope poterat bis denos salva per annos
Vivere, tam multis femina digna procis;
Conjugium falsa poterat differre Minerva,
Nocturno solvens texta diurna dolo;
Visura et quamvis numquam speraret Ulixen,
Illum exspectando facta remansit anus.

Eleg. X. *Burm. VII.* V. 1. 2. *Burm.* 33. 34. *Tum* VIII, 11—16. V. 3—40. *Burm.* 41—78.

ria tracta reponere audimus; sed frustra, alterum tuente Virgilio Aen. VII, 332.

ne noster honos infractave
cedat
Fama *loco.*

In nostro versu caeteri codices plerique habent *fuga tractos* vel *fugas tractos*, quod non est commodum. Sed pro *fugas* Heinsianus trinominis, excerpta Scaligeri, Vossianus tertius exhibent *Phrygas*. Hinc Heinsius: *Viderat ille Phrygas, stratis*, (Hemsterhusius *fractis*), *in litore Achivis.* Verum videtur:

Viderat ille pyras, *fractos in*
litore Achivos.

Pyras ad septimum Iliadis librum refero, in quo mortuos per totum diem cremari meministi. Caeterum illi codices Italici quidem sunt, nihilominus *lectionem* Phrygas *grammatico originem suam debere* nemini facile vir doctus persuaserit.

23. VEL MATRE VEL ARMIS] Ita bene correxerunt Itali, quod erat in libris priscis, *vel Marte.*

X. [IX.]

8. ILLUM EXSPECTANDO FACTA REMANSIT ANUS] Passeratius: „*Remansit*, pro permansit, ut Eleg. 10. lib. 1. (I, 11, 39.)

Is poterit felix una remanere
puella."

Quid igitur? num *remansit anus*, ut ille potest *felix permanere?* Nimis ineptum. Possis ita intelligere, Penelopam noluisse novum maritum sequi et Ulixis domo abire. Hoc ab Homero saepius repetitum meministi, tamquam in illis:

Ἠὲ μένει παρὰ παιδὶ καὶ ἔμπεδα πάντα φυλάσσει.

et,

Καὶ λίην κείνη γε μένει τετληότι θυμῷ
Σοῖσιν ἐνὶ μεγάροισιν.

et,

Ἦ αὐτοῦ παρ' ἐμοί τε μένῃ καὶ δῶμα κομίζῃ.

et,

Εἴ μοι ἔτ' ἐν μεγάροις μήτηρ μένει, ἠέ τις ἤδη
Ἀνδρῶν ἄλλος ἔγημε.

et ita Euripides Orest. 583. de Penelopa:

οὐ γὰρ ἐπεγάμει πόσει πόσιν,
μένει δ' ἐν οἴκοις ὑγιὲς εὐναστήριον.

quem locum Livinejus optime admovit versui hujus elegiae tertio. Propertius de eadem Penelopa IV, 11, 37.

Nec frustra, quia casta domi
persederat *uxor.*

At *remanere* eo sensu quomodo possit nude poni non intelligo. Optimum igitur erit, ut Propertium hic ea ratione loquendi usum esse censeamus, quam Itali etiamnunc frequentant, cum verbum *rimanere* participiis jungunt, verbi substantivi significatione. In eodem genere *venire* aevo Augusteo pro *esse* usurpari coeptum est, quod Italis omni tempore sollemne fuit. Et omnino sunt quaedam apud veteres ex hodierno Italorum usu explicanda, cujusmodi et apud Horatium illud est, carm. I, 37, 24.

Classe cita reparavit *oras.*

Nam *riparare* dicunt pro *ricoverare.* Si quis tamen in nostro loco vitium potius latere censuerit, non adversabor; modo ne Waardenburgium sequamur corrigentem,

Illum exspectando casta *remansit anus,*

in quo, ut illud bene habeat, *casta remansit;* vide Sabinum epist. I, 50. Priap. LXX, 21. Tibull. I, 3, 83. Ovid. amor. III, 4, 23. 24.; ita vocabulum *anus* habet magnam offensionem. Immo, si quid mutandum est, velim:

Illi *exspectando facta remansit anus.*

Illi remansit, hoc est fida fuit, anus facta exspectando. Sic libro III, 12, 17.

Me tibi *ad extremas* mansurum, *vita*, *tenebras.*

Neque aliter Ovidii locus explicandus est epist. V, 133.

At manet *Oenone fallenti*
casta marito;

male ille a Waardenburgio pro sententia sua allatus, quia *castam marito* non recte dicimus, quapropter Heinsio illic *fida* scribendum videbatur. Sed *manere* eodem modo Valerius Flaccus quoque usurpavit II, 138.

Nec non exanimem amplectens Briseis Achillen
Candida vesana verberat ora manu,
Et dominum lavit maerens captiva cruentum,
Adpositum flavis in Simoënta vadis,
Foedavitque comas, et tanti corpus Achilli
Maximaque in parva sustulit ossa manu,
Cum tibi nec Peleus aderat, nec caerula mater,
Scyria nec viduo Deïdamia toro.
Tunc igitur veris gaudebat Graecia natis;
Tunc etiam felix inter et arma pudor.
At tu non una potuisti nocte vacare,
Inpia, non unum sola manere diem.
Quin etiam multo duxistis pocula risu;
Forsitan et de me verba fuere mala.
Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit.
Di faciant, isto capta fruare viro!

*

V. 9. (47.) exanimum. 13. (51.) Achillei. 21. (59.) duxisti.

Et primam Eurynomen ad proxima limina Codri
Occupat exesam curis castumque cubile
Servantem. manet *illa* viro, *famulasque fatigat*
Velleribus.

ubi nollem Burmannum *viros* ex codice Regio praetulisse.

9. EXANIMUM] Omnes ante Broukhusium, EXANIMEM *amplectens.* Hoccine an illud Romanae aures praetulerint, non datur nobis judicare.

12. FLAVIS — VADIS] Egregie Nicolaus Heinsius: codices *fluviis.*

13. CORPUS ACHILLEI] Sic teste Broukhusio membranae Groninganae: Livinejus ex eisdem ACHILLI enotat. Hoc, in Neapolitano quoque aliisque lectum, praetuli; vide quae passim ad Virgilium annotata sunt. Caeterum ne plura hic tentantes audias, lege accuratissimum Huschkium in epistola critica pag. 15.

16. VIDUO DEÏDAMIA TORO] Hoc in margine libri sui Scaliger invenit, et duo Colbertini confirmant. Reliqui *Viro* pro *toro*, errore non infrequenti.

21. DUXISTI POCULA] Codex Perreji, et, quod majoris momenti est, sed a Burmanno neglectum, Neapolitanus habet DUXISTIS. Altero hoc haud paullo elegantius est. Vide quae praeceptor meus Conradus

Haec mihi vota tuam propter suscepta salutem,
  Cum capite hoc Stygiae jam poterentur aquae,
Et lectum flentes circumstaremus amici!
  Hic ubi tum, pro di, perfida, quisve fuit?
Quid, si longinquos retinerer miles ad Indos,
  Aut mea si staret navis in Oceano?
Sed vobis facile est verba et conponere fraudes;
  Hoc unum didicit femina semper opus.
Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
  Nec folia hiberno tam tremefacta Noto,

Heusingerus notavit in praefatione ad Ciceronem de officiis pag. XLVII.

25. HAEC MIHI VOTA] Pronomen *haec* non habet, quo referatur. Aut hic quoque aliquot versiculi exciderunt, aut latet vitium. Guietus et Heinsius tentant *At*, Burmannus *En*. Neutrum placet. Vir doctus nuper dedit:

Quae *mihi vota tuam propter suscepta salutem!*

suavissima quidem et summopere laudanda emendatione. Veritatis tamen species in illa non respondet elegantiae: putem potius librarios hic suo more errasse, *Haec* pro *Et* scribendo, ut legendum sit:

Et *mihi vota tuam propter suscepta salutem!*

Tu alios petis, inquit: et ego olim vota pro salute tua suscepi! *Et* ita usurpatum videbis libro II, 8, 2. I, 16, 37. in Epiced. Drusi 7. apud Virgil. Aen. I, 48. georg. II, 433. et alibi.

33. INCERTO MUTANTUR FLAMINE SYRTES] Palatinus chartaceus *Incertae Syrtes*, quod Burmannus praefert. Sic Statius Theb. I, 637.

et si quos incerto litore Syrtes
Destituunt.

Lucanus I, 686.

dubiam *super aequora* Syrtim
Arentemque feror Libyam.

Idem IX, 686.

dubiis *hinc* Syrtibus *orbem*
Abrumpens.

Similiter Virgilius ecl. V, 5.

Sive sub incertas, Zephyris mutantibus, umbras.

ubi *mutantibus* firmari potest hoc Propertiano *mutantur flamine*; quomodo et Statius Achill. II, 2.

Jamque per Aegaeos ibat Laërtia fluctus
Puppis, et innumerae mutabant Cycladas aurae.

Neque illa diversa sunt, quamquam de terrae motibus dicantur, Lucretii V, 1236.

Concussaeque cadunt urbes dubiaeque *minantur.*

et Claudiani de R. Pros. I, 158.

Quam cito feminea non constat foedus in ira,
  Sive ea causa gravis, sive ea causa levis.
Nunc, quoniam ista tibi placuit sententia, cedam,
  Tela, precor, Pueri, promite acuta magis.
Figite certantes, atque hanc mihi solvite vitam.
  Sanguis erit vobis maxima palma meus.

---

*

Sidera sunt testes, et matutina pruina,
  Et furtim misero janua aperta mihi:
Te nihil in vita nobis acceptius umquam;
  Nunc quoque eris, quamvis sis inimica mihi;
Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto:
  Solus ero, quoniam non licet esse tuum.
Atque utinam, si forte pios eduximus annos,
  Ille vir in medio fiat amore lapis.

*

Post v. 40. (78.) *inserti* IX, 1—12. V. 41—48. *Burm.* 91—98. V. 46. (96.) tuo.

dubiae *nutant cum moenibus* urbes.

Sed alterum quoque probum est, *incerto flamine.* Idem Claudianus de R. P. I. praef. 3.

Qui dubiis *ausus committere* flatibus *alnum.*

Lucretius V, 504.

sinit haec violenteis omnia vorti
Turbinibus, sinit incerteis turbare procelleis.

Propertius II, 5, 12.

Nec dubio *nubes* vertitur *atra* Noto.

Ovidius epist. XXI, 41.

Ipsa velut navis jactor, quam certus *in altum*
Propellit Boreas, *aestus et unda refert.*

Idem trist. III, 12, 42.

Huc aliquem certo *vela dedisse* Noto.

41. SIDERA SUNT TESTES] Haec quidem cum superioribus non sane nimis bene coëunt. Illic enim desperat amator, puellae infideli cedit, Cupidines se omnibus spiculis ita, ut prorsus pereat, configere jubet: nunc repente solum ac viduo toro victurum sese promittit. Putamus igitur et haec quoque ad aliud carmen pertinuisse. Vulpius enim hic, ut alibi, operam et oleum perdit cum sua explicatione.

46. NON LICET ESSE TUO] Recte scripti omnes, *quoniam non licet esse* TUUM. Sed Hein-

Non ob regna magis diris cecidere sub armis
Thebani media non sine matre duces;
Quam, mihi si media liceat pugnare puella,
Mortem ego non fugiam morte subire tua.

* * *

sius elegantiae studio talia non ferebat.

49. NON OB REGNA] Alia lacuna. Nam neque in versum praecedentem desinere carmen, neque haec adjungi prioribus, neque ab his nova elegia initium capere potest.

SEX. AURELII

PROPERTII

ELEGIARUM

LIBER TERTIUS.

I.

* * *

Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis,
Et campum Haemonio jam dare tempus equo.

LIBER III. *apud Burmannum adhaeret secundo.* — Eleg. I. *Burm. II, VIII,* 5—36.

IN LIB. III. [II, X—XXXIV.]

I. [X.]

1. SED TEMPUS] Hoc et quae sequuntur carmina quibus indiciis ad librum tertium, non, ut hactenus factum fuit, ad secundum retulerimus, in praefatione expositum est. Ab initio autem carminis aliqua periisse, ipsa verba faciunt fidem. „Nihil quidem Vulpio judice vetat, novam Elegiam ab hac particula *Sed* incipere, quum Epici poetae initio novi libri particulam *at* non semel ponant, *ἰσοδύναμον τῷ sed.*" Scaliger autem, conquestus „magnum scelus, quo sese impiaverint ii, qui praecedentes quatuor versus *Non ob regna* ita cum superioribus alienis conjunxerint, ut sequentia *Sed tempus*, quae illorum propria sint, divellerent, hoc voluisse Propertium contendit: Verum est, me paratum nullum a capite meo deprecari periculum pro amica mea: sed ut addictus illi sim, quemadmodum antea fui, hoc vero quominus faciam, impedit me novum consilium a me initum. alio me vocat institutum meum." Haec illi, quae posuisse refutationis loco est.

2. ET CAMPUM HAEMONIO] Hic *equus Haemonius* interpre-

Jam libet et fortis memorare ad praelia turmas,
Et Romana mei dicere castra ducis.
Quod si deficiant vires, audacia certe
Laus erit; in magnis et voluisse sat est.
Aetas prima canat Veneres, extrema tumultus;
Bella canam, quando scripta puella mea est.
Nunc volo subducto gravior procedere voltu;
Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge, anime, ex humili; jam, carmina, sumite vires.
Pierides, magni nunc erit oris opus.
Jam negat Euphrates equitem post terga tueri
Parthorum, et Crassos se tenuisse dolet;
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho,
Et domus intactae te tremit Arabiae;
Et si qua extremis tellus se subtrahit oris,
Sentiat illa tuas post modo capta manus.

V. 18. (22.) Sentiet.

tes frustra exercuit. Vere, ni fallor, Heinsius *Aonio*.

11. SURGE, ANIME, EX HUMILI; JAM, CARMINA] Ita rectissime Burmannus, tametsi *anima* est in libris omnibus, *carmine* in plerisque. Versu proximo Broukhusius e Groningano dedit:

magni nunc erat *oris opus.*

quod est falsum; nam *erat* in talibus indicat tempus jam paene aut proxime elapsum. Santenius tentat: *nunc* eat *oris opus.* Sed haec formula aliter concipi solet. Ovidius amat. art. II, 14.

Casus inest illic, hic erit artis opus.

Idem fast. III, 724.

sed non est carminis hujus opus.

Manilius V, 354.

Hoc est artis opus *non exspectare gementes.*

In Priapeis carm. LXX, 26.

Sive illi laterum, *seu* fuit artis opus.

18. SENTIET ILLA] Scripti omnes videntur SENTIAT habere; quod teneo; nam utrumque probum est. Nempe *Sentiat*, effice ut sentiat. Ovidius art. I, 179.

Parthe, dabis *poenas; Crassi gaudete sepulti.*

Versu 201.

Vincuntur causa Parthi: vincantur *et armis;*
Eoas Latio dux meus addat *opes.*

Sentiet dedit Vicentiae MCCCCLXXXI. Joannes Calphurnius, Antonius Volscus Romae anno proximo: *Sentiat* idem Vol-

Haec ego castra sequar. vates tua castra canendo
  Magnus ero. servent hunc mihi fata diem!
Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
  Ponitur hic imos ante corona pedes,
Sic nos nunc, inopes laudis conscendere carmen,
  Pauperibus sacris vilia tura damus.
Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontis,
  Sed modo Permessi flumine lavit Amor.

*

Scribant de te alii vel sis ignota, licebit;
  Laudet, qui sterili semina ponit humo.
Omnia, crede mihi, secum uno munera lecto
  Auferet extremi funeris atra dies;
Et tua transibit contemnens ossa viator,
  Nec dicet: Cinis hic docta puella fuit.

*

V. 19. (23.) sequar vates:

scus MCCCCLXXXVIII. et Phil. Beroaldus MCCCCLXXXVII.

[XI.]

SCRIBANT DE TE ALII] Hi versus quo pertineant, nec scio, nec scire laboro. Pro integro carmine quidem nemo haec accipiet, sensu quidem non carentia, sed lucem atque elegantiam a caeteris demum acceptura. Scaliger eadem, qua caetera, felicitate cum elegia praecedente consarcinavit. Quaere apud Propertium, quibus verbis concepta sit sententia, quam invenit ille in eo carmine, quod confecit ex his sex versibus et XXX. praecedentibus, plenum, si ipsi fides, affectus amatorii, nec nisi a politis ingeniis intelligendum; „Non recuso pro te omne periculum subire, sed consilium non est mihi amplius de te scribere, neque frustra tempus in tuis laudibus praedicandis, quod antea feci, conterere: de te alii scribant, an taceant, id vero susque deque fero." Haec quibus non placeant, *inficeta capita* appellat. Cum multis, ut opinor, aliis ego et ipse Propertius

In his poëta nomen profitetur suum.

CINIS HIC] Codex Dresdensis habet *cuius* (l. *cinis*) *haec;* Neapolitanus quoque *haec*, sed a correctore. Fortasse tamen hoc verum est. Ita et alii loquuntur et hic suavius est, cum sequatur *docta puella.* Nonius III, 51. *Cinis feminino apud Caesarem et Catullum et Cal-*

II.

Quicumque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
  Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum vidit sine sensu vivere amantis,
  Et levibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas,
  Fecit et humano corde volare deum;
Scilicet alterna quoniam jactamur in unda,
  Nostraque non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
  Et pharetra ex humero Gnosia utroque jacet;
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
  Nec quisquam ex illo volnere sanus abit.
In me tela manent, manet et puerilis imago:
  Sed certe pennas perdidit ille suas;
Evolat heu nostro quoniam de pectore nusquam,
  Adsiduusque meo sanguine bella gerit.
Quid tibi jucundum siccis habitare medullis?
  Si pudor est, alio trajice tela tua.
Intactos isto satius tentare veneno:
  Non ego, sed tenuis vapulat umbra mea;

Eleg. II. *Burm. IX.*

vum lectum est; quorum vacillat auctoritas. Cum jam fulva cinis fueris. Locus non est integer: Nonius haud dubie posuerat ex Caesare, apud quem hodie frustra quaeras, exemplum, tum Catulli LXVIII, 90. et CI, 4. Pro his nunc legimus inepta illa: *quorum vacillat auctoritas*, quae Burmannus ad Antholog. Lat. IV, 39. a sciolo glossatore profecta esse judicat, ista verba *Cum jam fulva cinis fueris* recte ascribens Calvo Licinio. Charisius I. pag. 78. *Quid, quod aeque feminino genere dixit cinerem Calvus in carminibus: Cum jam fulva cinis fuero. Item: Forsitan hoc etiam gaudeat ipsa cinis.* Hunc posteriorem versum esse ex iis Calvi carminibus,

Quis cecinit miserae funera Quinctiliae,

Catullus fidem facit, ad eum respiciens XCVI, 5.

Certe non tanto mors immatura dolori est
Quinctiliae, *quantum* gaudet amore tuo.

II. [XII.]

15. HEU NOSTRO] Male co-

Quam si perdideris, quis erit, qui talia cantet, —
Haec mea Musa levis gloria magna tua est —,
Qui caput et digitos et lumina nigra puellae
Et canat, ut soleant molliter ire pedes?

III.

Non tot Achaemeniis armantur Susa sagittis,
Spicula quot nostro pectore fixit Amor.
Hic me tam gracilis vetuit contemnere Musas,
Jussit et Ascraeum sic habitare nemus;
Non ut Pieriae quercus mea verba sequantur,
Aut possim Ismaria ducere valle feras,
Sed magis ut nostro stupefiat Cynthia versu.
Tunc ego sim Inachio notior arte Lino.
Non ego sum formae tantum mirator honestae,
Nec si qua inlustris femina jactat avos:
Me juvet in gremio doctae legisse puellae,
Auribus et puris scripta probasse mea.

V. 23. Quae. 24. canit. — Eleg. III. *Burm. eleg. X,* 1—16. V. 11. juvat.

dices *Evolat e nostro*: Muretus correxit.

23. QUAE CAPUT. 24. ET CANIT] Libri aut omnes aut plerique habent *Qui: Canat* Neapolitanus, Mentelianus, Guarnerianus cum quinque aliis. Haud paullo hoc altero elegantius est:

Quam si perdideris, quis erit, qui *talia* cantet,
(*Haec mea Musa levis gloria magna tua est*)
QUI *caput et digitos et lumina nigra puellae*
Et CANAT, *ut soleant molliter ire pedes?*

III. [XIII.]

1. ARMANTUR SUSA] Hanc verissimam scripturam *Susa* Philippus Beroaldus anno MCCCCLXXXVII. ex codice Joannis Pici Mirandulani dedit, et in altera editione Antonius Volscus MCCCCLXXXVIII. Antea exhibuerat *armantur Etrusca,* quod et caeteri omnes habent, nisi quod Modius *tura* annotavit, *Itura* Passeratius et e Vaticano secundo Burmannus. Hoc postremum a Pontano excogitatum Ant. Perrejus narrat, ut illis libris quae habenda fides sit videas.

11. ME JUVAT] Membranae Groninganae, Mentelianae et nostrae, codex Palatinus cum aliis apud Burmannum, item

Haec ubi contigerint, populi confusa valeto
Fabula; nam domina judice tutus ero;
Quae si forte bonas ad pacem verterit auris,
Possum inimicitias tunc ego ferre Jovis.

IV.

Quandocumque igitur nostros mors claudet ocellos,
Accipe, quae serves, funeris acta mei.
Nec mea tum longa spatietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei;
Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.
Desit odoriferis ordo mihi lancibus: at sint
Plebeji parvae funeris exsequiae.
Sat mea sat magna est si tres sint pompa libelli,
Quos ego Persephonae maxima dona feram.

Eleg. IV. *Burm. eleg. X*, 17—58. V. 1. (17.) nox. 3. (19.) tunc. 7. (23.) adsint.

excusi antiquitus, *Me* JUVET. Rectius, quia sequitur, *Haec ubi contigerint*, nempe quae nondum contigerant.

IV. [XIII, 17—58.]

Haec, quae sequuntur illum versum, *Possum inimicitias* etc. a superioribus separanda Hemsterhusius, Schraderus, Jacobsius intellexere. Sed Hemsterhusius elegiam tertiam secundae continuari voluit, non recte; nec Jacobsio accesserim, octo postrema quarti carminis disticha tamquam alterius elegiae fragmentum a caeteris separanti, cum nec sensu neque indole a prioribus differant.

1. NOSTROS NOX CLAUDET OCELLOS] Scripti omnes MORS exhibent: *Nox* de emendatione Heinsii dedit Broukhusius, recte ab Hemsterhusio castigatus, cujus verba, posita in Addendis Santenii pag. 939., cum non intellexisset, Burmannus commentum Heinsianum loco injuria occupato dejicere veritus est.

7. DESIT — ADSINT] Quis haec in uno eodemque versu conjuncta ferat? quamquam Virgilius *Absint* et *Adsint* ita posuit, sed sex versibus interjectis, georg. IV, 13. 19. Vere Heinsius, nulla mutatione:

Desit odoriferis ordo mihi lancibus: AT SINT
Plebeji parvae funeris exsequiae.

9. SAT MEA SAT MAGNA EST]

Tu vero nudum pectus lacerata sequeris,
Nec fueris nomen lassa vocare meum,
Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
Cum dabitur Syrio munere plenus onyx.
Deinde, ubi subpositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat Manis parvola testa meos.
Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quae tegat exstincti funeris umbra locum.
Et duo sint versus: QUI NUNC JACET HORRIDA PULVIS,
UNIUS HIC QUONDAM SERVUS AMORIS ERAT.
Nec minus haec nostri notescet fama sepulcri,
Quam fuerant Phthii busta cruenta viri.
Tu quoque si quando venies ad fata, (memento)
Hoc iter ad lapides cana veni memores.

V. 11. (27.) sequare. 13. (29.) ponas. 24. (40.) itere — venire meos.

Libri plerique *Sat mea sit magna si tres;* Palatinus chartaceus *Sat mea sat magna si.* Vulgarem scripturam factio Italica agnoscit, duo Vaticani, Perreji codex et Colotianus. Vera tamen haec est et certissima. Caetera ad hunc locum pertinentia in praefatione exponimus.

11. LACERATA SEQUARE. 13. PONAS] Libri optimi, Groning. Neapol. Mentel. SEQUERIS et PONES, quod quantum praestet Burmannus docuit. *Sequare* in fine versus ipsa metrica ars respuit.

23. MEMENTO HOC ITERE AD LAPIDES CANA VENIRE MEOS] Ita haec Scaliger de conjectura formavit, contra quem disputare non libet; neque aliorum commenta excutimus. Recte codices universi:

Tu quoque si quando venies ad fata, memento
Hoc iter. *ad lapides cana* veni memores.

In his quod *iter* intelligendum sit, dubium est; de illo accipiunt, quod Cynthia funus Propertii prosequendo factura sit. Id meminisse eam velle, ut mortuam se in eodem loco condi jubeat. Sed offendit gravitas illa, qua, ut hujus itineris recordetur, hortatur; rem non difficilem, nec tam magni momenti, quam alterum, ut loci ac sepulcri memoriam habeat, eodemque concedere post obitum velit. Aliena inferunt, qui Cynthiam, ut se mortalem cogitet, moneri existimant. *Memores lapides* Passeratius Manes non oblituros Cynthiae interpretatur. Accuratissimus Huschkius in analectis criticis

Interea cave sis nos aspernata sepultos;
Non nihil ad verum conscia terra sapit.
Atque utinam primis animam me ponere cunis
Jussisset quaevis de tribus una soror!

pag. 129., collatis cum hoc disticho Callimacheis h. in Dian. 131.

οὐδ᾽ ἐπὶ σῆμα
Ἔρχονται, πλὴν εὖτε πολυχρόνιόν τι φέρωσιν,

„Lapides memores, inquit, sunt *μνήματα, σήματα*, monumenta. *Venire* ad lapides memores i. q. venire ad fata, *ἔρχεσθαι ἐπὶ σῆμα*, mori: *cana, πολυχρόνιος.*" Recte omnino *lapides memores* interpretatur, quae conservent memoriam mortui inscripto nomine. Valerius Flaccus IV, 314.

Pollux ego missus Amyclis
Et Jove natus, ait. nomen mirantibus umbris
Hoc referas; sic et memori *noscere* sepulcro.

Canam quoque tuetur merito, quamquam inventus sit, qui *notionem, quae inest τῷ cana, jam expressam esse verbis, S i q u a n d o v e n i e s,* diceret. Sed quod *venire ad lapides memores* non differre ait a *veniendo ad fata*, non assentior. Nam si Cynthia suo proprioque sepulcro, quod illa interpretatio postulat, condetur, tum, quod iter memini se debeat, difficile intellectu erit. Sed alia distinctione inducta sententia sua his versibus constabit:

Tu quoque si quando venies ad fata, (memento)
Hoc ITER *ad lapides cana* VENI MEMORES.

Hoc dicit: Tu quoque cum morieris, illo supremo mortis itinere ad monumentum nostrum te conferre ibidemque componi memineris, ut *mixtis ossibus* (ita alibi loquitur) *ossa teram.* Propertii monumentum intelligendum esse, versus proximi, in quibus multa ejus mentio, fidem faciunt. *Hoc iter* et *illam viam* saepius dicunt pro extrema poëtae, tamquam Propertius IV, 17, 22.

Est mala, sed cunctis ista *terenda* via *est.*

Venire autem *iter* et *ire iter*, *ἥκειν, ἔρχεσθαι, βαίνειν ὁδόν*, recte dicuntur. Vide Munckerum ad Hygini fab. XXXVIII. Lucretius III, 1043.

iterque *dedit legionibus*
ire *per altum.*

Propertius III, 21, 16.

Concessum nulla lege redibit iter.

Neque aliter V., 10, 3.

Magnum iter ascendo, *sed dat mihi gloria vires.*

et IV, 21, 1.

Magnum iter *ad doctas* proficisci *cogor Athenas.*

quod simillimum est illi in excerptis Festi mss. apud Munckerum: Profecturi viam *Herculi aut Sanco sacrificabant.*

Nam quo tam dubiae servetur spiritus horae?
Nestoris est visus post tria saecla cinis.
Cui si tam longae minuisset fata senectae
Ilius Iliacis miles in aggeribus,

V. 31. (47.) Quis tam longaevae meminisset. 32. (48.) Gallicus.

31. QUIS TAM LONGAEVAE MEMINISSET FATA SENECTAE GALLICUS ILIACIS MILES IN AGGERIBUS?] Non facile haec quisquam intelliget, nisi adhibeat interpretes, qui explicant: Quibus debuisset Nestor commemorare aerumnas senectae suae nimium vivacis? *Longaeva* autem *senecta* quam bene dicatur, ignoro. Vulpius non injuria dubitat, an Latinum sit, *meminisse, aliquid alicui*, pro memorare. *Gallicum militem* dici Nestorem, quia tendebat juxta Phrygiae fluvium Gallum, eruditione sua non recte utentium commentum est. Magna in codicibus scripturae varietas est, sed ab omnibus, in primis a Burmanno, negligenter annotata. Ex Menteliano et Groningano affert *Qui* vel *Quis si tam longae minuisset*: Livinejo si qua fides, Groninganus habuit: *Quis tam longaevae*. Sic enim ille, cum in suo exemplo lectionem a Beroaldo MCCCCLXXXVII et a Volsco MCCCCLXXXVIII jam exhibitam reperisset, *Si tam longaevae minuisset*: „*Si*] *Quis* P. *Cui* puto, et subintelligendum *si*." In Neapolitano quoque est *Quis tam longaevae minuisset*, et in Palatinis, item in Guarneriano; sed in hoc *meminisset*. Ex aliis libris quas diversitates Burmannus notat, nihil curamus. In altero vitio *Gallicus miles* omnes consentiunt, certe quorum aliqua auctoritas est. Virorum doctorum molimenta afferre non juvat. Recte tamen agunt, qui ex illa scriptura *Quis si tam longae* eliciunt *Cui si*. Repone:

CUI SI TAM LONGAE MINUISSET *fata senectae*
ILIUS *Iliacis miles in aggeribus*,
Non ille etc.

Longae fata senectae, ut lib. I, 20, 19.

Quamvis te longae *remorentur* fata senectae.

Ovidius metam. VI, 675.

Hic dolor ante diem longaeque *extrema* senectae
Tempora Tartareas Pandiona misit ad umbras.

Ilius autem *miles*, Iliacus, ut IV, 12, 61.

neque enim Ilia *quondam*
Verax Pergameis Maenas habenda malis.

et libro V, 1, 53.

Ilia tellus
Vivet.

Horatius carm. saec. 37.

Roma si vestrum est opus,
Iliaeque

Non ille Antilochi vidisset corpus humari,
  Diceret aut: O mors, cur mihi sera venis?
Tu tamen amisso non numquam flebis amico;
  Fas est praeteritos semper amare viros.
Testis, cui niveum quondam percussit Adonin
  Venantem Idalio vertice durus aper.
Illic formosis jacuisse paludibus, illuc
  Diceris effusa tu, Venus, isse coma.

V. 33. (49.) humati. 37. (53.) qui. 39. (55.) Illis formosum.

Litus Etruscum tenuere turmae.

Idem epod. XVII, 11.

Luxere matres Iliae *addictum feris*
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem.

33. VIDISSET CORPUS HUMATI] Sic impressi omnes: at codices plerique, certe praeter alios Groning. Neapol. Mentel. Bonon. habent HUMARI, quod est magis proprie dictum.

37. TESTIS, QUI NIVEUM] Ita quidem codices universi: sed testimonium apri non magis hic ferri potest, quam apud Ovidium epist. XX, 101., de quo loco post alios Jo. Schraderus dixit in emendat. cap. X. pag. 187. Unice verum est, quod Huschkius acutissime eruit:

Testis, CUI *niveum quondam percussit Adonin*
Venantem Idalio vertice durus aper.

Inania aliorum commenta, quove mendacio prava Marklandi emendatio nuper sustentata fuerit, commemorare veritate reperta nihil attinet, praesertim cum difficilia instent.

39. ILLIS FORMOSUM JACUISSE PALUDIBUS, ILLUC DICERIS EFFUSA TU, VENUS, ISSE COMA] In quibus nimis profecto inepte atque otiose de Adoni dicitur, *jacuisse illic formosum.* Nam Bionis illud diversi generis est, *Κεῖται καλὸς Ἄδωνις ἐπ' ὤρεσι.* Praeterea Latinitas postulabat nominativum *formosus.* Quamvis enim Lucretius quoque utramque constructionem conjunxerit III, 592.

Saepe aliqua tamen e causa labefacta videtur
Ire anima, *ac toto solvi de corpore* mentem.

et Ovidius amorum II, 17, 15.

Creditur *et* Nymphe *mortalis amore* Calypso
Capta reluctantem detinuisse virum;
Creditur *aequoream Phthio* Nereïda *regi,*
Egeriam *justo concubuisse Numae,*
Vulcano Venerem.

Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, Manis.
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

neuter tamen, quod hic factum est, secundam et tertiam personam copulavit. Recte igitur critici aliter scripsisse Propertium censent, modo non omnia tam dira libidine urendo caedendo pervertissent. Quid, quod ne Huschkio quidem caeteris continentiori hic tam bene, quam alibi, conjectura cessit, scribenti:

Illic *formosum* flevisse, *paludibus* illis
Diceris effusa tu, Venus, isse coma.

Nam *flevisse*, quod a Beroaldo quoque exhibitum e codice Vallieriano assumsit, ab Italis haud dubie edolatum est. Hoc retinendum Huschkius dicit, donec meliora quis edoceat. Ipse judex esto, an nobis faverit Critica ita scribendum conjectantibus:

ILLIC FORMOSIS *jacuisse paludibus, illuc*
Diceris effusa tu, Venus, isse coma.

Illic habent libri Palatini et Commelinianus. *Paludes* autem pro aquis dici notum est, et monuit hic Burmannus. Recte igitur *formosae paludes*, ut lib. I, 2, 9.

Aspice quos summittit humus formosa *colores.*

eleg. 21, 41.

Et modo formosis *incumbens nescius* undis.

et hoc libro 11, 25.

Qua formosa *suo Clitumnus* flumina *luco*
Integit.

Paludibus vero, ad paludes. I, 15, 1.

Tu licet abjectus Tiberina molliter unda.

II, 2, 11.

Mercurio et sanctis fertur Boebeidos undis
Virgineum Brimo composuisse latus.

et V, 2, 8.

Ustus et Eoa *decolor Indus* aqua.

Sic et addita praepositione *in* locuti sunt. Horatius serm. II, 3, 292.

Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus
In Tiberi *stabit.*

Nam sequitur, *In gelida fixum ripa.* Propertius I, 5, 6.

Qualis in herboso concidit Apidano.

Vide Burmannum ad Ovid. metam. I, 689. Denique haec optime conjunguntur, *Illic formosis paludibus*, ut I, 20, 7.

Illic *Phylacides jucundae conjugis heros*
Non potuit caecis *immemor esse* locis.

quibus simillimum Anacreontium est IV, 6., si Brunckium sequimur:

Πρὶν ἐκεῖσε δεῖ μ' ἀπελθεῖν
Ὑπὸ νερτέρων χορείας.

V.

Non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho,
  Cum caderent magnae Laomedontis opes,
Nec sic errore exacto laetatus Ulixes,
  Cum tetigit carae litora Dulichiae,
Nec sic Electra, salvum cum aspexit Oresten,
  Cujus falsa tenens fleverat ossa soror,
Nec sic incolumem Minois Thesea vidit,
  Daedaleum lino cum duce rexit iter,
Quanta ego praeterita conlegi gaudia nocte.
  Inmortalis ero, si altera talis erit.
At dum demissis supplex cervicibus ibam,
  Dicebar sicco vilior esse lacu.
Nec mihi jam fastus opponere quaerit iniquos,
  Nec mihi ploranti lenta sedere potest.
Atque utinam non tam sero mihi nota fuisset
  Conditio! cineri nunc medicina datur.
Ante pedes caecis lucebat semita nobis;
  Scilicet insano nemo in amore videt.
Hoc sensi prodesse magis: contemnite, amantes;
  Sic hodie veniet, si qua negavit heri.

Eleg. V. *eleg. XI.* V. 1. triumpho est. 3. Non. 19. contendite.

Noster IV, 14, 5.

Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit, heu, nullis capta Lycinna *datis.*

et IV, 18, 15.

Crimen et illa *fuit, patria succensa senecta,*
Arboris in frondes condita Myrrha *novae.*

V. [XIV.]

1. GAVISUS ATRIDA TRIUMPHO EST] Dele *est*, quod aliquot libri excludunt, neque agnoscit Charisius libro I. pag. 51.

3. NON SIC ERRORE] *Non* typothetae culpa irrepsit. Omnes ante Burmannum NEC *sic*. In libro I, 2, 19. Groninganus cum Guarneriano et quinque aliis *Non Phrygium* habet; male. Vide I, 14, 21. 23. I, 16, 9. 15. II, 10, 33. 34. Mox Burmannus fallit, cum *Electre* affert ex Neapolitano, in quo est *Electra*.

19. CONTENDITE] Recte libri omnes praeter Cujacianum CON-

Pulsabant alii frustra dominamque vocabant:
  Mecum habuit positum lenta puella caput.
Haec mihi devictis potior victoria Parthis,
  Haec spolia, haec reges, haec mihi currus erunt.
Magna ego dona tua figam, Cytherea, columna;
  Taleque sub nostro nomine carmen erit:

V. 26. munere.

TEMNITE, *amantes.* Paullo ante v. 12. corruptum censuit Ruhnkenius,

> *Dicebar* sicco vilior *esse* lacu.

Vide an tueatur satis Ovidius epist. XIX, 145.

> *Turpe deo pelagi juvenem terrere natantem,*
> Gloriaque *est* stagno *quolibet illa* minor.

25. TUA FIGAM CYTHEREA COLUMNA] Groninganus cum Commel. Heins. et Borrich. *Tuae columnae,* quae constructio rarior est, neque aptis exemplis a Burmanno munita. Habet tamen Statius silv. III, 1, 93.

> *nostro qui tot fastigia* monti,
> *Tot virides lucos, tot saxa imitantia vultus,*
> *Aeraque, tot scripto viventes lumine ceras*
> Fixisti.

et Flaccus Valerius I, 548.

> *sed nulla magis sententia* menti
> Fixa meae.

26. TALEQUE SUB NOSTRO MUNERE CARMEN ERIT] *Munere* solus Cujacianus: caeteri *Nomine,*

> *Taleque* sub nostro NOMINE carmen *erit.*

Nec mutari debuit, cum sequatur:

> *Has pono ante tuam tibi, diva,* Propertius *aedem*
> *Exuvias.*

Sic Ovidius trist. II, 551.

> *Idque* tuo *nuper scriptum* sub nomine, *Caesar,*
> *Et tibi sacratum sors mea rupit* opus.

Propertius V, 7, 77.

> *Et quoscumque* meo *scripsisti* nomine versus,
> *Ure mihi; laudes desine habere meas.*

ex quo loco patet, non recte vulgo Primum tantum librum nomine CYNTHIAE inscribi, quod quatuor aut certe tres priores sibi vindicant. Nec sane Martialis primum librum significat solum XIV, 187.

> Cynthia, *facundi* carmen juvenile Properti,
> *Accepit famam, nec minus ipsa dedit.*

Certe juvenem fuisse Propertium, cum moreretur, in praefatione demonstramus. *Monobibli* nomen, quod codices Martialis Propertiique agnoscunt, iisdem libris, qui quasi unius instar haberent, impositum fuisse censeo, ut eo aut a quarto quintoque aut a quinto

HAS PONO ANTE TUAM TIBI, DIVA, PROPERTIUS AEDEM
EXUVIAS, TOTA NOCTE RECEPTUS AMANS.
Nunc da te, mea lux. venit mea litore navis
Servata: an mediis sidat onusta vadis?

V. 29. ad te, m. l. veniat,

certe, qui nihil ad Cynthiam pertinet, segregarentur.

27. ANTE TUAM AEDEM] Sic optime Scaliger. Scripti omnes *Tuas aedes.*

29. NUNC AD TE, MEA LUX, VENIAT MEA LITORE NAVIS SERVATA, AN MEDIIS SIDAT ONUSTA VADIS] Recte notat Burmannus, si hanc plurimorum codicum scripturam sequamur, hiare sensum. Quae viri docti excogitarunt, quamquam diversissima sunt, in duas quasi classes referri possunt. Plerique enim verba emendando in eum sensum studuerunt deflectere, quem caeteris et elegantius et apertius D'Orvillius expressit scribendo:

Nunc in te, *mea lux*, *veniat* sua litora *navis*
Servata, *an mediis sidat onusta vadis.*

ut *in te est* more Graeco diceretur, quem nec Ovidius sprevit metam. VII, 24.

vivat an ille
Occidat, in dis est.

Sententia quidem proba est, neque ab re, sed ab hujus amatoris persona aliena; qui ubi post haec frigida et languida, quibus in puellae potestate positum dicit, in portum veniat navis an in medio cursu sidat, ubi post haec perrexerit dicere:

Quod si forte aliqua nobis mutabere culpa,
Vestibulum jaceam mortuus ante tuum.

mirum ni Cynthia hunc lentum ac frigidum amatorem mori potius jusserit, quam aliis calidioribus praetulerit. Ab altera parte Marklandus stat, qui hos versus ita refingit:

Nunc ad te, mea lux, veniet *mea litore navis*
Servata? an mediis sidet *onusta vadis?*

Hic quidem melior est, et cui quamvis timido puella libentius cedat. Sed illa ipsa timiditas hunc ipsum non decet,

Quocum habuit positum lenta puella caput.

Quare nobis novam rationem ingressis aliud hic latere visum est, nempe hoc:

Nunc DA *te, mea lux.* VENIT *mea litore navis*
Servata: an mediis sidat onusta vadis?

hoc sensu: „Nunc tu mihi te totam dede. Jam navis mea in altum felici remo provecta est: vis tu hanc in mediis undis sedere, ne portum speratum attingat?“ Compara cum his simillimum Ovidii locum art. amat. II, 9.

Quid properas, juvenis? mediis tua puppis in undis

Quod si forte aliqua nobis mutabere culpa,
Vestibulum jaceam mortuus ante tuum!

VI.

O me felicem! o nox mihi candida! et o tu,
Lectule, deliciis facte beate meis!

Eleg. VI. *Burm. XII.*

Navigat, et longe, quem peto, portus abest.
Non satis est venisse tibi me vate puellam;
Arte mea capta est, arte tenenda mea est.

Caeterum non magna, ut vides, mutatione rem gessimus. Ex *ad te* transpositis litteris fecimus *da te*, de qua formula vide Heinsium ad Ovidii epist. XVI, 161.

Da *modo* te; *quae sit Paridi constantia nosces.*

et Burmannum Sec. ad Antholog. Lat. Tom. I. pag. 637. Porro *venit* non nimia licentia reposuimus, cum in aliis *veniat* esset, *veniet* in aliis perbonis, Neapolitano ac Bononiensi. Sed *mea lux* et *mea navis* jam, distinctione interposita, vix morosissimos offendent. *Litore* habent aliquot meliores, Groninganus, in quo ita scriptum est, *litor̄*, Neapolitanus, Palatinus papyraceus, non *litora.* Burmannus hic suorum varietatem negligentius annotavit.

51. QUOD SI FORTE] Sic Neapol. Mentel. Palat. papyr. et alii: sed membranae Palat. et Groning. cum aliis *Quae si* habent. Neutrum neutri praetulerim. Nam *Quae* tuentur similia Propertii loca I, 15, 19.

Illa *neque Arabium metuit transcendere limen,*
Nec timet ostrino, Tulle, subire toro,
Et miserum toto juvenem versare cubili;
Quid relevant variis serica textilibus?
Quae *mihi dum placata aderit, non ulla verebor*
Regna, neque Alcinoi munera despicere.

et III, 14, 11.

Interea nostri quaerunt sibi vulnus ocelli,
Candida non tecto pectore si qua *sedet,*
Sive vagi crines puris in frontibus errant,
Indica quos medio vertice gemma tenet;
Quae *si forte aliquid vultu mihi dura negarat,*
Frigida de tota fronte cadebat aqua.

Sed in libro III, 3, 15. *Quae si* rectius est quam *Quod si*, et confirmat praeter multos deteriores praestantissimus codex Neapolitanus.

Quam multa adposita narramus verba lucerna,
  Quantaque sublato lumine rixa fuit!
Nam modo nudatis mecum est luctata papillis,
  Interdum tunica duxit operta moram.
Illa meos somno labsos patefecit ocellos
  Ore suo, et dixit: Siccine lente jaces?
Quam vario amplexu mutamus brachia! quantum
  Oscula sunt labris nostra morata tuis!
Non juvat in caeco Venerem conrumpere motu;
  Si nescis, oculi sunt in amore duces.
Ipse Paris nuda fertur periisse Lacaena,
  Cum Menelaëo surgeret e thalamo;
Nudus et Endymion Phoebi cepisse sororem
  Dicitur et nudae concubuisse deae.
Quod si pertendens animo vestita cubaris,
  Scissa veste meas experiere manus;
Quin etiam, si me ulterius provexerit ira,
  Ostendes matri brachia laesa tuae.
Necdum inclinatae prohibent te ludere mammae;
  Viderit hoc, si quam jam peperisse pudet.
Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore.
  Nox tibi longa venit; nec reditura dies.

V. 3. 4. *Burm.* 9. 10. V. 5—10. *v.* 5—8.

VI. [XV.]

3. QUAM MULTA] Hoc distichon, quod Bronkhusius et Burmannus Jano Dousa suasore ante versum 11. collocaverant, huc ad sedem suam retraximus. Particula *Nam* post versum 2. ingrata erat: versu 11. quis loqueretur indicari, non necessarium; quin, si non fieret, suavius.

17. VESTITA CUBARIS] Ita Muretus, nescio an primus, sed recte. Scripti, ut opinor, omnes *Cubares*, quod et Volscus bis dedit: Calphurnius ac Beroaldus *Cubare*.

24. NEC REDITURA DIES] Burmannus, quia proximum distichon et ipsum in *diei* vocabulum desinit, hic *Nec reditura quies* legi vult, *non rediturо* affingens *aeterni* significationem. Ego vero ne id quidem, quod venturum est, *rediturum* recte dici contendo, quomodo Heinsius interpretatur apud Silium II, 223.

Heu blandum caeli lumen! tantone cavetur

Atque utinam haerentes sic nos vincire catena
Velles, ut numquam solveret ulla dies.

Mors reditura metu, nascentique addita fata.

Ibi scribo *Mors aditura*, ut apud Propert. III, 21, 2.

Quaeritis et qua sit mors aditura *via.*

quod Simonides praeiverat epigr. XXXI.

Μάντιος, ὃς τότε κῆρας ἐπερχομένας σάφα εἰδὼς
Οὐκ ἔτλη Σπάρτης ἡγεμόνας προλιπεῖν.

Diem redituram ipse Propertius vindicat III, 9, 12.

Maturos iterum est questa redire dies.

Versu superiore pro *Dum nos fata sinunt* Burmannus mallet:

Nos, dum *fata sinunt, oculos satiemus amore.*

At illud haud paullo suavius est. Naso trist. V, 3, 5.

Inter quos, memini, dum me mea fata sinebant,
Non invisa tibi pars ego saepe fui.

Manilius IV, 481.

Si te fata sinant, *quartam ne selige partem*
Centauri.

25. ATQUE UTINAM HAERENTES SIC NOS VINCIRE CATENA VELLES, UT NUMQUAM SOLVERET ULLA DIES] Quemnam alloquitur? Cynthiam certe, nisi aliena inferre volumus. Neque est, quod reprehendas. Ita Paullus Silentiarius epigr. XXX.

Εἴη μοι μελέεσσι τὰ Λήμνιος ἥρμοσεν ἄκμων
Δεσμά, καὶ Ἡφαίςȣ πᾶσα δολοῤῥαφίη·
Μȣ̃νον ἐγὼ, χαρίεσσα, τεὸν δέμας ἀγκὰς ἑλίξας
Θελγοίμην ἐπὶ σοῖς ἄψεσι βαλλόμενος.

Haerentem vero se tantum dicit Propertius, non Cynthiam quoque; ne huc illud Petronii referas cap. 114. *Haec ut ego dixi, Giton vestem deposuit, meaque tunica contectus exseruit ad osculum caput; et ne sic cohaerentes malignior fluctus distraheret, utrumque zona circumvenienti praecinxit.* Quare nihil opus est Burmanni emendatione tentantis:

Atque utinam haerentes sic nos vincire catena
Vellent,

nempe *fata*, quia praecessit, sed toto versu interjecto:

Dum nos fata *sinunt, oculos satiemus amore.*

At fata eo modo amantes jungere non dicuntur, sed Venus. Lucretius IV, 1109.

Usque adeo cupide in Veneris compagibus haerent.

Idem IV, 1142.

Nam vitare, plagas in Amoris ne jaciamur,
Non ita difficile est, quam captum retibus ipseis
Exire, et validos Veneris *perrumpere* nodos.

Tibullus IV, 5, 13.

Nec tu sis injusta, Venus: *vel serviat aeque*

Exemplo junctae tibi sint in amore columbae,
Masculus et totum femina conjugium.

Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva.
Sed potius valida teneamur uterque catena;
Nulla queat post haec nos soluisse dies.

Ovidius epist. IV, 135.

Illa coit firma generis junctura catena,
Imposuit nodos *cui* Venus *ipsa suos.*

Hactenus placet magis, quod Guyetus excogitavit:

Atque utinam haerentes sic nos vincire, Cythere,
Velles,

nisi quod *catenam* ita nobis eripi non facile patimur. Quod si quos offendit *dies* in fine duorum distichorum positum, eis accedere me profiteor, qui Propertium ita scripsisse existimo:

Atque utinam haerentes sic nos vincire catena
Velles, ut numquam solveret, Idalie.

Id nomen, quo Venerem Virgilius, Ovidius aliique saepius salutant, indoctos librarios facile decipere potuit. *Solvere* autem pro solvi, more satis pervulgato, et Propertio quoque familiari; haec enim ejusdem generis sunt:

O utinam trajecta cava mea vocula rima
Percussas dominae vertat *in auriculas:*
— volutantes *nec jacuisse duos.*
Vel tremefacta cavo tellus diducat *hiatu.*
Trajicit *alterno qui, leve pondus, equo.*

Quin hoc ipsum *solvere* ita posuit, si Italicis aliquot codicibus fides habenda est, libro IV, 11, 69.

mihi cymba volenti
Solvit,

quod tamen, quamvis exquisitius visum Santenio, libri meliores non comprobant. At in Pervigilio Veneris v. 26. ita intelligendum plane censeo:

Facta Cypris (vel *Cypridis,* codd. *prius*) *de cruore, deque Amore osculis,*
Deque gemmis, deque flammis, deque Solis purpuris,
Cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea,
Unico, marita, nodo non pudebit solvere.

Rosam alloquitur, Veneris jussu cras nuptam futuram, v. 22.

Ipsa jussit, mane ut udae virgines nubant rosae.

Cras, inquit, ô marita, ruborem tuum non pudebit, unico, quo cohibebatur, nodo sese exsolvere, flore aperto. *Unico nodo se solvet* rosa, sicut Catullus dicit LXI, 53.

tibi virgines
Zonulâ solvunt *sinus.*

Aliorum interpretationem Latinitas non admittit. Certe apud Plautum Epid. II, 1, 2.

Ibi eos deserit pudor, cum (l. *ubi*) *usust, ut* pudeant,

libri qua scripti qua impressi veteres habent *ut pudeat.*

Errat, qui finem vesani quaerit amoris:
Verus amor nullum novit habere modum.
Terra prius falso partu deludet arantis,
Et citius nigros Sol agitabit equos,
Fluminaque ad caput incipient revocare liquores,
Aridus et sicco gurgite piscis erit,
Quam possim nostros alio transferre calores:
Hujus ero vivus, mortuus hujus ero.
Quod mihi si secum talis concedere noctis
Illa velit, vitae longus et annus erit:
Si dabit haec multas, fiam inmortalis in illis;
Nocte una quivis vel deus esse potest.
Qualem si cuncti cuperent decurrere vitam,
Et pressi multo membra jacere mero,
Non ferrum crudele esset neque bellica navis,
Nec nostra Actiacum verteret ossa mare,

V. 41. vellent. 43. neque esset. 44. verreret.

35. TRANSFERRE CALORES] Scripti omnes *dolores.* Volscus notat: *Dolores et calores legimus.* Hoc posterius Phil. Beroaldus dedit, rectissime. Idem vitium habuimus libro I, 10, 13.

41. CUNCTI VELLENT] Libri plerique non *Vellent*, sed:

Qualem si cuncti CUPERENT
decurrere vitam,

numeris aptioribus. *Cupere* est rei alicuius faciendae curam gerere. II, 24, 13.

Et cupit *ingratum talos me*
poscere eburnos.

Lucretius V, 169.

Quidve novi potuit tanto post
ante quietos
Inlicere, ut cuperent *vitam*
mutare priorem?

43. NON FERRUM CRUDELE, NEQUE ESSET] Ita alii codices; Neapolitanus quoque, ne Burmanno credas: alii,

Non ferrum crudele ESSET,
NEQUE *bellica navis*,

Neuter versus habet optimos numeros: sed certe Bacchius in illa sede (*Neque esset*) vitiosus est, neque amphibracho melior. Fateor tamen Propertium in hac re aliquando negligentiorem fuisse; vide II, 1, 51. III, 29, 9. IV, 5, 25. V, 7, 41. Apud Virgilium Ecl. V, 15. praestat scriptura,

Experiar: tu deinde jubeto,
ut *certet Amyntas.*

ut accedente interpunctione et vocali elisa vitium minus appareat.

44. VERRERET OSSA MARE] Ita fere Claudianus de Raptu Pros. II, 295.

Nec totiens propriis circum oppugnata triumphis
Lassa foret crines solvere Roma suos.
Me certe merito poterunt laudare minores;
Laeserunt nullos pocula nostra deos.
Tu modo, dum licet, hunc fructum ne desere vitae;
Omnia si dederis oscula, pauca dabis.

V. 50. Omnia, si d. o. p., dabis.

Quicquid alit tellus, quicquid salis aequora verrunt.

et Statius Theb. IV, 712.

Inachus, adverrensque *natantia saxa* Charadrus.

Ovidius quoque metam. XI, 499.

Pontus *cum fulvas eximo* verrit *arenas*.

quod ibi Heinsius alteri scripturae *Vertit* praetulit. In nostro tamen loco codicum quantum exstat, habent,

Nec nostra Actiacum VERTERET ossa mare.

quod revocamus, quia Homerum imitari videtur Odyss. *Λ*, 161.

Ἀνέρος, ὃ δή που λεύκ' ὀστέα πύθεται ὄμβρῳ,
Κεῖμεν' ἐπ' ἠπείρου, ἢ εἰν ἁλὶ κῦμα κυλίνδει.

quamquam Virgilius in hac re *volvere* maluit ponere Georg. IV, 525.

Tum quoque, marmorea caput a cervice revolsum
Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus
Volveret.

Nautae vero *verrunt* mare, et venti et remi, quin et delphines in Virgilii Aen. VIII, 674.

Et circum argento clari delphines *in orbem*
Aequora verrebant *caudis aestumque secabant.*

Sed et *vertere* aequora nautae dicuntur Statio Theb. V, 309.

non arva viri, non aequora vertunt.

nempe quia et *arant* aequora (vide Heinsium ad Ovid. Amor. II, 10, 33.); quod genus omnium audacissime Callimachus fragm. 436. poëtam appellat

ἀρόταν κύματος Ἀονίου.

Ventis mare *verti* Ovidius Fast. III, 592.

Assiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus
Vertitur, *et canas alveus haurit aquas.*

et Virgilius Aen. I, 43.

Disjecitque rates, evertitque aequora ventis.

quamquam illud Homericum,

Σὺν δ' Εὖρός τε Νότος τ' ἔπεσεν, Ζέφυρός τε δυσαής,
Καὶ Βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων.

Aeneidos I, 86. ita expressit,

Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, et vastos volvunt *ad litora* fluctus.

49. DUM LICET, HUNC FRUCTUM] *Hunc* libri omnes omit-

Ac veluti folia arentis liquere corollas,
  Quae passim calathis strata natare vides,
Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,
  Forsitan includet crastina fata dies.

VII.

Praetor ab Illyricis venit modo, Cynthia, terris,
  Maxima praeda tibi, maxima cura mihi.
Non potuit saxo vitam posuisse Cerauno?
  Ah, Neptune, tibi qualia dona darem!
Nunc sine me plena fiunt convivia mensa;
  Nunc sine me tota janua nocte patet.
Quare, si sapis, oblatas ne desere messis,
  Et stolidum pleno vellere carpe pecus.
Deinde ubi consumto restabit munere pauper,
  Dic alias iterum naviget Illyrias.
Cynthia non sequitur fascis, nec curat honores:
  Semper amatorum ponderat illa sinus.
At tu nunc nostro, Venus, ô, succurre dolori,
  Rumpat ut adsiduis membra libidinibus.
Ergo muneribus quivis mercatur amorem?
  Juppiter, indignum! merce puella perit!

Eleg. VII. *Burm. XIII*, 1—56. V. 16. indigna merce.

tunt; multi *dum liceat* vel *dum lucet.* Sed recte Jo. Calpurnius MCCCCLXXXI. et Volscus MCCCCLXXXVIII. et Beroaldus *Hunc fructum* dedere. Lucretius III, 927.

brevis hicc' *est* fructus
  homulleis;
Jam fuerit, neque post iterum revocare licebit.

50. OMNIA, SI DEDERIS OSCULA PAUCA, DABIS] Ita Burmannus Jano Dousa filio auctore distinxit. Sed haec modestia et continentia ab hoc loco aliena est, qui aut hunc sensum postulat: Si pauca oscula dabis, omnia dederis; aut eum, quem distinctio antea recepta parit:

Omnia si dederis oscula,
  pauca dabis.

53. MAGNUM SPIRAMUS] Bene correctum; scripti omnes *Speramus.*

VII. [XVI.]

16. INDIGNA MERCE] Parvum vitium, et quod minus

Semper in Oceanum mittit me quaerere gemmas,
  Et jubet ex ipsa tollere dona Tyro.
Atque utinam Romae nemo esset dives, et ipse
  Straminea posset Dux habitare casa!
Numquam venales essent ad munus amicae,
  Atque una fieret cana puella domo.
Non quia septenas noctes sejuncta cubaris,
  Candida tam foedo brachia fusa viro,
Non quia peccaris, testor te, sed quia volgo
  Formosis levitas semper amica fuit.
Barbarus excussis agitat vestigia lumbis,
  Et subito felix nunc mea regna tenet.
Aspice quid donis Eriphyle invenit amaris,
  Arserit et quantis nupta Creusa malis.

V. 29. Eriphyla.

attentum facile fallat. Vide quid dicat:

Ergo muneribus *quivis mercatur amorem?*
Juppiter, indigna merce *puella perit.*

Recte poterat ita loqui: Ergo *gemmis, auro, vestibus* amorem quivis mercatur? Juppiter, indigna merce pereunt puellae! hoc est, Indigna hercle ista merx est, qua puella veneat. Nunc cum generale vocabulum *munera* posuisset, illud subjicere non debuit. Repone:

Juppiter, INDIGNUM! *merce puella perit.*

Sic Palmerio teste liber Posthii, id est, Groninganus; *Indignam* Palatinus apud Gebhardum. Caeterum ita poni *indignum* Bentlejus docet ad Horat. serm. II, 5, 79. Heinsius ad Ovid. amor. I, 6, 1. Burmannus ad Anthol. Lat. Tom. I. pag. 196.

25. PECCARIS] Omnes scripti, ut puto, habent *Peccarim:* Philippus Beroaldus correxit.

29. ERIPHYLA INVENIT] Scribe ERIPHYLE, ut apud Virgilium Aen. VI, 445. *maestamque Eriphylen*, et *Eriphyle maesta* apud Ausonium Cupid. cruc. 26. Sic semper Propertius. Nam quod scripsit IV, 12, 57.

Tu quoque, ut auratos gereres, Eriphyla, *lacertos,*

metri necessitati tribuerim: haec vero auribus dedit:

Et Circae *fraudes lotosque herbaeque tenaces.*
Et Niobae *lacrimas supprimat ipse lapis.*

Sed *Ariadna* dicitur ei Latina forma, communi omnium poëtarum consuetudine. Neque *Helenae* nomen Graece solet in-

Nullane sedabit nostros injuria fletus?
Ah dolor hic vitiis nescit abesse tuis.

V. 32. An — suis?

flecti. Ovidius quidem art. amator. III, 11. posuit:

Si minor Atrides Helenen Helenesque *sororem.*

Potuit *Helenae* scribere, sed noluit, ne in uno versu duplex declinatio esset, non probaturus ille, sat scio, quod apud Tibullum II, 5, 117. hodie editur:

Ipse gerens laurus; lauro *devinctus agresti*
Miles Io magna voce Triumphe canet.

31. NULLANE SEDABIT NOSTROS INJURIA FLETUS? AN DOLOR HIC VITIIS NESCIT ABESSE SUIS?] Multum torquent se in hoc loco explicando interpretes, sed nihil extricant; nec mirum, cum corrupta bene explicari non possint. *Dolorem* haud dubie dicit amorem suum, ἔρωτα δυσέρωτα, quo cruciari se sentit. Quae vero sunt illa hujus doloris vitia? nam *suis vitiis* illum abesse negat. Ferrem, si de animo suo vel pectore ita loqueretur, quod Ovidius fecit remed. 53.

Utile propositum saevas exstinguere flammas,
Nec servum vitii pectus *habere* sui.

Santenius tamen sibi, quae ista vitia essent, intelligere visus est, cujus hanc loci expositionem Burmannus affert: „Nullane *praetoris vel Cynthiae* injuria dissolvet amores *eorum*, atque adeo fletus meos sedabit? An hic *dolor* (amor infelix) nescit *abesse* (id est, abire, *in melius mutari*) *vitiis suis* consuetis, *injuriis* nempe *et rixis amantium.*" Piget ista sub examen vocare: sed peream, si explicationem magis contortam umquam vidi. Hoc unum considera, ex sequentibus, *At pudeat* certe, *pudeat*, apparere, poëtam hic jam se, si fieri posset, amorem mutaturum dixisse. Id perspexisse se Heinsius testatur audacter nimis corrigendo:

An dolor hic vitiis crescet et usque tuis?

Nos facili manu hos versus ita formamus:

Nullane sedabit nostros injuria fletus?
AH *dolor hic vitiis nescit abesse* TUIS.

Tuis, inquit, ô Cynthia, vitiis, tuis peccatis, tuis injuriis hic infelix amor meus cedere nescit: tamen me urget, obsidet, cruciat. *Tuis* pro *suis* ex libro Groningano, omnium, ut scis, optimo, asciscimus. Ea menda multos locos, in quibus simillimum Ovidii, adhuc turbat, amor. III, 11, 43.

Facta movent odium, facies exorat amorem.
Me miserum! vitiis plus valet illa suis!

Lege *vitiis tuis;* neque enim fa-

Tot jam abiere dies, cum me nec cura theatri,
  Nec tetigit Campi, nec mea Musa juvat.
At pudeat certe, pudeat, nisi forte, quod ajunt,
  Turpis amor surdis auribus esse solet.
Cerne ducem, modo qui fremitu conplevit inani
  Actia damnatis aequora militibus.
Hunc infamis amor versis dare terga carinis
  Jussit et extremo quaerere in orbe fugam.
Caesaris haec virtus et gloria Caesaris haec est;
  Illa, qua vicit, condidit arma manu.
Sed quascumque tibi vestis, quoscumque smaragdos,
  Quosve dedit flavo lumine chrysolithos,
Haec videam rapidas in vanum ferre procellas,
  Quae tibi terra, velim, quae tibi fiat aqua.

V. 35. Ah. 43. zmaragdos. 46. Qua — qua.

tiei vitia dicit, et puellam alloquitur. Porro *Abesse* hactenus retinemus, donec Guarneriani et Commeliniani scripturam *Abire* plures libri confirmabunt; haec enim melior est. Sed *Nullane* et *An* conjuncta hic ferri non potuere. Nam particulae *nĕ* et *an* quoties copulantur, opposita indicant, non παράλληλα. Hoc non animadversum criticos aliquoties in errorem induxit, ut N. Heinsium, cum in libro I, 17, 21. tentaret:

Nullane *finis erit nostro concessa dolori?*
  Tristis an *in rigido limine somnus erit?*

ubi aut *Nullane* et aut *Ullane — an* requirebatur. Hac observatione uteris ad illa accuratius interpretanda I, 8, 1.

Tunc *igitur demens, nec te mea cura moratur?*
  An *tibi sum gelida vilior Illyria?*

Tune, inquit, demens es, nec mea cura impetum furentis retinet? (plane ut Ovid. art. I, 301.

It *comes armentis, nec iturum cura moratur*
  Conjugis.)

an, si hoc non est, tu amorem nostrum prae Illyria contemnis?

35. AH PUDEAT] Neapolitanus, Mentelianus et Palatini cum quinque aliis: AT *pudeat certe, pudeat.* Recte; ita enim sententiae artius copulantur.

43. QUOSCUMQUE ZMARAGDOS] Scribe SMARAGDOS cum libris scriptis omnibus. Vide Huschkium ad Tibullum I, 1, 51.

46. QUA TIBI TERRA, VELIM, QUA TIBI FIAT AQUA] Scripti universi *Piet*, et bis QUAE pro

Non semper placidus perjuros ridet amantis
  Juppiter, et surda neglegit aure preces.
Vidistis toto sonitus percurrere caelo,
  Fulminaque aetheria desiluisse domo?
Non haec Pleïades faciunt, nec aquosus Orion;
  Nec sic de nihilo fulminis ira cadit:
Perjuras tunc ille solet punire puellas,
  Deceptus quoniam flevit et ipse deus.
Quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis,
  Ut timeas, quotiens nubilus Auster erit.

VIII.

Mentiri noctem, promissis ducere amantem,
  Hoc erit infectas sanguine habere manus.
Horum ego sum vates, quotiens desertus amaras
  Explevi noctis, fractus utroque toro.
Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte,
  Ut liquor arenti fallat ab ore sitim;
Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
  Difficile ut toto monte volutet onus:
Durius in terris nihil est, quod vivat, amante,
  Nec, modo si sapias, quod minus esse velis.
Quem modo felicem invidia admirante ferebant,
  Nunc decimo admittor vix ego quoque die;

V. 49. moto s. procurrere. 50. dissiluisse. 51. nequa. Eleg. VIII. *adhaeret superiori* [*XIII*, 57—74.].

Qua. Illud falsum est, hoc mutari non debuit. *In vanum* versu praecedente bene tuetur Wakefieldius ad Lucretium III, 17. Manilius II, 764.

Quae nisi constiterint primis
  fundata elementis,
Vel sua praepropere dederint
  praecepta magistri,
Effluat in vanum *rerum prae-*
  posterus ordo.

49. VIDISTIS MOTO SONITUS PROCURRERE CAELO, FULMINAQUE AETHERIA DISSILUISSE DOMO?] Hoc distichon, a criticis foede interpolatum, ita scriptum rectissime sistunt libri omnes:

Vidistis TOTO *sonitus* PER-
  CURRERE *caelo,*
Fulminaque aetheria DE-
  SILUISSE *domo?*

Nunc jacere e duro corpus jubet inpia saxo,
Sumere et in nostras trita venena manus;

V. 13. (69.) juvat. 14. (70.) tetra.

nisi quod *dissiluisse* in nonnullis est, male tamen. Vide de singulis praeclare ac fuse disputantem Hemsterhusium. *Percurrere* absolute dici posse e Lucretii versu apparet V, 1406.

Et supera calamos unco percurrere labro.

VIII. [XVII.]

13. NUNC JACERE E DURO CORPUS JUVAT, INPIA, SAXO,
SUMERE ET IN NOSTRAS TETRA VENENA MANUS:
NUNC LICET IN TRIVIIS SICCA REQUIESCERE LUNA,
AUT PER RIMOSAS MITTERE VERBA FORES.] Locus haud paullo, quam interpretibus videtur, difficilior. Primum pro *Nunc licet* in libris scriptis omnibus habetur *Nec licet*, quod Philippus Beroaldus primum mutavit. Sed illud NEC *licet* verum est: *Nunc licet* post *juvat* jejunum et languidum. Cave tamen ne cum Vulpio explicare tentes ex lib. V, 7, 19. Immo ideo non licebat Propertio ante fores excubare, quia a praetore et custodibus, quos hic apposuerat domui, prohibebatur. Sed porro sequentia considera,

Quod quamvis ita sit, *dominam mutare cavebo.*

Recte, quamvis nihil nunc concedatur mihi, quin ne ante fores quidem perstare *liceat.* At quid hoc alterum: Quamvis *juvet* se de saxo sese dejicere, aut veneno hausto perire, tamen dominam nolle mutare? Nempe mortuum aut certe cupidum mortis! Quis haec deliramenta Propertio ascribat? Repone:

Nunc decimo admittor vix ego quoque die.
Nunc jacere e duro corpus JUBET *inpia saxo,*
Sumere et in nostras TRITA *venena manus;*
NEC *licet in triviis sicca requiescere Luna,*
Aut per rimosas mittere verba fores.
Quod quamvis ita sit, dominam mutare cavebo.
Tum flebit, cum in me senserit esse fidem.

Ita, ut vides, omnia optime coëunt, uno vocabulo *Juvat* mutato in *Jubet*, quod ita accipies ut in libro I, 3, 40.

O utinam tales producas, improbe, noctes,
Me miseram quales semper habere jubes.

Theocriti δυςέρως XXIII, 22.

ἀλλὰ βαδίζω
Ἔνθα τὺ μὲν κατέκρινας, ὅπῃ λόγος ἦμεν ἀταρπόν,

Nec licet in triviis sicca requiescere luna,
Aut per rimosas mittere verba fores.
Quod quamvis ita sit, dominam mutare cavebo.
Tum flebit, cum in me senserit esse fidem.

IX.

Adsiduae multis odium peperere querelae:
Frangitur in tacito femina saepe viro.

V. 15. (71.) Nunc. — Eleg. IX. *Burm. XIV.*

Ξυνὸν τοῖσιν ἐρῶσι τὸ φάρμακον, ἔνθα τὸ λᾶθος.

Quod praeterea revocavimus, *Trita venena*, Broukhusius mutaverat ex uno Regio et aliis perpaucis, quorum auctoritatem fidei optimorum non antepono, quamquam *tetra venena* habeant libri omnes infra eleg. XVII, 11. Quin apud Lygdamum quoque (Tibull. III.) 5, 10. antiquissimus Cujacianus me movet, ut probem,

nec cuiquam trita venena *dedi.*

Nam *certa venena*, quae ibi frustra tuetur J. H. Vossius, non rectius dici existimo, quam *certam pompam* apud eumdem Lygdamum 1, 3.

Et vaga nunc certa *discurrunt undique* pompa
Perque vias urbis munera perque domos;

ubi *crebra pompa* legendum videtur. Caeterum, ut verum fatear, hic locus noster Propertianus fortasse nondum persanatus est, tum demum, ni fallor, ab omni parte placiturus, si versibus alio ordine positis legamus:

Nunc decimo admittor vix ego quoque die;
Nec licet in triviis sicca requiescere luna,
Aut per rimosas mittere verba fores;
Nunc jacere e duro corpus jubet inpia saxo,
Sumere et in nostras trita venena manus.
Quod quamvis ita sit etc.

Sed hanc quidem transpositionem certam praestare nolo: hoc scio, nihil juvare sensum emendationem Guyeti scribentis, *Nunc libet in triviis*; aut Aurati commentum,

Nunc jacere e duro corpus juvat in freta *saxo,*

quod posterius Burmanno placet (argumenta considera), quia imitatus videatur Theocritum III, 25. et V, 15., et quia fortasse respiciat ad saltum e Leucade saxo, desperatorum amantium asylo. Quanto satius erat, tam vano conjectori unum Propertii locum opposuisse II, 10, 20.

At tu non una potuisti nocte vacare,
Impia, *non unum sola manere diem.*

Si quid vidisti, semper vidisse negato;
Aut si quid doluit forte, dolere nega.
Quid, si jam canis aetas mea candeat annis,
Et faciat scissas languida ruga genas?

V. 5—20. *Burm.* 7—22. V. 5. (7.) caneret. 6. (8.) faceret.

IX. [XVIII.]

Hanc elegiam Janus Livinejus cum superiore optime cohaerere judicat, ut disjungendae minime videantur. Indoles tamen utriusque paullum differt, et ille versus,

Tum flebit, cum in me senserit esse fidem,

aptius aut majore cum vi alibi quam in extremo carmine collocari non potuit. At vero quae versum 22. sequuntur, ea alius penitus argumenti esse neque ad hoc carmen pertinere adeo perspicuum est, ut id ante nuperum editorem nemini in mentem venisse admirer. Sed nimirum oberant eis, quominus hoc viderent, Scaligeri transpositiones, magis hic quam alibi inanes; tum perversa, quam Vulpius ac Burmannus discussere, versus 20. interpretatio; multos quoque sensum carminis intellexisse visos esse credibile sit, si ita cepissent, ut exposuit Vulpius: „Blanditur puellae. Aurorae ac Tithoni exemplum affert, ut eam sibi conciliet. Nimium formae cultum, et praecipue fucum, in feminis damnat." Unum viro docto nobisque, qui eum hic sequimur, objici potest, in fine abruptam nimis esse sententiam;

Quin ego deminuo curam, quod saepe Cupido
Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.

Sed hoc quoque amatoris secum querentis animum decet; et eadem brevitate Corydon Virgilianus, Theocrito sic praeeunte XI, 72 seqq., querelam suam desinit:

Quin tu aliquid saltem, potius quorum indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere junco?
Invenies alium, si te hic fastidit, Alexim.

Caeterum gemina Propertianae sententia est, qua puella apud Asclepiadem epigr. XI. tristitiam ab insidia amatoris susceptam solatur:

Πρόσθε μοι Ἀρχεάδης ἐθλίβετο· νῦν δὲ τάλαιναν
Οὐδ' ὅσσον παίζων εἰς ἔμ' ἐπιστρέφεται.
Οὐδ' ὁ μελιχρὸς Ἔρως αἰεὶ γλυκύς· ἀλλ' ἀνιήσας
Πολλάκις ἡδίων γίνετ' ἐρῶσι θεός.

Nihil erit diversitatis, si cum Guyeto scribamus:

Huic bonus *esse solet, cui* malus *ante fuit.*

Sed recte interpretando effugiemus emendationis temeritatem, Puella illa Amorem sibi

At non Tithoni spernens Aurora senectam
  Desertum Eoa passa jacere domo est.
Illum saepe suis decedens fovit in ulnis,
  Quam prius abjunctos sedula lavit equos.
Illum ad vicinos cum amplexa quiesceret Indos,
  Maturos iterum est questa redire dies.
Illa deos currum conscendens dixit iniquos,
  Invitum et terris praestitit officium;
Cui majora senis Tithoni gaudia vivi,
  Quam gravis amisso Memnone luctus erat.
Cum sene non puduit talem dormire puellam,
  Et canae totiens oscula ferre comae:
At tu etiam juvenem odisti me, perfida, cum sis
  Ipsa anus haud longa curva futura die.

propitium fore sperat, qui nunc adversus sit: Propertius deum Cynthiae et rivali suo nunc bonum olim malum futurum confidit.

5. QUID SI JAM CANIS AETAS MEA CANERET ANNIS? ET FACERET SCISSAS] Tempus est, ut ineptum illud *Cáneret*, quod tamen in multis codicibus exstat, e Latinitatis terminis atque ex hoc Propertii loco multorum suffragiis tandem expellatur. Quid vero reponendum sit, difficile dictu est. Burmannus codicis Neapolitani scripturam probat:

Quid, mea si *canis aetas* canesceret *annis?*

vel *candesceret* potius, cum Heinsio. Quis reprehendat? Nescio tamen quomodo in illa lectione aliquid fraudis, sed satis quidem antiquae, latere suspicor. Quare hic quoque Propertium codici Groningano salutem debere malo, ut reponatur:

Quid, si jam canis aetas mea CANDEAT *annis,*
Et FACIAT *scissas languida ruga genas?*

Ita haec in Groningano scripta testantur Livinejus et Broukhusius: *Faciant* ex Modii excerptis Burmannus notat; ex iisdem Heinsius adversar. II, 17. *Aetas me candeat annis Et faciat.* Vaticanus quoque apud Livinejum habet *Faciat; Candeat* autem multi, in quibus Mentelianum Burmannus numerat, negante Broukhusio. Tibullus I, 10, 43.

Sic ego sim, liceatque caput candescere canis.

9. DECEDENS FOVIT IN ULNIS. 10. ADJUNCTOS] Scripti, puto, omnes *In undis* et *Adjunctos*, quorum illud Beroaldus, hoc Scaliger praeclare et vere correxit. Pro *decedens*

Quin ego deminuo curam, quod saepe Cupido
Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.

X.

Nunc etiam infectos, demens, imitare Britannos,
Ludis et externo tincta nitore caput?

V. 21. 22. *Burm.* 5. 6. — Eleg. X. *Burm.* *XIV*, 23—38.
V. 1. 2. *Burm.* 25. 26.

Marklandus *descendens* vult: sed nihil muto. Virgilius ecl. II, 67.

Et sol crescentis decedens *duplicat umbras.*

georg. II, 222.

Gnosiaque ardentis decedat *stella Coronae.*

X. [XVIII, 23—38.]

Hoc carmen a superiore separandum esse nuper a viro docto observatum diximus, qui tamen hactenus fallitur, quod tria postrema disticha alio pertinere putat. Scilicet turbatus versuum ordo quo pacto restituendus sit, non animadvertit; quae res Scaligero quoque hic male successit. Nam in libris scriptis ita leguntur:

Ut natura dedit, sic omnis recta figura;
Turpis Romano Belgicus ore color.
Illi sub terris fiant mala multa puellae,
Quae, mentita suas, vertit inepta comas.
De me, mi certe poteris formosa videri;
Mi *formosa sat es, si modo saepe* venis.
An, si caeruleo quaedam sua tempora fuco
Tinxerit, idcirco caerula forma bona est?
Cum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus,
Frater ego *et tibi sim filius unus* ego etc.

Vides interrumpi sensum illo disticho interposito, *An, si caeruleo;* quod ubi ante illum versum posuerimus, *Illi sub terris*, nihil erit amplius quod desideres. Ecquisnam sibi sententiarum cohaerentiam explicari postulat? Fucum, quo picta Cynthia amatores sibi conquirere studebat, exsecratus, Tu mihi, inquit, formosa satis es, si saepe venis *). Veni igitur ad me, tamquam fratrem aut filium **). Caeterum pudice vivito, neu nimio corporis cultu amatores allicere studeas; peccata tua, mihi crede,

*) Vide Heinsium ad Ovid. art. II, 11.

**) Honestis vocabulis amatorem subindicat; vide interpretes ad Minucium Felicem cap. 9.

Ut natura dedit, sic omnis recta figura est;
Turpis Romano Belgicus ore color.
An, si caeruleo quaedam sua tempora fuco
Tinxerit, idcirco caerula forma bona est?
Illi sub terris fiant mala multa puellae,
Quae mentita suas vertit inepta comas!
De me, mi per te poteris formosa videri:
Mi formosa sat es, si modo saepe venis,
Cum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus,
Frater ego et tibi sim filius unus ego.
Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus,
Nec nimis ornata fronte sedere velis.
Credam ego narranti, noli conmittere, famae,
Et terras rumor transilit et maria.

V. 3. 4. *Burm.* 29. 30. V. 3. (29.) *omissum* est. V. 5. 6. *Burm.* 27. 28 V. 7 - 10. *Burm.* 31—34. V. 9. (33.) certe. V. 11. 12. *Burm.* 23. 24. V. 13—16. *Burm.* 35—38. V. 15. (37.) conmittere Famae. 16. (38.) terram.

fama ad me perferet. Quid clarius? Unum addo, ver u secundo *ludendi* verbum frustra a viris doctis ad sensum turpem traduci. Ludere puellam queritur parum severam et constantem, quae alios, se spreto, amatores quaerat. Ovidius amor. I, 8, 43.

Ludite formosae. casta est, quam nemo rogavit.

Art. amat. III, 62.

Dum licet et veros etiam nunc editis annos,
Ludite: eunt anni more fluentis aquae.

3. RECTA FIGURA] Adde EST ex Neapolitano ac Dresdensi. Dictum de talibus ad lib. II, 6, 15.

9. DE ME, MI CERTE POTERIS FORMOSA VIDERI] Satis plene et otiose loquitur: *De me, mi certe:* alterum vero, *Poteris formosa videri,* aut breviter nimis, cum deberet dicere, inornatam quoque sibi Cynthiam formosam videri; aut iterum otiose, cum sequatur, *Mi formosa sat es.* Repone:

De me, mi PER TE *poteris formosa videri.*

Libro III, 24, 30.

Heu quantum per se candida forma valet.

10. SAT ES] Sic optime Heinsius: libri scripti *satis.*

16. ET TERRAM RUMOR TRANSILIT ET MARIA] Orationis vitium tolles cum Guyeto,

XI.

Etsi me invito discedis, Cynthia, Roma,
  Laetor, quod sine me devia rura coles.
Nullus erit castis juvenis conruptor in agris,
  Qui te blanditiis non sinat esse probam;
Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras,
  Nec tibi clamatae somnus amarus erit:
Sola eris, et solos spectabis, Cynthia, montis
  Et pecus et finis pauperis agricolae.
Illic te nulli poterunt conrumpere ludi,
  Fanaque peccatis plurima causa tuis:
Illic adsidue tauros spectabis arantis,
  Et vitem docta ponere falce comas;
Atque ibi rara feres inculto tura sacello,
  Haedus ubi agrestis conruet ante focos;
Protinus et nuda choreas imitabere sura,
  Omnia ab externo sint modo tuta viro.
Ipse ego venabor. jam nunc me sacra Dianae
  Suscipere et Veneri ponere vota juvat.

Eleg. XI. *Burm. XV.* V. 2. colis.

scribendo TERRAS. Praeterea vero hic nihil novandum est.

XI. [XIX.]

2. RURA COLIS] Mentelianus cum duobus aliis *Devia rura* COLES; vere, ne dubita.

18. VENERI PONERE VOTA JUVAT] *Ἀναθήματα* haud dubie dicit, quibus solvat vota. Jam vero quia vota ante rem peractam non solvuntur, sed suscipiuntur tantum, cadit Jacobsii emendatio scribendum conjicientis: *et* Fauno *ponere vota juvat.* Veneri ponit vota abituriens, *ὧν ἤθελεν τυχών*, ut est apud Leonidam Tarentinum epigr. V., ne dea absenti curam commodare desinat. Sed illa ipsa res, quae hic vulgari scripturae fidem addit, ea quae sequuntur suspecta facit: *et reddere pinu Cornua.* Certe non satis apto loco inter ipsa venandi officia votum diis venaticis solvendum commemoratur. Ita enim illa verba accipienda esse Ovidius docet metam. XII, 266.

telique habet instar, in alta
Quae fuerant pinu, votivi cornua cervi.

et pleni sunt eo more Graecorum Romanorumque libri. Sed

Incipiam captare feras et reddere pinu
Cornua et audacis ipse monere canes;
Non tamen ut vastos ausim tentare leones,
Aut celer agrestis cominus ire sues:
Haec igitur mihi sit lepores audacia mollis
Excipere et stricto figere avem calamo,
Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit, et niveos abluit unda boves.
Tu quotiens aliquid conabere, vita, memento
Venturum paucis me tibi Luciferis.
Sic me nec solae poterunt avertere silvae,
Nec vaga muscosis flumina fusa jugis,
Quin ego in adsidua mutem tua nomina lingua,
Absenti nemo ne nocuisse velit.

XII.

Quid fles abducta gravius Briseïde? quid fles
Anxia captiva tristius Andromacha?
Quidve mea de fraude deos, insana, fatigas?
Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?
Non tam nocturna volucris funesta querela
Attica Cecropiis obstrepit in foliis,

V. 24. structo. — Eleg. XII. *Burm. XVI.*

et *reddere pinui* bene dictum, ne *suspendere pinu* tentes cum Heinsio. Valerius Flaccus I, 56.

Tu, cui jam curaeque vigent animique viriles,
I, decus et pecoris Nephelaei vellera Graio
Redde tholo.

Ita ille locus distinguendus est, ne aut detrimentum capiat oratio, aut cum Heinsio *In decus, i,* substituamus. Notetur potius *et* post *i* positum, quod saepius omitti Heinsius ad Claudianum docuit de raptu Pros. I, 93., aliquoties tamen addi observat Wunderlichius ad Tibullum I, 1, 76. Propertius IV, 3, 10.

Ite, et *Romanae consulite historiae.*

Juvenalis X, 166.

i, demens, et saevas curre per Alpes.

quamquam Burmannus ad Anthol. Lat. Tom. I. pag. 510. Juvenalis versui illam criticis nimis caram repetiti *i* elegantiam infulcire tentaverit.

24. STRUCTO FIGERE AVEM

Nec tantum Niobe, bis sex ad busta, superne
Sollicito lacrimas defluit a Sipylo.

V. 7. superba, 8. depluit e.

CALAMO] Libri omnes STRICTO, quod Hemsterhusius apud Burmannum jure tuetur.

XII. [XX.]

7. NEC TANTUM NIOBE BIS SEX AD BUSTA SUPERBA SOLLICITO LACRIMAS DEFLUIT E SIPYLO] Ita Broukhusius haec non sine temeritate formavit; alii alia commenti sunt, quibus omissis codicum scripturas potius examinemus. Primum igitur *A Sipylo* habent omnes, quod cur mutari Heinsius voluerit, non possum intelligere. Tum *Depluit*, quod Palmerius Groningano non recte tribuit, nullus liber exhibet; nec displicet *defluere* transitive positum, *defluit lacrimas*, ut *lacrimans*, quod membranae Palatinae et pauci alii habent, neutiquam probem. *Effluere* Claudianus active usus est, in Prob. et Olyb. Cons. 51.

Quantum stagna Tagi rutilis stillantia venis
Effluxere decus.

Idem in de laudibus Stilich. II, 263.

Post has Oenotria lentis
Vitibus intorquens ederas, et palmite longo
Vina fluens.

Apud Ovidium tamen II. trist. 559.

Pauca, quibus prima surgens ab origine mundi
In tua defluxi *tempora, Caesar*, opus.

viri docti *deduxi opus* merito praetulere. Sed porro vide, quam inepte hic Niobe *superba* dicatur, quae *flebilis* rectius appellari poterat, nisi utrumque conjungere volebat, quod Ovidius fecit epist. XX, 105.

Quaeqne superba *parens, saxo per corpus oborto,*
Nunc quoque Mygdonia flebilis *astat humo.*

Praeterea illud epitheton nimis inscite profecto collocatum est, quasi *busta superba* dicat. Ad hoc libri meliores non *Superba* habent, sed *Superbe* aut *Superbae*; unde veram lectionem nullo negotio extundimus. Repone:

Nec tantum Niobe, bis sex ad busta, SUPERNE
Sollicito lacrimas DEFLUIT A *Sipylo.*

Superne a Sipylo defluit, hoc est, desuper. Lucretius I, 496.

Quando utrumque manu, retinentes pocula rite,
Sensimus, infuso *lympharum rore* superne.

II, 1154.

Haud, ut opinor, enim mortalia saecla superne
Aurea de caelo demisit *funis in arva.*

Quod superest, mirum multis visum, *Tantum defluit*, ne te

Me licet aeratis astringant brachia nodis,
Sint mea vel Danaës condita membra domo:
In te ego et aeratas rumpam, mea vita, catenas,
Ferratam Danaës transiliamque domum.
De te quodcumque, ad surdas mihi dicitur auris;
Tu modo ne dubita de gravitate mea.
Ossa tibi juro per matris et ossa parentis, —
Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis! —
Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras;
Ambos una fides auferet, una dies.
Quod si nec nomen, nec me tua forma teneret,
Posset servitium mite tenere tuum.
Septima jam plenae deducitur orbita lunae,
Cum de me et de te conpita nulla tacent:
Interea nobis non numquam janua mollis,
Non numquam lecti copia facta tui.
Nec mihi muneribus nox ulla est emta beatis:
Quicquid eram, hoc animi gratia magna tui,
Cum te tam multi peterent, tu me una petisti.
Possum ego naturae non meminisse tuae?
Tum me vel tragicae vexetis Erinnyes, et me
Inferno damnes, Aeace, judicio,
Atque inter Tityi volucres mea poena vagetur,
Tumque ego Sisyphio saxa labore geram,

V. 29. Tunc.

moretur: ita elegia sequente v. 2.

Tantum *illi Pantho ne* sit *amica Venus.*

Claudianus de R. P. II, 95.

quae vellera tantum *Ditibus Assyrii spumis* fucantur *aëni?*

Noster III, 18, 40.

Quantum *sic* cruciat *lumina vestra dolor!*

Sic et *tam* verbis jungere amat, ut III, 3, 3.

Hic me tam *graciles* vetuit contemnere *Musas.*

II, 10, 33.

Non sic incerto mutantur *flamine Syrtes*
Nec folia hiberno tam *tremefacta Noto.*

Eo modo *tam* frequenter poni docet ad Claudianum in Eutrop.

Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis:
Ultima talis erit, quae mea prima fides.
Hoc mihi perpetuo jus est, quod solus amator
Nec cito desisto, nec temere incipio.

XIII.

Ah quantum de me Panthi tibi pagina finxit,
Tantum illi Pantho ne sit amica Venus!
Sed tibi jam videor Dodona verior augur?
Uxorem ille tuus pulcher amator habet.
Tot noctes periere. nihil pudet? aspice, cantat
Liber: tu nimium credula sola jaces;
Et nunc inter eos tu sermo es; te ille superbus
Dicit se invito saepe fuisse domi.
Dispeream, si quicquam aliud quam gloria de te
Quaeritur; has laudes ille maritus habet.
Colchida sic hospes quondam decepit Iason:
Ejecta est; tenuit namque Creusa domum.
Sic a Dulichio juvene est elusa Calypso:
Vidit amatorem pandere vela suum.

Eleg. XIII. *Burm. XVII.* V. 1. At.

I, 65. et ad Ovidii metam. VIII, 64. Nicolaus Heinsius.

XIII. [XXI.]

1. AT QUANTUM] Hoc Broukhusius Scaligerum maluisse scribit, apud quem nullum est ejus vocabuli vestigium: sed maluit Heinsius ad Ovid. epist. XII, 1. frustra tamen: recte libri tantum non omnes AH *quantum de me.*

13. SIC A DULICHIO JUVENE EST ELUSA CALYPSO: VIDIT AMATOREM PANDERE VELA SUUM] Structurae ratio viros doctos, ut varia tentarent, impulit. Post caeteros Huschkius, dubitanter tamen:

Vidit amatorem nam dare
vela suum.

Nolim, quia Homerus Ulixem *pandere vela* facit in hac ipsa historia, Odyss. V, 269.

Γηθόσυνος δ' οὔρῳ πέτασ'
ἱστία δῖος Ὀδυσσεύς.

Confer Ciceron. Tusc. IV, 5, 9. Virgilium Aen. III, 520. Ovid. art. amat. III, 500. Claudian. de R. Pros. I. praef. 8. Mihi, si quid mutandum est, rectissime legi videtur:

Sic a Dulichio juvenem delusa *Calypso*

Ah nimium faciles aurem praebere puellae,
Discite desertae non temere esse bonae.
Huic quoque qui restat? jam pridem quaeritur alter.
Experta in primo, stulta, cavere potes.
Nos quocumque loco, nos omni tempore tecum
Sive aegra pariter sive valente sumus.

XIV.

Scis here mi multas pariter placuisse puellas;
Scis mi hinc, Demophoon, multa venire mala.

V. 17. Nunc q., q. restet, — Eleg. XIV. *Burm. XVIII.* V. 2. mihi.

Vidit amatorem pandere vela suum.

Nam *juvene est delusa* habet codex Groninganus, qui et in versu praecedente veram lectionem, ut saepe, solus servavit. *Juvenis a Dulichio*, ut *Pastor ab Amphryso*; et alia id genus innumera. Structurae ratio eadem fere est in Priapeo III, 5, 6.

Quodque Jovi *dederat, qui raptus ab alite sacra*
Miscet amatori *pocula grata suo.*

quod carmen Ovidium auctorem habet, si Senecae fides controvers. I, 2.

17. NUNC QUOQUE, QUI RESTET, JAM PRIDEM QUAERITUR ALTER] Ita Broukhusius, ut *restet* intelligamus, maneat, constanter amet. Quanto rectius erat, id, quod scripti omnes habent, interpunctione tantum mutata servare:

HUIC *quoque* qui RESTAT? *jam pridem quaeritur alter.*
Experta in primo, stulta, cavere potes.

Huic quoque, inquit, quem perfidum deprehendit, videte quid opponat: jam pridem alium, a quo fallatur, quaerit. *Restare* pro resistere multis locis Livius usurpavit. Propertius III, 18, 18.

At nullo dominae teritur limine amor, qui
Restat *et immerita sustinet aure minas.*

Libro IV, 7, 31.

Dum vincunt Danai, dum restat *barbarus Hector.*

Male Burmannus eodem trahit Ovidianum Fastor. II, 749.

Postmodo victa cades; melioribus, Ardea, restas.

Immo servabatur Ardea, ut a melioribus expugnaretur. Livius XXII, 14. *Gallorum* Roma *esset, quam vereor, ne, sic cunctantibus nobis*, Hannibali ac Poenis *toties* servaverint *majores nostri.*

XIV. [XXII, 1—42.]

2. SCIS MIHI, DEMOPHOON] Corrige:

Scis mi HINC, *Demophoon, multa venire mala.*

Nulla meis frustra lustrantur conpita plantis;
  O nimis exitio nata theatra meo,
Sive aliquis molli diducit candida gestu
  Brachia, seu varios incinit ore modos!
Interea nostri quaerunt sibi volnus ocelli,
  Candida non tecto pectore si qua sedet,
Sive vagi crines puris in frontibus errant,
  Indica quos medio vertice gemma tenet;
Quae si forte aliquid voltu mihi dura negarat,
  Frigida de tota fronte cadebat aqua.
Quaeris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnis:
  Quod quaeris, Quare non habet ullus amor.

V. 4. Omnia in exitium — meum. 5. deducit. 14. quare — amor?

Hinc, nempe a puellis. Id nisi addimus, haec intelligi nequeunt.

4. OMNIA IN EXITIUM NATA THEATRA MEUM] Hoc Passeratius in suis reperit, ex Vossiano quarto et D'Orvilliano secundo, quorum non major auctoritas est, Burmannus enotat. Caeteri meliores:

> O NIMIS EXITIO *nata theatra* MEO!

quod ne firmare laboremus, Heinsii notata ad Ovid. remed. 220. efficiunt. In perniciem suam theatra et spectacula nata dicit,

> *Sive aliquis molli diducit candida gestu*
> *Brachia, seu varios incinit ore modos.*

Nam interea, inquit, dum puellae illos artifices spectant,

> Interea *nostri quaerunt sibi vulnus ocelli,*
> *Candida non tecto pectore si qua sedet,*
> *Sive vagi crines* etc.

Paullo accuratius haec interpungendo clarissimam his versibus lucem feneramur, ut transponendum cum viris doctis minime videatur.

5. MOLLI DEDUCIT CANDIDA GESTU BRACHIA] Argutiae sunt, quibus hanc scripturam tuentur. Haud dubie DIDUCIT scribendum est cum Passeratio, vel dissentientibus librariis. Vide Marklandum ad Statii silv. III, 5, 66. Confer Bentlejum ad Manil. V, 425.

> *nunc aequore mersas*
> Diducet palmas, *furtivus remus in ipso.*

qui hic quoque *diducit* legendum vidit, Wakefieldio teste ad Lucretium IV, 773.

14. QUOD QUAERIS, QUARE NON HABET ULLUS AMOR?] Haec corrupta esse non dubitant critici. Caeterorum commenta Huschkianum elegantia longe superat:

Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris,
  Et Phrygis insanos caeditur ad numeros?
Unicuique dedit vitium natura creato:
  Mi fortunâ aliquid semper amare dedit.
Me licet et Thamyrae cantoris fata sequantur,
  Numquam ad formosas, invide, caecus ero.
Sed tibi si exilis videor tenuatus in artus,
  Falleris: haud umquam est culta labore Venus.
Percontere licet, saepe est experta puella
  Officium tota nocte valere meum.
Juppiter Alcmenae geminas requieverat Arctos,
  Et caelum noctu bis sine rege fuit:
Nec tamen idcirco languens ad sidera venit.
  Nullus amor vires eripit ipse suas.
Quid? cum e conplexu Briseïdos iret Achilles,
  Num fugere minus Thessala tela Phryges?

V. 18. Natura.

Quod quaeris, curae *non habet ullus amor.*

Sed ne te species fallat; verum est, quod scripti omnes exhibent;

Quod quaeris, QUARE *non habet* *ullus amor.*

Hoc Quare, ait, quod tu quaeris, rationem cur aliquis amet, non habet ullus amor. Similiter nos Germani loquimur: *ein warum hat die liebe nicht.* Eodem prorsus modo Petronius cap. 137.

Juris consultus PARET NON PARET habeto,
Atque esto quicquid Servius et Labeo.

18. MI NATURA ALIQUID] Non elegantissima, me judice, repetitio:

Unicuique dedit vitium Natura *creato:*
Mi Natura *aliquid semper amare dedit.*

Ferrem tamen, si haec esset optimarum membranarum lectio: nunc, cum e Commelinianis tantum recepta sit, revoco, quod libri meliores plerique habent:

Mi FORTUNÂ *aliquid semper amare dedit.*

Hoc vitium sibi a natura tributum dicit, ut semper forte fortuna aliquid amet. Livius XXII, 23. *tandem eum militiae magistrum delegisse Romanos, qui bellum ratione, non* fortuna *gereret.* In versu majore Burmannus vult *Natura creatrix:* Sed bene *creato,* cum crearetur: Auctor panegyrici in Pisonem v. 5.

Hinc tua me virtus rapit et miranda per omnes

Quid? ferus Andromaches lecto cum surgeret Hector,
  Bella Mycenaeae non timuere rates?
Ille vel hic classis poterat vel perdere muros;
  Hic ego Pelides, hic ferus Hector ego.
Aspice, uti caelo modo sol modo luna ministret:
  Sic etiam nobis una puella parum est.
Altera me cupidis teneat foveatque lacertis,
  Altera si quando non sinit esse locum,
Aut, si forte irata meo sit facta ministro,
  Ut sciat esse aliam, quae velit esse mea.
Nam melius duo defendunt retinacula navem,
  Tutius et geminos anxia mater alit.

V. 31. Andromachae. 38. Altera, si quando.

Vita modos, quae, si desset tibi forte creato
Nobilitas, eadem pro nobilitate fuisset.

Manilius IV, 18.

Hinc et opes et regna fluunt et saepius orta
Paupertas, artesque datas moresque creatis,
Et vitia et clades, damna et compendia rerum.

Sic enim recte Bentlejus pro vulgato *creati.*

31. ANDROMACHAE LECTO] Passim a doctissimis viris ita statui videas, in his nominibus *Antiopae*, *Andromachae*, *Antigonae* et aliis poëtas Romana genitivi forma potius quam Graeca usos esse. Equidem, cum rei rationem videam nullam, probo apud Ovidium amor. I, 9, 35. et remed. 383. *Andromaches*, et hic ita scribo, ANDROMACHES *lecto;* et libro I, 4, 5. *Antiopes*; et II, 9, 5. *Antigones*, quod ibi Vossianus habet, cum in Neapolitano sit *Antigone*, de quo dictum ad I, 4, 5. Caeterum quod *Clytaemnestrae* nomen et *Ledae* et *Andromedae* *) et *Cinarae* Latino semper flectuntur, ratio est, quod Graeci quoque, certe οἱ κοινοί, aliter ista quam caetera efferunt. Hinc et *Electra* est apud Nostrum et apud alios alia, in quibus tamen primum casum aliquando in *e* terminatum invenias, ut *Andromede* et *Hypermnestre* apud Ovidium epist. XV, 36. in Nostri libro I, 2, 4. et V, 7, 63. 67.

*) Vide Heinsium ad Ovid. epist. XVIII, 149.

XV.

Aut, si es dura, nega: sin es non dura, venito.
Quid juvat in nullo ponere verba loco?

Eleg. XV. *Burm. XVIII, 43 seqq.* V. 1—16. *Burm. XVIII,* 43—58. 2. (44.) pondere v. loqui?

XV. [XXII, 43—50. XXIII.]

Octo versus, qui in libris scriptis elegiae superiori adhaerebant, cum hac conjunximus, quo pacto nobis eae, quae antea connexui sententiarum intelligendo objiciebantur, tenebrae optime dispelli posse videbantur. Nam illud distichon *Aut, si es dura* etc. prioribus non cohaerere Marklandus monuit, quod ad hunc locum vix pertinere D'Orvillii judicium fuit. Hos secutus Burmannus et hoc distichon et sequentium nonnulla alio partim referenda, partim ordine mutato legenda hariolatur, caeterum de suis transpositionibus liberum virorum doctorum judicium esse patitur. Scaliger nonnullis trànspositis de tribus carminibus unum fecerat, temerario nec felici incepto. Caeteri plerique in carminibus diligente cura non sane dignissimis de sententiarum cohaerentia nihil laborarunt. Jam tu sis rationes, quibus ducti id, quod diximus, ausi simus, sigillatim percipe.

Primum hoc carmen cum superiore conjungere noluimus, quoniam in illo se multarum amorem libere quaerere dicit, cui una puella non satisfaciat: in hoc, excussa Cynthia, vilioribus sese, libertinis ac peregrinis, tutius et minore sumtu studere profitetur; illic unam sibi placere negat, hic nuptae amorem recusat. Hac autem utriusque carminis differentia intellecta, non est obscurum, ad utrum illi octo versus *Aut, si es dura* etc. pertineant. „Quanta in miseria, inquit, versantur, qui ingenuas depereunt! Hoc ego in Cynthia olim expertus, nunc de trivio mulieribus indulgens jam dudum vitam feliciorem ago." Illam priorem sententiam comico, ita appellant, exordio, quo lectorem in mediam rem rapit, ornavit. Ponit aliquem ingenuae et nuptae amatorem; mulierem aut alio recepto aut mariti metu venire negasse. Aut promittere noli, infelix amator inquit; aut, si promisisti, venire memento. Hinc poëta ad infelicem eorum, qui nuptarum amore capti teneantur, sortem conquerendam transit: his se in vilium puellarum studio beatiorem conditionem experiri profitetur.

2. QUID JUVAT IN NULLO PONDERE VERBA LOQUI] Ita primus Philippus Beroaldus; nec, si boni libri addicerent, negarem accipere. Sed codices quotquot sunt, longe aliud prae se ferunt:

Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,
Speranti subito si qua venire negat.
Quanta illum toto versant suspiria lecto,
Cum recipi, quem non noverit illa, putat,

V. 6. (48.) noverit, ita vetat.

Quid juvat in (vel *et*) *nullo* PONERE *verba* LOCO? eamque lectionem, quamvis inepta videatur criticis, unice veram esse existimo, hoc sensu: Cur nihili facis verba, id est, promissa tua? Proximum est illud Ciceronis de finib. II, 28, 90. *Idque Socratem, qui voluptatem* nullo loco numerat, *audio dicentem;* et alia similia, *In artis loco reponere*, et *In virtute ponere*, et *In uxoris loco habere*. Propertii versum I, 20, 20.

Tum mihi non ullo *mors* sit *amara* loco.

non recte capiunt interpretes: mortem amaram nullius sibi momenti et nequaquam gravem fore dicit, si puellam sibi fidelem sciat.

6. QUUM RECIPI, QUEM NON NOVERIT, ILLA VETAT] Hujus vexatissimi versiculi scripturam quo tutius indagemus, omnem meliorem codicum varietatem apponere libet. Sic igitur Groninganus:

Cur *recipi quem non noverit* ille putat.

Puccii liber, hoc est, Bernardini Vallae, ut ajunt, antiquissimus:

Cum recipi quem non noverit illa putat.

Membranae Neapolitanae et Palatinae:

Cur *recipi* quae *non noverit* ille vetat.

Mentelianus:

Cum recipi quem non noverit ille vetat.

Palatinus papyraceus:

Et *recipi* quae nam noverat illa vetat.

Bononiensis:

Et *recipi* quae num voverit ille vetat.

Guarnerianus denique:

Quom recipi qúae *non* [*noverit* illa vetat *)].

In his *Cur* non minus quam *Et* oscitantiae librariorum deberi existimo. Nam ut hoc versu querula quaedam amatoris verba contineri censeamus, verborum, quae sequuntur, structura non patitur; neque Antonii Volsci correctio habet, quo commendetur:

Cur *recipi* cum *non noverit* ille vetat,

ex quo sensus est, inquit: *Dolet et vexatur amans, cum non noverit, cur illa vetat recipi.* Porro neque illae varietates, *Quae* et *Nam* et *Noverat* vel

*) Ita videtur; nam haec postrema verba quomodo in codice Guarn. legantur scripta, non dicit Vulpius.

Et rursus puerum quaerendo audita fatigat,
Quem, quae scire timet, quaerere plura jubet.

— — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — —

V. 7. (49.) rursum. 8. (50.) dicere.

Voverit, in censum venire possunt; ut omnis, quae aliquid momenti habeat, diversitas in duobus postremis vocabulis sit; ex qua hae quatuor lectiones oriuntur:

Cum recipi, quem non noverit, { ille vetat. / illa vetat. / ille putat. / illa, putat. }

Harum quae vera sit, ut dijudicare possimus, age prius rem omnem, ut gesta fingitur, animo informemus. Amator alienam uxorem, quae se venturam promisit, exspectat: illa per servulum missum negante, suspirans in lectulo vertitur, anxie a puero, quid agat illa, cur venire nolit, exquirit. Jam primam illarum lectionum ferri non posse apparet. Nam quid proderat tum, ne alios reciperet, vetare? Idem secundae obstat, si ita scribis:

Cum recipi, quem non noverit illa, vetat.

Sed si aliam interpunctionem adhibeamus, difficilius erit eam in hunc sensum interpretari, quem Heinsius et Marklandus magis aperuere scribendo:

Cum recipi, ceu (*vel* quasi) *non noverit*, illa vetat.

Id vero aliud est, quam de quo nunc agitur, infortunium, cum amator quasi non notus excluditur. Tum certe in lecto non est, sed in platea: *vetuit* igitur oportuit dictum, non *vetat.* Et quid post haec puella (nam mutantur vices) e puero sive suo sive amatoris quaerat? Tertia scriptura prioribus haud paullo probabilior est, sed *quem non noverit* satis languide et inepte positum. Quod si ita, ut nuper factum est, interpungas, *quem non noverit ille, putat,* plorabit Grammatica, quae *ipse* pro *ille* expostulat. Quae cum ita sint, non dubito unice verum dicere, quod ex Vallae codice sumtum quarto loco posui,

Quanta illum toto versant suspiria lecto,
Cum recipi, quem non noverit illa, PUTAT!

Caecus ira amator, quia puella venire negat, statim alium recipi suspicatur, sine causa, cum puella eum, quem sibi praelatum putat, ne noverit quidem. Caeterum Bernardini Vallae libro, de quo Santenius in praefatione pag. X. XI. multis disputat, hic unus locus, si recte memini, salutem debet: alia plura, quae nunc de conjectura vel e libris deterioribus reposita sunt, ejusdem codicis auctoritate olim fortasse com-

Cui fuit indocti fugienda et semita volgi,
Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.
Ingenuus quisquam alterius dat munera servo,
Ut promissa suae verba ferat dominae,

V. 9. (51.) indocto fug. haec.

probabuntur. Quod autem Santenius l. c. in solo Vallae libro haberi censet, *Ocno* in libro V, 5, 21., id ego in codice Neapolitano, dum ille in hac urbe fuit, omnibus litteris clare perscriptum legi.

7. ET RURSUM] Scribe ex Groningano, Neapolitano aliisque, *Et* RURSUS *puerum.* Dixi ad I, 6, 9.

8. QUEM, QUAE SCIRE TIMET, DICERE PLURA JUBET] Ita Philippus Beroaldus: priores et scripti universi non *dicere* habent, sed QUAERERE. Recte sane: Puerum, qui se causam, cur puella non veniat, scire negavit, plura, quae ipse timet scire, quaerere jubet. Quid, si non puellae, sed amatoris servus sit, qui nuncium retulerit? Tum *dicere* ne ferri quidem potest. Caeterum hic versiculus libro Neapolitano exsulat, qua re confirmatur id, quod de proximo versu dicturi sumus.

9. CUI FUIT INDOCTO FUGIENDA HAEC SEMITA VULGI] In hoc Beroaldus anno MCCCCLXXXVII. et post eum Volscus dedere *haec semita: Indocto* est ab Josepho Scaligero. Sed ne sic quidem satis constat, utram viam dicat *semitam vulgi*, prioremne illam, an hanc quam nunc sequatur. Quis igitur dubitet, quin ante hunc versum, quem scripti omnes interstitio a prioribus separant, pauci versiculi interierint, quibus se quoque olim in illa factione fuisse significaverat. Revocemus igitur potius codicum manu scriptorum lectiones:

Cui fuit INDOCTI *fugienda*
ET *semita vulgi.*

Indoctum vulgus, ut apud Ovidium metam. X, 308.

Desinite indoctum *vana dulcedine* vulgus
Fallere.

12. UT PROMISSA SUAE VERBA FERAT DOMINAE] Broukhusianam hujus loci expositionem non impugno: sed si adducerent libri, mallem:

Ingenuus quisquam alterius
dat munera servo,
Ut promissa suae vera *ferat dominae?*

Ita res facilius explicabitur. Vera promissa sibi amator ferri vult, ne id experiatur, quod Tibullus conqueritur II, 6, 45.

Lena vocat miserum Phryne, furtimque tabellas
Occulto portans itque redtque sinu:
Saepe, ego cum dominae dulces a limine duro
Agnosco voces, haec negat esse domi.

Et quaerit totiens: Quaenam nunc porticus illam
  Integit? et: Campo quo movet illa pedes?,
Deinde, ubi pertuleris, quos dicit fama, labores
  Herculis, ut scribat: Muneris ecquid habes?,
Cernere uti possis voltum custodis amari,
  Captus et inmunda saepe latere casa?
Quam care semel in toto nox vertitur anno!
  Ah pereant, si quos janua clausa juvat!
Contra, rejecto quae libera vadit amictu,
  Custodum et nullo saepta timore, placet,
Cui saepe inmundo Sacra conteritur Via socco,
  Nec sinit esse moram, si quis adire velit.

Post v. 16. (58.) *inserti* XVI, 11—16. V. 17—32. *Burm. eleg. XVIII*, 65—80. V. 17. (65.) avari.

Saepe, ubi nox promissa mihi est, languere puellam
  Nunciat, aut aliquas extimuisse minas.

Ita enim illic legendum esse censeo, *Lena vocat*, proprio in ea re vocabulo, ut apud Propertium:

Quamvis te persaepe vocet, *semel ire timeto.*

Codices sinceri habent *vetat*, interpolati *necat* de conjectura Pontani: neutrum probum est, cum sequentia de commercio litterario Tibulli cum Nemesi intelligenda esse ipsa orationis structura ostendat. Caeterum ne quem fallat, quae praeter illas commemoratur, scriptura *Lena vetat miserum recipi*, eam esse a Francisco Puccio excogitatam non sine idonea ratione conjicio; sed id non est hujus loci.

17. CUSTODIS AVARI] Hoc primus Beroaldus dedit, uno Heinsii codice astipulante. Caeteri omnes *Vultum custodis* AMARI; quod rectius est. Nam amaritudo vultui magis convenit; *amarus* enim est, qui morosus. Terentius Hecyr. IV, 4, 88.

Amarae *mulieres sunt*, *non facile haec ferunt.*

Cicero ad Attic. XIV, 21. Amariorem *enim me senectus facit; stomachor omnia.* Vel *amarum* ingratum intellige, qui amanti multa mala faciat; quod praefero. Propertius III, 29, 5.

Quae dea tam cupidos toties divisit amantes,
Quaecumque illa fuit, semper amara *fuit.*

Apud Virgilium Aen. X, 900. Mezentius filio interemto Aeneam alloquitur:

Hostis amare, *quid increpitas mortemque minaris?*

Horatius carm. III, 14, 23.

Differet haec numquam, nec poscet garrula, quod te
 Astrictus ploret saepe dedisse pater;
Nec dicet: Timeo; propera jam surgere, quaeso;
 Infelix, hodie vir mihi rure venit.
Hae, quas Euphrates et quas mihi misit Orontes,
 Me capiant: nolim furta pudica tori.
Libertas quoniam nulli jam restat amanti,
 Nullus liber erit, si quis amare volet.

XVI.

Tu loqueris, cum sis jam noto fabula libro,
 Et tua sit toto Cynthia lecta foro?

V. 25. (73.) quae te. 29. (77.) Et quas. — Eleg. XVI, 1—10. *Burm. XVIII*, 81—90.

Si per invisum *mora* janitorem *fiet*, *abito*.

25. NEC POSCET GARRULA, QUAE TE] Johannes Schraderus *garrulam* puellam cum re, de qua Propertius agit, convenire negat: *grandia* vult ab amatore posci. Sed poëta mulieres dulci garrulitate amatores munera queritur poscere, tam suavi eloquentia, ut negare nequeant. Caeterum *Quae te* habent impressi: codices fortasse omnes QUOD *te*; Groninganus quoque, Bronkhusio teste, ex quo Livinejus *quid te* annotaverat.

29. ET QUAS EUPHRATES] Invitis quidem membranis, at sensu ita exigente, repono:

HAE, *quas Euphrates et quas mihi misit Orontes,*
Me capiant.

Hae et *haec* saepissime cum *et* permutari nemo ignorat.

XVI. [XXIV, 1—16.] Dubium non est, quin haec in codicibus recte a superioribus separata sint, quamquam Scaliger continuaverit, tribus tamen postremis distichis in alium locum traductis. Sed primi versus aliquanto, quam interpretes opinantur, difficiliores sunt. Nempe satis patet, amicum, cui elegia hanc antecedens transmissa erat (eum fuisse puto, qui in elegia XIV. Demophoon dicitur), in hanc sententiam respondisse, quam Propertius ponit:

Tu loqueris, cum sis jam noto fabula libro,
Et tua sit toto Cynthia lecta foro?

Non credo, inquit, tibi Cynthiam gravem esse, quam totus populus Tuam legit. Sic ista potius, quam ut interpretibus placet, accipienda sunt. Respicitur ad librum I, 9, 15.

Sunt igitur Musae, neque amanti tardus Apollo,

Cui non his verbis aspergat tempora sudor?
  [Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor.]
Quod si tam facilis spirares Cynthia nobis,
  Non ego nequitiae dicerer esse caput;
Nec sic per totam infamis traducerer urbem,
  Urerer et quamvis, nomine verba darem.
Quare ne tibi sit mirum me quaerere viles.
  Parcius infamant. num tibi causa levis?

V. 3. (83.) surdo. 8. (88.) quamvis nomine, *Versum* 10. (90.) *excipit* eleg. XVII, 1.

> *Quis ego fretus amo.* Cynthia rara mea est.
> *Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis;*
> *Sive dies seu nox venerit,* illa mea est.

Hactenus igitur bene, neque in sequentibus quid agat obscurum est. Non ita, ut amicus opinetur, esse dicit: se a Cynthia non amari, sed miseris modis per totam urbem differri. At in illo disticho ab omni parte haeremus:

> *Cui non his verbis aspergat tempora surdo*
> *Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor?*

Cui non aspergantur tempora? Rubore scilicet aut sudore. Hoc si apertius dixisset, melius erat, quam adjecisse *surdo*, hoc est, vel surdo; quod qua vi positum sit, quove sententiae commodo, non possum intelligere. Jam quaere, unde ille rubor sudorque oriri potuerit. Aut ira, opinor, quod falso objurgatus esset; aut pudore et conscientia, si mentitum se sciret. Quae vero hic enumerantur causae?

> *Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor.*

Recte *pudor:* sed eum aut falso aut otiose dicit *ingenuum,* sive innatum, sive ingenuae indicem indolis intelligas. Sed porro *reticendus amor* quomodo nunc ruborem movet Propertio? Num forte vulgaverat amicus hunc amorem, quem reticeri cupiebat? Nihil minus, sed ipse Propertius libro in vulgus dato professus erat. Quid igitur? num hic quippiam intelligis? Ego certe nihil intelligo. Quare de hoc loco aut prorsus desperandum est, aut aliquid saltem faciendum, quod tuto fieri possit. Nempe ejecta correctione Scaligeri (ab hoc enim est illud *surdo*) revocemus, quod libri scripti omnes exhibent,

> *Cui non his verbis aspergat tempora* SUDOR?

Ita certe in hoc versu nihil desiderabis; sed de altero plane actum est. Insanum enim hoc:

Haec modo pavonis caudae flabella superbae,
Et manibus dura frigus habere pila,
Et cupit ingratum talos me poscere eburnos,
Quaeque nitent Sacra vilia dona Via.

V. 11—16. *eleg. XVIII*, 59—64. 11. (59.) Et—superbi. 13. (61.) iratum.

aspergat tempora sudor,
Aut pudor *ingenuus*, aut *reticendus* amor.

Quid igitur de hoc pentametro fiet? Si me audis, ejiciemus ut spurium et subditivum. Cum genuinus pentameter, quod saepius factum est, excidisset, hic in ejus locum suppositus fuit a sciolo aliquo, qui bene quidem, unde sudor in amore saepe orietur, sciret, caeterum, hic quid ageretur, non prorsus perspiceret.

11. ET MODO PAVONIS CAUDAE FLABELLA SUPERBI] Hic quoque, quicquid librarii dissentiant, HAEC *modo* scribendum est. Sed in fine versus SUPERBAE lege ex libris omnibus, quod quam temere Broukhusius mutaverit, viri docti abunde patefecerunt.

13. ET CUPIT IRATUM TALOS ME POSCERE EBURNOS] Iratum se munera posci dicit, non cum bonus ac facilis sit. Mirum, nec persuadeor. Heinsius *Et subit iratam*. Repone et hic:

Et cupit INORATUM *talos me poscere eburnos.*

Ingratus praebebat munera Propertius, cui, quicquid faceret daretve, gratia tamen referretur nulla. Ita Catullus LXXIII.

Desine de quoquam quicquam bene velle mereri,
Aut aliquem fieri posse putare pium.
Omnia sunt ingrata; *nihil fecisse benigne est.*

Virgilius Aen. II, 101.

Sed quid ego haec autem nequicquam ingrata *revolvo?*

Idem Aen. VII, 425.

I nunc, ingratis *offer te, invise, periclis;*

quae si subeas, nemo gratificetur. Silius Italicus IV, 549.

Sed tristes superi, atque ingrata *maxima cura*
Victima Tarpejo frustra nutrita Tonanti.

Statius Theb. I, 700.

Seu Trojam Thymbraeus habes, ubi fama volentem
Ingratis *Phrygios humeris subiisse molares;*

ubi pretium statutum a Laomedonte non solutum significat. Eodem modo *gratum* passive ponit Terentius Eun. III, 1, 6.

est istuc datum
Profecto, ut grata *mihi sint quae facio omnia.*

et Heautont. II, 3, 21.

Quod tamen nunc faciam? tum, cum gratum *mi esse potuit, nolui.*

Ah peream, si me ista movent dispendia: sed me
Fallaci dominae jam pudet esse jocum.

XVII.

Hoc erat in primis quod me gaudere jubebas?
Tam te formosam non pudet esse levem?
Una aut altera nox nondum est in amore peracta,
Et dicor lecto jam gravis esse tuo.
Me modo laudabas, et carmina nostra legebas:
Ille tuus pennas tam cito vertit amor?
Contendat mecum ingenio, contendat et arte;
In primis una discat amare domo;
Si libitum tibi erit, Lernaeas pugnet ad hydras,
Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat;
Tetra venena libens et naufragus inbibat undas,
Et numquam pro te deneget esse miser;

V. 15. (63.) verum. — Eleg. XVII. *Burm. eleg. XIX.* V. 11. ebibat.

16. JAM PUDET] Melius fuerit:

Fallaci dominae tam *pudet esse jocum.*

Vide nos ad III, 12, 9. Caeterum in fine versus superioris *Verum* primus, nescio unde, Scaliger dedit. Impressi ante eum plerique habent *Sed me*, idque codices nonnulli agnoscunt: caeteri *Si me*, quod Volscus edidit MCCCCLXXXVIII. *Verum* potest placere, quia praecessit *si Me ista:* sed regulae criticae SED ME scribendum vincunt.

XVII. [XXIV, 17—52.]

Hoc carmen, librariorum incuria cum superiore conjunctum, quin Scaliger ab illo recte separaverit, unus Vulpius, codicum scriptorum mancipium, dubitavit.

11. NAUFRAGUS EBIBAT UNDAS] Nimium profecto hoc est, quod rivalem maris undas ebibere vult. Cavere eum oportebat sibi, qui his subjecturus erat:

Quos utinam in nobis, *vita, experiare labores!*

Neque ita Ovidius amor. II, 10, 34.

Quaerat avarus opes, et quae lassarit eundo
Aequora *perjuro* naufragus *ore* bibat.

aut epist. VII, 62.

Neu bibat *aequoreas* naufragus *hostis* aquas.

Ad quae exempla hic rescribo:

Quos utinam in nobis, vita, experiare labores! —:
  Jam tibi de timidis iste superbus erit,
Qui nunc se in tumidum jactando venit honorem;
  Discidium vobis proximus annus erit.
At me non aetas mutabit tota Sibyllae,
  Non labor Alcidae, non niger ille dies.
Tu mea conpones et dices: Ossa, Properti,
  Haec tua sunt. heu heu tu mihi certus eras.
Certus eras heu heu, quamvis nec sanguine avito
  Nobilis, et quamvis non ita dives eras.
Nil ego non patiar; numquam me injuria mutat.
  Ferre ego formosam nullum onus esse puto.
Credo ego non paucos ista periisse figura:
  Credo ego sed multos non habuisse fidem.
Parvo dilexit spatio Minoida Theseus,
  Phyllida Demophoon, hospes uterque malus;
Jam tibi Iasonia votum est, Medea, carina,
  Et modo servato sola relicta viro.

V. 16. Dissidium. *Versum* 16. *sequuntur* 31. 32. V. 17—30. *Burm.* 19—32. 26. (28.) Credo ego, sed. 29. (31.) nota est.

Tetra venena libens et naufragus INBIBAT *undas.*

16. DISSIDIUM VOBIS] Hic vero DISCIDIUM scribe cum Livinejo, ex Neapolitano, Palatino papyraceo et Commeliniano. Non dissidium et rixas futuras dicit, sed discessum factum iri, levem illum amatorem alias puellas petiturum: contra in se fidem unicam esse.

22. NON ITA DIVES ERAS] Ita Joannes Jovianus Pontanus et Philippus Beroaldus correxe e quod in scriptis est *Navita dives.* Egregie, nisi quod mirum est, hoc vidisse, qui *solito* in libro I, 18, 3. ferebant. Heinsius *Haud ita dives*, quod fortasse verius est; certe nihil fere in codicibus mss. *Nauita* differt ab *Hauita.* Sed Itali laude sua nequaquam frustrandi sunt. Caeterum quod codex Borrichianus *Non ita* exhibet, id eum suspectum facit potius, quam laudandum.

29. JAM TIBI IASONIA NOTA EST MEDEA CARINA] Singula rimanti et inter sese conferenti patebit, nullum in hoc poëta versum ineptiorem legi: nos nunc lectoris acumini illud intelligendum relinquimus. Repono:

Dura est, quae multis simulatum fingit amorem,
  Et se plus uni si qua parare potest.
Noli nobilibus, noli conferre beatis:
  Vix venit, extremo qui legat ossa die.
Ii tibi nos erimus. sed tu potius, precor, in me
  Demissis plangas pectora nuda comis.

V. 31. 32. *Burm.* 17. 18. V. 35. ut me. 36. pectore.

Jam tibi Iasonia VOTUM *est, Medea, carina,*
Et modo servato sola relicta viro.

Medeam alloquitur: Est tibi votum, inquit, habes quod optabas in navi Iasonis, tu,

Hac cui non potior domus est Colchique carina,

ut verbis Ovidii utar metamorph. XIV, 169. Haec ipsa Medea apud eumdem metam. VII, 66.

Nempe tenens quod amo, gremioque in Iasonis haerens,
Per freta longa trahar.

Idem metamorph. VI, 511.

At simul imposita est pictae Philomela carinae,
Admotumque fretum remis tellusque repulsa est,
Vicimus! exclamat, mecum mea vota feruntur!
Barbarus.

Nam *votum* pro re votis expetita dici sollemne est. Ovidius epist. XVI, 95.

Utque ego te cupio, sic me cupiere puellae:
Multarum votum *sola tenere potes.*

et versu 104.

Caerulea peterem cum mea vota *via.*

Idem art. amat. I, 671.

Quantum defuerat pleno post oscula voto?

metamorph. VIII, 291.

Nec matura metit fleturi vota *coloni.*

Claudianus de r. Pros. I, 132.

tenerum jam pronuba flamma pudorem
Sollicitat; mistaque tremit formidine votum.

Idem de Prob. et Olyb. cons. 230.

Hic stetit, et subitum prospexit ab aggere votum
Unanimes fratres juncto stipante senatu
Ire forum.

35. II TIBI NOS] Praestiterit, ut existimo:

Vix venit extremo qui legat ossa die,
Ni *tibi nos erimus.*

Ibid. SED TU POTIUS, PRECOR, UT ME DEMISSIS PLANGAS PECTORE NUDA COMIS] *Pectora* habent libri scripti, Graecismo in hac quidem compositione non ferendo. *Pectore nuda* Scaliger, quod vereor ut sine damno linguae admitti possit, cum *nudus* sexto casui jungatur alio sensu, ut, *Nudum remigio latus.* Nam in il-

XVIII.

Unica nata meo pulcherrima cura dolori,
 Excludi quoniam fors mea saepe vehit,

Eleg. XVIII. *Burm. XIX*, 37—84. V. 2. (38.) sors mea, saepe venis.

lo Statii, quod affert Broukhusius, Theb. XI, 316.

ibat
Scissa comas vultuque et pectore nuda cruento,

non est pectore nuda mater, sed nuda fertur, pectore vultuque cruento. Repone:

Ii tibi nos erimus. sed tu potius, precor, IN me
Demissis plangas PECTORA nuda *comis.*

In me, propter me; vide quos Burmannus laudat ad II, 16 (III, 12), 11. pag. 557. *Pectora nuda plangere* Ovidius metam. II, 584.

Plangere nuda *meis conabar* pectora *palmis.*

Idem metamorph. III, 481.

Nudaque *marmoreis* percussit pectora *palmis.*

Fastor. III, 864.

Et ferit *attonita* pectora nuda *manu.*

et fast. IV, 454. et trist. I, 3, 78.

Et feriunt *moestae* pectora nuda *manus.*

XVIII. [XXV.]

1. UNICA NATA MEO PULCHERRIMA CURA DOLORI, EXCLUDI QUONIAM SORS MEA, SAEPE VENIS] Ita haec a viris doctis constituta sunt; quo sensu, non facile dixeris. Scilicet *venis* pro *es* positum volunt, *curam* vero medicinam interpretatur Burmannus ad librum I, 3, 46. pag. 44. Utroque dato, quam sententiam lucrabimur? Tu, inquit, quoniam saepe excludor, unica dolori meo medicina nata es. Quid hoc? Ipsane Cynthia, a qua excluditur, dolorem sanat? Nempe, si rejectum postea denuo recipit. Id vero non facit. Jam vero quae sequuntur,

Ista meis fiet notissima forma libellis,

quid faciunt ad primum distichon? Nihil profecto. Quare aliud potius e codicum scriptura eliciendum est, qui habent omnes *Excludit*, et in fine versus *Veni*, quod tamen spretum amatorem non decet. In Neapolitano nunc quidem *veni* habetur, sed littera postrema erasa ita, ut ex eo, quod reliquum est, facile conjicias, *venit* fuisse. Repono:

Unica nata meo pulcherrima cura dolori
(Excludi *quoniam* FORS *mea saepe* VEHIT)
Ista meis fiet notissima forma libellis,
Calve, *tua venia*, *pace, Catulle*, *tua.*

Cynthiae formam, unicam, cum toties excludatur, doloris sui medicinam suavissimam, se

Ista meis fiet notissima forma libellis,
  Calve, tua venia, pace, Catulle, tua.
Miles depositis annosus secubat armis,
  Grandaevique negant ducere aratra boves,
Putris et in vacua requiescit navis arena,
  Et vetus in templo bellica parma vacat:
At me ab amore tuo diducet nulla senectus,
  Sive ego Tithonus, sive ego Nestor ero.
Nonne fuit satius duro servire tyranno,
  Et gemere in tauro, saeve Perille, tuo,
Gorgonis et satius fuit obdurescere voltu,
  Caucasias et jam si pateremur avis?
Sed tamen obsistam. teritur robigine mucro
  Ferreus, et parvo saepe liquore silex:
At nullo dominae teritur * sub limine amor qui
  Restat et inmerita sustinet aure minas.

V. 9. (45.) deducet. *Post* v. 10. (46.) *collocati* 35—38. (47—50.) Vers. 11—34. *Burm.* 51—74. 14. (54.) etiam. 15. (55.) et scabra teritur.

carminibus suis usque celebraturum promittit. Fortunam vel *fortem* illud infortunium *vehere* dicit, hoc est, dare vel afferre sibi. Ita Lucretius III, 1098.

Posteraque in dubio est fortunam quam vehat aetas.

Horatius carm. III, 29, 48.

Quod fugiens semel hora vexit.

Virgilius georg. I, 461. e Varrone,

Denique quid serus Vesper vehat, unde serenas
Ventus agat nubes.

9. DEDUCET] DIDUCET scribe, quod Commelinianus habet cum duobus aliis. Vide Burmannum. Versu 12. nescio an scripti omnes dent *saepe Perille;* certe Antonius Volscus jam correxit.

15. SED TAMEN ET SCABRA TERITUR] Apage hoc commentum Heinsii. Recte Neapolitanus, Gebhardi codices, Vallierianus apud Huschkium, multi apud Burmannum:

Sed tamen OBSISTAM. *teritur robigine mucro*
Ferreus.

Neque aliter impressum Vicentiae MCCCCLXXXI, ant in exemplaribus Volsci et Beroaldi. Nam Volscus in secunda quoque editione agnoscit in notis, quamquam in textu habeat *obsitam.*

17. TERITUR SUB LIMINE.

Ultro contemtus rogat, et peccassè fatetur
Laesus, et invitis ipse redit pedibus.
Tu quoque, qui pleno fastus adsumis amore,
Credule, nulla diu femina pondus habet.
An quisquam in mediis persolvit vota procellis,
Cum saepe in portu fracta carina natet?
Aut prius infecto deposcit praemia cursu,
Septima quam metam triverit ante rota?
Mendaces ludunt flatus in amore secundi;
Si qua venit sero, magna ruina venit.
Tu tamen interea, quamvis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clausa sinu.
Namque in amore suo semper sua maxima cuique
Nescio quo pacto verba nocere solent.
Quamvis te persaepe vocet, semel ire timeto;
Invidiam quod habet, non solet esse diu.

V. 27. (67.) secundo. 33. (73.) memento.

AMOR] De *sublimine* nugae sunt, quae critici comminiscuntur: nec *sub limine* pro in limine recte dici persuadent. Vere, ut mihi videtur (nihil enim certum hic), Davisius:

At nullo dominae teritur molimine *amor, qui*
Restat et inmerita sustinet aure minas.

27. MENDACES LUDUNT FLATUS IN AMORE SECUNDO] Sic Heinsius correxit, *Secundo*, et Bentlejus ad Lucretium IV, 1134. Non recte, si quid video. Nam in secundo amore et quam diu ille secundus est, nulli mendaces venti sunt, omnes propitii ac certi. Probo igitur, quod scripti omnes habent,

Mendaces ludunt flatus *in amore* SECUNDI.

Fortunae, inquit, confidere noli: mendaces isti venti sunt, si qui propitii amantibus flare videntur. *Flatum secundum* Ovidius habet metamorph. XIII, 418.

Jamque viam suadet Boreas, flatuque secundo
Carbasa mota sonant.

ac metam. XIV, 227.

flatuque secundo
Lucibus isse novem et terram aspexisse petitam.

Silius Ital. VII, 409.

Ecce autem flatu *classis Phoenissa* secundo
Litora Cajetae Laestrygoniosque recessus
Sulcabat rostris.

33. QUAMVIS TE PERSAEPE VOCET, SEMEL IRE MEMENTO] Ineptum hoc est, immo putidum, quod, quamvis saepe a

At si saecla forent antiquis grata puellis, *
Essem ego, quod nunc tu; tempore vincor ego.
Non tamen ista meos mutabunt saecula mores.
Unus quisque sua noverit ire via.
At vos, qui officia in multos revocatis amores,
Quantum sic cruciat lumina vestra dolor!
Vidistis pleno teneram candore puellam,
Vidistis fusco: ducit uterque color;
Vidistis quamdam Argiva prodire figura,
Vidistis nostras: utraque forma rapit;
Illaque plebejo vel sit sandicis amictu:
Haec atque illa mali volneris una via est;
Cum satis una tuis insomnia portet ocellis,
Una sit et cuivis femina multa mala.

XIX.

Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina
Ionio lassas ducere rore manus,

V. 35—38. *Burm.* 47—50. V. 35. Et. 39—48. *Burm.* 75—84. Eleg. XIX. *Burm.* *XX*, 1—20. V. 1. Vidi ego te.

puella vocetur, semel tantum, neque amplius, ire jubetur. Immo, si fieri possit, prorsus ne eat caveat. Repone:

Quamvis te persaepe vocet, semel ire TIMETO.

Semel, vel semel, ut apud Tibullum II, 6, 42.

Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.

35. ET SI SAECLA FORENT ANTIQUIS GRATA PUELLIS] Scaligeri transpositionibus valere jussis, nihil vetat, quo minus, sensu ipso id postulante, AT pro *Et* ex Groning. Neapol. Palat. papyr. et caeteris plerisque legamus. Postrema vero hujus versiculi verba qui se recte intellexisse persuaderet, nondum inventus est. Varia igitur tentant: Janus Douza filius ingeniose, *antiqua his grata puellis;* Passeratius, *antiquis gnara* vel *gnota puellis; aequa* Burmannus; Jacobsius *clara.* Nihil tamen horum ex omni parte placet. Fortasse:

At si saecla forent antiquis nostra *puellis,*

eo ablativi usu, de quo ante alios Gellius annotavit N. A. V, 8.

XIX. [XXVI.]

I. VIDI EGO TE] *Ego* Burmannus ex quatuor infimae no-

Et quaecumque in me fueras mentita fateri,
Nec jam humore gravis tollere posse comas,
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
Aurea quam molli tergore vexit ovis.
Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet,
Atque tua labens navita fleret aqua!
Quae tum ego Neptuno, quae tum cum Castore fratri,
Quaeque tibi excepi tum, dea Leucotheë!
At tu vix primas extollens gurgite palmas
Saepe meum nomen jam peritura vocas.
Quod si forte tuos vidisset Glaucus ocellos,
Esses Ionii facta puella maris,
Et tibi ob invidiam Nereïdes increpitarent,
Candida Nesaeë, caerula Cymothoë.
Sed tibi subsidio delphinum currere vidi,
Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram.

V. 15. prae invidia. 17. subsidium.

tae codicibus inseruit, numero, ut ait, magis incitato; qualem ab hoc loco alienum esse Broukhusius viderat, mollem ac venustum praeferendum recte judicans.

10. QUAEQUE TIBI EXCEPI TUM, DEA LEUCOTHEË] Sic primus Beroaldus, *tum:* codices scripti *jam dea*, ut III, 22, 18. et 23, 15., perquam inepte. Heinsius autem praeterea *Quae tibi suscepi;* nescio an Latine satis, non adjecto *vota.* Melius idem *Quaeque tibi exegi.* Sed recte dicit *excepi*, deos se sub conditione vocavisse significans, quod quale sit, ex Ovidio disces trist. I, 2, 99—105. 109.

15. ET TIBI PRAE INVIDIA] Ita ante Muretum Scaligerumque Vicentinus editor MCCCCLXXXI. et Volscus MCCCCLXXXVIII. Sed idem Volscus MCCCCLXXXII. cum Beroaldo et scriptis plerisque, in his Groning. Neapol. Palat. utroque:

Et tibi OB INVIDIAM *Nereïdes increpitarent.*

Nec possum improbare *ob invidiam*, quia inviderent tibi. Virgilius Aen. X, 852.

Pulsus ob invidiam *solio sceptrisque paternis.*

et Aen. XI, 539.

Pulsus ob invidiam *regno viresque superbas.*

17. SED TIBI SUBSIDIUM DELPHINUM] Sic duo tresve codices: caeteri meliores SUBSIDIO,

Jamque ego conabar summo me mittere saxo,
  Cum mihi discussit talia visa metus.

XX.

Nunc admirentur, quod tam mihi pulchra puella
  Serviat, et tota dicar in urbe potens.
Non, si Cambysae redeant et flumina Croesi,
  Dicat: De nostro surge, poëta, toro.
Nam mea cum recitat, dicit se odisse beatos;
  Carmina tam sancte nulla puella colit.
Multum in amore fides, multum constantia prodest;
  Qui dare multa potest, multa et amare potest.
Seu mare per longum mea cogitet ire puella,
  Hanc sequar, et fidos una aget aura duos.
Unum litus erit sopitis, unaque tecto
  Arbor, et ex una saepe bibemus aqua,
Et tabula una duos poterit conponere amantis,
  Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit.
Omnia perpetiar; saevus licet urgueat Eurus,
  Velaque in incertum frigidus Auster agat,
Quicumque et venti miserum vexastis Ulixen,
  Et Danaum Euboico litore mille rates,
Et qui movistis duo litora, cum rudis Argus
  Dux erat ignoto missa columba mari.
Illa meis tantum non umquam desit ocellis:
  Incendat navem Juppiter ipse licet.

Eleg. XX. *Burm. XX*, 21—58. V. 21. (41.) usquam.

quod suavitas soni magis commendat. Burmannus quoque praefert.

XX [XXVI, 21.]

1. NUNC ADMIRENTUR] „Novam elegiam hic inchoandam, „Burmanno judice, nemo facile „negabit." Vulpius tamen negavit, nugacibus argutiis negligentiae librariorum succurrens. Caeterum *admirentur* ita accipies, ut III, 8, 11.

Quem modo felicem invidia admirante *ferebant*,

quod ita, ut solet, tuetur Huschkius de fabulis Archilochi pag. 35.

19. QUUM RUDIS ARGUS] Ita egregie Volscus, cum in scriptis esset *ratis Argo*.

21. NON USQUAM] A Brouk-

Certē isdem nudi pariter jactabimur oris.
Me licet unda ferat, te modo terra tegat.
Sed non Neptunus tanto crudelis amori,
Neptunus fratri par in amore Jovi.
Testis Amymone, latices cum ferret in Argis,
Conpressa, et Lernes pulsa tridente palus.
Jam deus amplexu votum persolvit, et illi
Aurea divinas urna profudit aquas.
Crudelem et Borean rapta Orithyia negavit;
Hic deus et terras et maria alta domat.

V. 28. (48.) Lernae. 29. (49.) at. 31. (51.) Boream — negabit.

husio est, praecedentia ita requirere censento. Non pejus est, quod habent scripti, *Non* UMQUAM *desit*, etsi procella navigium huc et illuc jactet aut ipse Juppiter igne caelitus misso evertat.

27. IN ARGIS] Sic Itali in Perreji codice et Colotiano duobusque Vaticanis; bene. Scripti plerique *in arvis*. Neapolitanus praeterea *dum ferret* pro *cum*.

28. LERNAE] Ista forma Virgilium decet, qui usurpavit Aen. XII, 518., non Propertium, ut saepius diximus. Aut *Lerne palus* scribe cum Broukhusio, aut, quod suavius est et, ut opinor, verius,

et LERNES *pulsa tridente palus.*

In Neapolitano scriptum est *Lerne*, de quo dictum ad libr. I, 4, 5.

29. AT ILLI] Hoc ipso, quod

Aurea divinas urna profudit aquas,

Neptunus votum suum persolvit, quo voverat se pro amplexu Amymonae aquam daturum. Corrige igitur: ET *illi*. Caeterum *amplexu* aut ita accipies, cum amplexus esset, aut tertio casu, quomodo *diis vota* dicuntur *solvi*, et apud Manilium V, 18.

Araque *divorum*, cui votum solvit *Olympus*.

Sed quod Amymones votum hic a Neptuno persolutum interpretes volunt, haud dubie falluntur.

31. CRUDELEM ET BOREAM RAPTA ORITHYIA NEGABIT] *Negabit* Livinejus scribendum censuit, quia *mitescet* et *erunt* sequuntur. Ista vero alio pertinent. Recte libri scripti NEGAVIT. Amymone Neptunum amori facilem testificata est, Boream Orithyia. Caeterum BOREAN scribo, cujus generis pleraque apud Propertium jam sunt correcta, nec sine bonorum codicum auctoritate.

Crede mihi, nobis mitescet Scylla, neque usquam
Alternante vorans vasta Charybdis aqua,
Ipsaque sidera erunt nullis obscura tenebris;
Purus et Orion, purus et Haedus erit.
Quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita,
Exitus hic nobis non inhonestus erit.

V. 33. (53.) nec umquam Alternas revomet v. Ch. aquas.

33. NEC UMQUAM ALTERNAS REVOMET VASTA CHARYBDIS AQUAS] Haec scriptura, a Passeratio primum commemorata, postea in Vaticano secundo reperta, ab Italis haud dubie originem traxit. Multis tamen et vera visa est et elegantissima, a quorum sententia nostrum judicium longe longeque diversum est. Primum enim *umquam* male positum est, quod nihil facit ad sensum. Tum Charybdis alternas undas non revomit, sed alternas ejicit et resorbet. Virgilius Aen. III, 421. recte, si recte intelligas:

imo barathri ter gurgite vastros
Sorbet *in abruptum* fluctus *rursusque sub auras*
Erigit, alternos, *et sidera verberat unda.*

Denique quid proderat amantibus, si Charybdis aquas non revomebat? Majus enim periculum tum erat, cum vorabat, quam cum emittebat. Notum quid Ulixis sociis acciderit, et quae eum Circa monuerit:

μὴ σύγε κεῖθι τύχοις, ὅτε ῥοιβδήσειεν·
Οὐ γάρ κεν ῥύσαιτό σ' ὑπὲκ κακοῦ οὐδ' Ἐνοσίχθων.

Contra ea in aquis redeuntibus Ulixes auxilium reperit:

Τῆμος δὴ τάγε δοῦρα Χαρύβδιος ἐξεφαάνθη.
Ἧκα δ' ἐγὼ καθύπερθε πόδας καὶ χεῖρε φέρεσθαι,
Μέσσῳ δ' ἐνδούπησα παρὲξ περιμήκεα δοῦρα,
Ἑζόμενος δ' ἐπὶ τοῖσι διήρεσα χερσὶν ἐμῇσιν.

Ad haec vide, quantum illa scriptura a codicum omnium lectione differat, quae talis est:

Crede mihi, nobis mitescet Scylla, nec umquam
Alternante vorans *vasta Charybdis* aqua.

Et tamen ex ea lectione, quamvis falsa et contraria sensui, quantillum erat una littera mutata veram eruisse! Repone:

Crede mihi, nobis mitescet Scylla, neque USQUAM
ALTERNANTE VORANS *vasta Charybdis* AQUA,
Ipsaque sidera erunt nullis obscura tenebris.

Nusquam ipsis Charybdin fore dicit, omnia maria tuta ac placida. *Vorantem* autem Charybdin, quia in hoc summa periculi erat, non in revomendo. Homerus quoque primum illud solum ponit:

XXI.

Et vos incertam, mortales, funeris horam
Quaeritis, et qua sit mors aditura via;
Quaeritis et caelo, Phoenicum inventa, sereno,
Quae sit stella homini commoda quaeque mala;
Seu pedibus Parthos sequitur, seu classe Britannos,
Et maris et terrae caeca pericla viae;
Rursus et objectum fletis capiti esse tumultum,
Cum Mavors dubias miscet utrimque manus;
Praeterea domibus flammam dominisque ruinas,
Neu subeant labris pocula nigra tuis!

Eleg. XXI. *Burm. XX*, 59—74. V. 1. (59.) At. 5. (63.) sequimur. 9. (67.) domibusque ruinam. 10. (68.) suis.

Τῷ δ' ὑπὸ δῖα Χάρυβδις ἀναῤῥοιβδεῖ μέλαν ὕδωρ.

Tum demum subjicit:

Τρὶς μὲν γάρ τ' ἀνίησιν ἐπ' ἤματι, τρὶς δ' ἀναῤῥοιβδεῖ
Δεινόν.

Recte autem *vorare* de Charybdi, ut Ovidius metamorph. XIII, 731.

vorat *haec raptas revomitque carinas.*

Denique non alternas aquas vorare Charybdin facit, quod illo altero magis verum non foret, sed *vorare aqua alternante*, modo emissa, modo absorpta.

XXI. [XXVII.]

1. AT VOS INCERTAM] Particula *At* in principio posita indignationis indicium est. Ea igitur huic sententiae non convenit, sed potius *Et*, quo aliquid frustra fieri significamus:

ET *vos incertam, mortales, funeris horam*
Quaeritis, et qua sit mors aditura via!

Ergo vos, inquit, quaeritis, quam mortem sitis obituri! Nihil agitis;

Solus amans novit, quando periturus, et a qua
Morte; neque hic Boreae flabra neque arma timet.

Sic plane Ovidius III. amor. 8.

Et *quisquam ingenuas etiamnum suspicit artes,*
Aut tenerum dotes carmen habere putat!
Ingenium quondam fuerat pretiosius auro:
At nunc barbaries grandis habere nihil.

5. PARTHOS SEQUIMUR] Membranae Groninganae habent SEQUITUR; neque aliter codex Vossianus, Joh. Schradero teste, qui jure probat in emendationibus cap. VII. pag. 131.

9. PRAETEREA DOMIBUS FLAMMAM DOMIBUSQUE RUI-

Solus amans novit, quando periturus et a qua
  Morte; neque hic Boreae flabra neque arma timet.
Jam licet et Stygia sedeat sub arundine remex,
  Cernat et infernae tristia vela ratis:
Si modo clamantis revocaverit aura puellae,
  Concessum nulla lege redibit iter.

XXII.

Juppiter, adfectae tandem miserere puellae.
  Tam formosa tuum mortua crimen erit.
Venit enim tempus, quo torridus aestuat aër,
  Incipit et sicco fervere terra Cane.
Sed non tam ardoris culpa est, neque crimina caeli,
  Quam totiens sanctos non habuisse deos.
Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante, puellas:
  Quicquid jurarunt, ventus et unda rapit.
Num sibi conlatam doluit Venus ipsa paremque?
  Per se formosis invidiosa dea est.

Eleg. XXII. *Burm. XXI*, 1—46. *Post* v. 2. *positi* 33. 34. V. 3—32. *Burm.* 5—34. V. 9. (11.) Venus? illa peraeque Prae se.

NAM] Neapolitanus cum aliis RUINAS, quod aurium judicium praeferri suadet. Sed putide repetitur *domibus*, nulla cum vi, nullaque gratia. Repone:

Praeterea domibus flammam, DOMINISQUE ruinas.

Domibus flammam nocituram timetis, dominis aedium ruinas. Caeterum Propertius hic orationem negligenter struxit, non *fletis* ex superioribus huc trahi postulans, sed *timetis* addi ex ipso sententiae ordine. Similia habes libro IV, 2, 43. et V, 6, 33.

10. NEU SUBEANT LABRIS POCULA NIGRA SUIS] Ita Broukhusius, quaesita neque commoda elegantia. In libris scriptis est TUIS. Recte potest a plurali indefinite posito ad singularem transiri. Sic elegia praeced. 47.

Vidistis *pleno* —
  Vidistis *fusco* —
Vidistis *quamdam Argiva* —
Cum satis una tuis *insomnia*
  portet ocellis.

Nec dissimile illud III, 15, 15.

Ingenuus *quisquam alterius*
  dat *munera servo* —
Et quaerit *toties* —
Deinde, ubi pertuleris —

An contemta tibi Junonis templa Pelasgae,
Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Semper, formosae, non nostis parcere verbis.
Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.
Sed tibi vexatae per multa pericula vitae
Extremo veniet mollior hora die.
Io versa caput primos mugiverat annos:
Nunc dea, quae Nili flumina vacca bibit.
Ino etiam prima terris aetate vagata est:
Hanc miser inplorat navita Leucotheen.

V. 19. (21.) terras.

Cernere uti possis *vultum custodis amari.*

XXII. [XXVIII.]

9. NUM SIBI COLLATAM DOLUIT VENUS? ILLA PERAEQUE PRAE SE FORMOSIS INVIDIOSA DEA EST] Insolentis amor vocabuli effecit, ut omnes lectionem falsam amplecterentur. Quid enim *peraeque* hic significat? Antonius Volscus, *Prae se invidiosa*, inquit, *prae se fert invidiam. Peraeque formosis, quas secum pari forma esse cognorit. Arguit enim a minori: si pares, multo magis superiores odit.* Non multo melius, qui *peraeque* interpretantur *non minus quam Juno et Pallas*, quas disticho sequente commemorat. Cautius Passeratius, ita tamen, ut otiosam et incommodam sententiam inferat: *aequaliter et pariter in omnes invidiosa.* Contra ea quam venustam scripturam Groningauus, omnium optimus liber, exhibet, alii subindicant:

Num sibi collatam doluit Venus IPSA, PAREMQUE?

Num forte, inquit, cum ipsa Venere tuam formam contulisti? Hoc malum tibi dolor deae parem te sibi agnoscentis immisit. Rarum illud vocabulum librariis unde venerit, ne mireris, ex mera oscitantia natum est, cum in libris manuscriptis litterae *peq. paremque* significent lineola supra e posita, eadem supra q collocata *peraeque;* nam syllaba *par* non alio quam *per* notatur scripturae compendio. Sed ita nondum omnia sana sunt. Nam huic pulchrae lectioni sequens versiculus repugnat,

Prae se formosis *invidiosa dea est.*

Quomodo enim nunc formosa prae Venere, quae antea *par* ei dicebatur? At in hoc versu latet parvum vitium, quod levi manu tollimus, *p* scribendo pro p̄:

PER se *formosis invidiosa dea est.*

Jam per se Venus formosis invidet: quid mirum, si glorio-

Andromede monstris fuerat devota marinis:
  Haec eadem Persei nobilis uxor erat.
Callisto Arcadios erraverat ursa per agros:
  Haec nocturna suo sidere vela regit.
Quod si forte tibi properarint fata quietem,
  Illa sepulturae fata beata tuae:
Narrabis Semelae, quo sis formosa periclo;
  Credet et illa, suo docta puella malo;

V. 23. (25.) erraverit.

sas et ipsi sese conferentes oderit puniatque?

19. PRIMA TERRAS AETATE VAGATA EST] Hanc elegantiam forte fortuna in editiones irrepsisse puto: libri scripti, ut videtur, omnes habent TERRIS, quod et Volscus anno MCCCCLXXXII. dedit et in altera editione a. MCCCCLXXXVIII. in notis agnoscit.

23. ERRAVERIT] Vitiose dedit Burmannus. Caeteri omnes ERRAVERAT.

25. QUOD SI FORTE TIBI PROPERARINT FATA QUIETEM, ILLA SEPULTURAE FATA BEATA TUAE] Si te fata obire voluerint, inquit, haec beata te post mortem sors manet:

Narrabis Semelae, quo sis formosa periclo —
Et tibi Maeonias inter heroidas omnes
Primus erit nulla non tribuente locus.

Nihil in his mirum, nisi quod *sepulturam* pro statu animarum apud inferos dicit, cujus generis plura afferemus ad librum V, 11, 8.; neque erat causa hactenus, cur viri docti sensum hujus distichi obscurum sibi esse quererentur. Nihilominus non dubito, quin his versibus aliquid vitii insit. Quis enim sonum illum ferat, *Fata beata?* Quis ferat *fata* priore versu proprie posita, altero pro sorte? Certum mihi videtur *fata* ex majore versiculo in minorem librariorum negligentia invecta esse. Sic scribo:

Quod si forte tibi properarint fata quietem,
Ipsa, *sepulturae* sorte *beata tuae,*
Narrabis Semelae, quo sis formosa periclo,
Credet et illa suo docta puella malo.

Ipsa e codice Palatino ac Bononiensi enotatur, et fortasse in pluribus inventum esset, nisi editores talia negligere solerent. *Sepulturae sors* pro eis dicitur, quae Cynthiae post mortem apud inferos eventura sunt; quomodo apud Ovidium trist. V, 3, 28.

Ferrea sors vitae *difficilisque premit.*

Sorte autem sepulturae vel morte beata erit Cynthia, ut illa

Et tibi Maeonias inter heroidas omnis
  Primus erit, nulla non tribuente, locus.
Nunc, utcumque potes, fato gere saucia morem.
  Et deus et durus vertitur ipse dies.
Hoc tibi vel poterit, conjunx, ignoscere Juno;
  Frangitur et Juno, si qua puella perit.
Deficiunt magico torti sub carmine rhombi,
  Et tacet exstincto laurus adusta foco,
Et jam Luna negat totiens descendere caelo,
  Nigraque funestum concinit omen avis.
Una ratis fati nostros portabit amores
  Caerula ad infernos velificata lacus.
Si non unius, quaeso, miserere duorum.
  Vivam, si vivet: si cadet illa, cadam!
Pro quibus optatis sacro me carmine damno:
  Scribam ego: PER MAGNUM SALVA PUELLA JOVEM;
Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit,
  Narrabitque sedens longa pericla sua.

XXIII.

Haec tua, Persephone, maneat clementia; nec tu,
  Persephones conjunx, saevior esse velis.

V. 33. 34. *Burm.* 3. 4. V. 33. (3.) poterit conjux ign. — Eleg. XXIII. *Burm. XXI*, 47—62.

apud Virgilium Aen. XI, 159. Felix morte tua, *neque in hunc servata dolorem.*

33. HOC TIBI VEL POTERIT CONJUX IGNOSCERE JUNO] Hoc loco in codicibus scriptis hoc distichon legitur, quod viri docti post versum carminis secundum posuere. Sed nec tertius versus a secundo separari debuit; nec versus 41. intelligi potest, nisi hic jam Juppiter appelletur. Sed haec verba ita scilicet distinguenda sunt:

Hoc tibi vel poterit, conjux, *ignoscere Juno*,

ne cui dubium sit, quin hic ad Junonium conjugem dirigatur oratio. Ceterum versu abhinc quinto *Et tacet* optime reposuerunt viri docti, ubi libri scripti omnes exhibent *jacet.*

XXIII. [XXVIII, 47.] Hos sedecim versus a superioribus separare ausus sum, reluctantibus, fateor, libris omnibus, nisi quod Neapolitanus

Sunt apud infernos tot milia formosarum:
  Pulchra sit in superis, si licet, una locis.
Vobiscum est Iole, vobiscum candida Tyro,
  Vobiscum Europe, nec proba Pasiphaë,
[Et quot Troja tulit, vetus et quot Achaia formas,
  Et Phoebi et Priami diruta regna senis;]
Et quaecumque erat in numero Romana puella,
  Occidit; has omnis ignis avarus habet.
Nec forma aeternum aut cuiquam est fortuna perennis;
  Longius aut propius mors sua quemque manet.

V. 7. (53.) Iöna. 8. (54.) Thebae.

a versu prioris elegiae 35. novum carmen ordiendo, duo carmina hic in unum coaluisse suspicantem adjuvabat. Sed octo tantum disticha seorsum ponenda esse docebat sensus, quae cum se post morbum Cynthiae scripta proderent ipsa, interpretes id non perspicientes nonnulla in iis recte intelligere numquam potuere.

7. ET QUOT IÖNA TULIT. 8. ET THEBAE, ET PRIAMI] Ita haec Scaliger constituit, partim ex sua conjectura, cum *Phoebi* legeretur pro *Thebae*, partim praeëunte Italo in codice Cujaciano, cujus librarius dedit *Hioa* et rectius *Hiona* in margine; nam libri meliores hoc distichon ita scriptum exhibent:

Et quot Troia *tulit vetus et quot Achaïa formas,*
Et Phoebi *et Priami diruta regna senis.*

Mihi admodum dubium videtur, num in his duo vitia insint, an unum tantum. Sane melius videtur, ut, ubi *Troiae* nomen positum est, Graeciae nominetur locus, modo ne *Iona* scribamus, cujus metaplasmi, *Iona* pro *Ionia*, exemplo destitui sese Burmannus quoque fatetur. Nihilominus ut *Troiae* respondent *Priami regna*, ita posset pro *Phoebi* aliud quid ponendum esse, quod conveniret *Achaiae;* nisi forte particula *et* ante *Phoebi* obstat, quae tamen et ipsa potest in menda cubare et pars esse ejus nominis, cujus postremae litterae in nomen *Phoebi* abierunt. In his igitur aliquid audere foret temerarium: nos totum distichon concellavimus potius, ne legentem moraretur. Paullo autem ante Burmannus recte dedit ex codice Groningano: *Vobiscum est Iöle.* In caeteris libris fere habetur *Iöpe*, de qua Broukhusius cum nullam apud veteres memoriam esse dicit, non meminit Ἰόπης τῆς Ἰφικλέος, quae Thesei uxor fuit, Plutarcho referente in ejus vita cap. XXIX.

Tu quoniam es, mea lux, magno dimissa periclo,
Munera Dianae debita redde choros;
Redde etiam excubias divae nunc, ante juvencae;
Votivas noctis et mihi solve decem.

XXIV.

Extrema, mea lux, cum potus nocte vagarer,
Nec me servorum duceret ulla manus,
Obvia, nescio quot pueri, mihi turba minuta
Venerat — hos vetuit me numerare timor —,
Quorum alii faculas, alii retinere sagittas,
Pars etiam visa est vincla parare mihi.
Sed nudi fuerant. quorum lascivior unus,
Arripite hunc, inquit, nam bene nostis eum.
Hic erat, hunc mulier nobis irata locavit.
Dixit, et in collo jam mihi nodus erat.
Hic alter jubet in medium propellere; et alter:
Intereat, qui nos non putat esse deos!
Haec te non meritum totas exspectat in horas:
At tu nescio quas quaeris, inepte, fores.

V. 13. (59.) demissa. — Eleg. XXIV. *Burm. XXII.* V. 1. Hesterna. 8. Abripite. 14. foris.

13. TU QUONIAM ES, MEA LUX, MAGNO DEMISSA PERICLO] Scribe DIMISSA cum aliquot libris Italicis. Consentit in hoc cum caeteris criticis J. H. Vossius ad Tibull. I, 4, 29. pag. 180.

XXIV. [XXIX.]

1. HESTERNA, MEA LUX] *Hesternam noctem*, dicimus, quae diem hodiernum praecedit. Hero Ovidiana epist. XIX, 72.

Est mare, confiteor, nondum tractabile nanti:
Nocte *sed* hesterna *lenior aura fuit.*
Cur ea praeterita est? cur non ventura timebas?

Quare fieri non potest, ut hic versus cum ultimo coeat:

Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

Verissime Nicolaus Heinsius:

EXTREMA, *mea lux, cum potus nocte vagarer.*

Lygdamus (Tibull. III.) 4, 2.

Di meliora ferant, nec sint insomnia vera,
Quae tulit extrema *pessima* nocte *quies.*

14. AT TU NESCIO QUAS QUAERIS, INEPTE, FORIS] Su-

Quae cum Sidoniae nocturna ligamina mitrae
Solverit, atque oculos moverit illa gravis,
Adflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.
Parcite jam, fratres; jam certos spondet amores;
Et jam ad mandatam venimus ecce domum.
Atque ita mi injecto dixerunt rursus amictu;
I nunc, et noctes disce manere domi.
Mane erat, et volui, si sola quiesceret illa,
Visere: at in lecto Cynthia sola fuit.

pervacanea Jani Dousae correctio. Recte scripti omnes:

At tu nescio quas quaeris, inepte, FORES.

Sed nimia scilicet emendationis elegantia aciem Broukhusio praestrinxerat. Strato epigr. XCI.

Ἐμπρήσω σε, θύρη, τᾷ λαμπάδι, καὶ τὸν ἔνοικον
Συμφλέξας μεθύων, εὐθὺς ἄπειμι φυγάς,
Καὶ πλώσας Ἀδριανὸν ἐπ' οἴνοπα πόντον, ἀλήτης
Πωλήσω γε θύραις νυκτὸς ἀνοιγομέναις.

21. MI INJECTO DIXERUNT] Ita optime Heinsius, quo codex Palatinus ducebat. Libri plerique: *Atque ita* me *injecto* duxerunt.

23. MANE ERAT etc.] Pulcher locus, sed criticorum negligentia factum, ut nihil in eo ita, ut debet, cohaereat. Vide modo haec, ut a Burmanno edita sunt:

Mane erat, et volui, si sola quiesceret illa,
Visere: at in lecto Cynthia sola fuit.
Obstupui. non illa mihi formosior umquam
Visa, neque ostrina quum fluit in tunica.
Ibat et hinc *castae narratum somnia Vestae,*
Neu sibi, neve mihi quae nocitura forent.
Talis *visa mihi* somno demissa recenti.
Heu quantum per se candida forma valet!
Quo tu matutinus, ait, *speculator amicae?*

Variis modis argutari in his posset, qui vellet multus esse; de puella dormiente simul et eunte et demissa somno et loquente. Praeterea, quod Broukhusius jam monuit, alterum membrum comparationis nusquam comparet. Sed ei nihil deerit, si, revocata omnium codicum scriptura, *neque ostrina cum* FUIT *in tunica*, scribamus porro:

Ibat UT *hinc castae narratum somnia Vestae.*

Nempe ne tum quidem, cum id faceret Cynthia, in veste bombycina, pulchrior, quam

Obstupui. non illa mihi formosior umquam
 Visa, neque ostrina cum fuit in tunica,
Ibat ut hinc castae narratum somnia Vestae,
 Neu sibi, neve mihi quae nocitura forent.
Talis visa mihi somno dimissa recenti —
 O quantum per se candida forma valet! —,
Quo tu matutinus, ait, speculator amicae?
 Me similem vestris moribus esse putas?
Non ego tam facilis: sat erit mihi cognitus unus,
 Vel tu, vel si quis verior esse potest.
Adparent non ulla toro vestigia presso,
 Signa voluptatis, nec jacuisse duos.
Aspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat
 Spiritus, admisso notus adulterio.

V. 26. fluit. 27. et. 29. demissa recenti. 30. Heu. 36. voluptatis nec.

nunc, fuerat, sed nunc *talis* ipsi, qualis tum, videbatur. Et tamen illo ipso tempore, quo ad Vestae templum in tunica purpurea iverat, primum ocellis suis, ut alibi dicit, amatorem ceperat; nisi forte nos conjectura fallit ex his versibus ducta elegiae IX. libri quarti, quibus puellam in eadem veste, qua se primum ceperit, precatum ire jubet:

Dein, qua primum oculos cepisti veste Properti,
 Indue, nec vacuum flore relinque caput;
Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis,
 Inque meum semper stent tua regna caput.

Jam autem porro, praeterquam quod in sequentibus interpunctio Dousa et Hemsterhusio praeeuntibus mutanda est, cum Guyeto et Marklando et Schradero, quibus duo apud Burmannum libri astipulantur, lege: *Somno* DIMISSA *recenti,* quo dicendi genere Ovidius quoque usus est in medic. fac. 51. deducto ex illo Homerico, *καί μιν γλυκὺς ὕπνος ἀνῆκεν.* Denique ne quid alieno loco queratur Propertius, pro *Heu* cum Johanne Schradero repone:

o quantum per se candida forma valet!

36. SIGNA VOLUPTATIS] Si quid constaret mihi de fide codicis Farnesiani, quo Lipsius usus est, dedissem quod viri docti quasi uno consensu probant,

Signa volutantis *nec jacuisse duos:*

nunc, quia felix error esse potest, vulgarem scripturam distinctione meliori adjuvimus.

Dixit, et obposita propellens savia dextra,
  Prosilit in laxa nixa pedem solea.
Sic ego tam sancti custos excludor amoris. *
  Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

XXV.

Quo fugis, ah demens? nulla est fuga. tu licet usque
  Ad Tanain fugias: usque sequetur Amor.

V. 39. suavia. — Eleg. XXV—XXVIII. *Burm.* XXIII. XXV. v. 1—12. *Burm.* 53—64.

39. PROPELLENS SUAVIA] Parva res, sed suavius tamen ad aures accidit, quod liber Neapolitanus habet, *propellens* SAVIA, nempe ne una syllaba quatuor tempora habeat. Explicat rem ex Juba Pompejus grammaticus, loco ad calcem Mallii Theodori posito ab J. F. Heusingero pag. 64—66.; item Priscianus libro I. pag. 573, 1. illo tamen minus accurate disserens. Apud Catullum, qui in his curiosior caeteris est, carmine IX, 9. scribe:

Jucundum os oculosque saviabor.

41. SIC EGO TAM SANCTI CUSTOS EXCLUDOR AMORIS] Hanc scripturam Broukhusius ex librariorum aberrationibus elicuit, non nimis quidem malam illam, nec tamen veram, si quid video. Nam neque *amoris custodem* recte dici puto *speculatorem amicae*, quomodo locutus est poëta v. 31., aut, ut ille exponit, observatorem, speculatorem, curiosulum cum oculis emissitiis; neque *excludebatur* tum, cum illud malum, quod sibi accidisse narrat, pateretur, Propertius. In optimis autem libris legitur *custode recludor;* in multis, sed deterioribus, *custos recludor;* membranae Palatinae et alii libri, quorum minor auctoritas, *custodis rector;* unus malus, *custos rejector.* Viri docti varia moliuntur, sed nihil probabile: Passeratius, *custos eiector;* Heinsius, *custodis cultor*, et *custodi excludor* idem cum Marklando; *custos cludor* Burmannus. Nec quicquam promitto de veritate conjecturae meae; nisi quod haud inepte ita scribi posse existimo:

Sic ego tam sancti cultu secludor *amoris.*

Tibullus II, 4, 52.

Vera quidem moneo, sed prosunt quid mihi vera?
Illius est nobis lege colendus amor.

XXV. [XXX, 1—22.]

In hoc et sequentibus carminibus Josephus Scaliger multa transponendo omnia, ut cum

Non, si Pegaseo vecteris in aëre dorso,
Nec, tibi si Persei moverit ala pedes.
Vel si te sectae rapiant talaribus aurae,
Nil tibi Mercurii proderit alta via.
Instat semper Amor supra caput; instat amanti,
Et gravis ipsa super libera colla sedet.
Excubat ille acer custos, et tollere nusquam
Te patietur humo lumina capta semel.

V. 3. (55.) aëra. 5. (57.) Vel, si. 8. (60.) ipse.

Vulpio loquar, omnino miscuit ac pervertit; itaque ejusmodi carmen effecit, cui simile si quis nunc scriberet, Johanne Schradero judice, sensu communi carere diceretur. Burmanno ordinem Scaligeri secuto omnia in his adeo confusa et perturbata esse videntur, ut sine ope meliorum ac vetustiorum codicum ea in ordinem restitui posse vix sperandum sit. Atqui aut ego vehementer fallor, aut omnia optimo ordine in codicibus scripta sunt, hac una in re vitiosis, quod ex hac et sequente elegia unam faciunt, quibus separandis utriusque sensum, qui hactenus perquam obscurus erat, patefecisse nobis videmur. In priore igitur (nam de altera postmodo videbimus) poëta cum puella sua convivatur. Ea inter mediam laetitiam nescio qua amatoris injuria offensa abituram se et cum exercitu, Lycoridis modo, in Asiam contra Parthos militatum profecturam minatur. Tum poëta: Quo fugis? inquit, nihil agis. Licet in remotissimás orbis partes te conferas: tamen Amor te sequetur usque et gravissimis poenis excruciabit: v. 1—10. Sed jam, quamvis peccaveris, deus ille facile placabitur, si te consilii tui poenitere viderit. Quare age, pergamus hoc convivium celebrare: v. 11 18. Cynthia, Propertii precibus mota, tandem exorari se patitur. Ita ille, jam redeunte hilaritate, submissa voce et cum leni reprehensione quaerit, num adhuc eo animo sit, ut fugere velit et militare: v. 19—22.

3. VECTERIS IN AËRA] Bene hoc; sed itidem bene, *in* AËRE, quod libri meliores habere videntur. Ita certe praeter alios Neapolitanus, Palatinus uterque et quinque inter Broukhusianos.

8. ET GRAVIS IPSE SUPER] Apage illud *Ipse*, quod sensu caret. Verissime Philippus Beroaldus:

instat amanti,
Et gravis IPSA *super* libera
colla sedet.

Non amanti tantum instare hunc deum dicit, sed vel ei,

Sed jam si pecces, deus exorabilis ille est,
  Si modo praesentis viderit esse preces.
Ista senes licet accusent convivia duri:
  Nos modo propositum, vita, teramus iter.
Illorum antiquis onerantur legibus aures:
  Hic locus est, in quo, tibia docta, sones,
Quae non jure vado Maeandri jacta natasti,
  Turpia cum faceret Palladis ora tumor.
Num jam, dura, paras Phrygias nunc ire per undas,
  Et petere Hyrcani litora nota maris,
Spargere et alterna communis caede Penatis,
  Et ferre ad patrios praemia dira Laris?

V. 11. (63.) Et. 13—18. *Burm.* 81—86. V. 15. (83.) onerentur. 19—22. *Burm.* 65—68.

qui excussisse se jugum opinetur. *Liber* enim dicitur, qui amore se liberavit. Sic alibi libro I, 11, 30.

Qui numquam vacuo pectore liber *erit.*

Libro II, 2, 1.

Liber *eram, et vacuo meditabar vivere lecto.*

Libro III, 13, 5.

Tot noctes periere. nihil pudet? aspice, cantat
Liber: *tu nimium credula sola iaces.*

11. ET JAM] Repone: SED *jam si pecces.* Hoc Burmannum vidisse mirum est, cum caeterorum nihil intellexerit.

15. ONERENTUR LEGIBUS AURES] Conjunctivus non melior, quam erat ille I, 21, 31. Rectissime Neapolitanus et secundus Burmanni:

Illorum antiquis ONERANTUR *legibus aures.*

20. HYRCANI LITORA NOTA MARIS] *Nota*, quae nunc bellis innotescunt. Ita interpretes. Sed id, ni fallor, ab horum versuum ratione alienum est. Heinsius *litora lata.* Puto:

Et petere Hyrcani litora nuda *maris.*

Statius silv. III, 1, 3.

Quod coleris majore tholo, nec litora *pauper*
Nuda *tenes tectumque vagis habitabile nautis.*

21. SPARGERE ET ALTERNA COMMUNES CAEDE PENATES] Recte editum, *Spargere* et *alterna*, ut libro I, 21, 28.

Oscula et alterna *ferre supina manu.*

Spargereque ex Menteliano aliisque duobus probat Burmannus: alterum habent Groning. Neapol. Vulpiani, prior Palatinus cum aliquot deterioribus. Sed hoc quidem perinde est: sententia versiculi habet difficultatem. Ita interpre-

XXVI.

Una contentum pudeat me vivere amica?
Hoc si crimen erit, crimen Amoris erit:
Mi nemo objiciat. libeat tibi, Cynthia, mecum
Rorida muscosis antra tenere jugis.
Illic aspicies scopulis haerere Sorores,
Et canere antiqui dulcia furta Jovis,

Eleg. XXVI, 1—4. *Burm. XXIII*, 25—28. V. 4. (28.) Roscida. 5—8. *Burm.* 17—20. 5. (17.) adspicias.

tor: Num tibi adhuc sedet, nos, qui hactenus una viximus, bello et alterna tui hostiumque caede divellere? *Alternam caedem* bellum intelligo. Simile illud libro V, 5, 40., sed de alio bello:

Semper habe morsus circa tua colla recentes,
Litibus alternis *quos putet esse datos.*

Silius Ital. V, 530.

Atque ea dum variis permixtus tristia Mavors,
Casibus alternat.

Hinc Ovidius metam. I, 142.

— *prodit* Bellum, *quod* pugnat utroque.

Spargere Penates ita cape, ut apud Flaccum Valerium, non infrequentem Propertii imitatorem, libro II, 596.

iterum Aeolios fortuna Penates
Spargit, *et infelix Scythicum gens quaerimus amnem.*

qui locus ab hoc nostro alienus censeri non debuit. Appulejus metam. IX. pag. 199. Pric., sed de auctione hereditaria: *Tunc* unum Larem varie dispergit *venditionis incertae licentiosa fortuna.*

XXVI. [XXX, 25.]

In hoc carmine (ut haec ad priora nihil facere intelligas) reprehendi negat posse, quod unam constanter amet: non suam esse, sed Amoris culpam, qui omnes deos ac mortales sibi servire cogat. Id uti constet, invitat Cynthiam, Musarum habitacula secum adire velit. Eas nihil nisi furta Jovis continuo carmine celebrare, ipsas quoque ab amoris contagio nequáquam liberas. Utinam et sibi in hoc choro cum puella sua canere liceat! Pervenustum carmen, cujus principium Burmannus singula sollicitando penitus miscet, neque tamen, ut ille apud inferos Sisyphus, proficit hilum.

4. ROSCIDA MUSCOSIS] Lege RORIDA, omnium fere codicum auctoritate, cui neque hic repugnare velim, neque supra I, 21, 36., ubi *Roscida* tuentur.

5. ILLIC ADSPICIAS] Ita Scaliger; scilicet quia haec in

Ut Semela est conbustus, ut est deperditus Iö,
Denique ut ad Troiae tecta volarit avis.
Quod si nemo exstat, qui vicerit alitis arma,
Conmunis culpae cur reus unus agor?
Nec tu Virginibus reverentia moveris ora;
Hic quoque non nescit, quid sit amare, chorus;
Si tamen Oeagri quaedam conpressa figura
Bistoniis olim rupibus adcubuit.
Hic ubi te prima statuent in parte choreae,
Et medius docta cuspide Bacchus erit,
Tum capiti sacros patiar pendere corumbos;
Nam sine te nostrum non valet ingenium.

V. 9. 10. *Burm.* 23. 24. V. 11—18. *Burm.* 29—36. V. 15. (33.) me. 16. (34.) tecta.

alium locum transtulerat. Nunc patet sensum postulare id, quod scripti omnes habent, ASPICIES; quamquam inventus est, qui Barthium, antecedentia conjunctivum requirere, probe notasse sibi persuaderet.

15. HIC UBI ME PRIMA] Extremo carmine habes:

Nam sine te nostrum non valet ingenium.

ut hic debuerit dicere, se cum Cynthia Musarum choro interesse cupere. Recte Guyetus et ante eum Italus in codice Vaticano quinto:

Hic ubi TE *prima statuent in parte choreae.*

Similiter Musae ad Minervam apud Ovidium metam. V, 269.

O nisi te virtus opera ad majora tulisset,
In partem ventura chori, *Tritonia*, nostri.

Tibullus IV, 2.

Hanc vos, Pierides, festis cantate Kalendis,
Et testudinea Phoebe superbe lyra.
Hoc sollemne sacrum multos celebretur in annos!
Dignior est vestro nulla puella choro.

ubi libri optimi *multos hoc sumet* vel *fumet in annos.* Scribo:

Hoc sollemne sacrum multos o fumet *in annos!*

fumare in multos annos, quod Heynius bene dici negat, Silius Italicus habet VII, 457.

De Junone Paphos centum *mihi* fumet in annos.

16. ET MEDIUS TECTA CUSPIDE] Sic Scaliger, ex Catullo LXIV, 257.

Horum pars tecta *quatiebant* cuspide *thyrsos.*

et affert alia similia Broukhusius. Ferendum tamen censeo, quod in omnibus codicibus habetur, DOCTA *cuspide*, quamquam egregie dictum nolo contendere.

XXVII.

Quaeris, cur veniam tibi tardior. aurea Phoebo
  Porticus a magno Caesare aperta fuit.
Tota erat in speciem Poenis digesta columnis,
  Inter quas Danai femina turba senis.
Hic quidam Phoebo visus mihi pulchrior ipso
  Marmoreus tacita carmen hiare lyra;
Atque aram circum steterant armenta Myronis,
  Quattuor artifices, vivida signa, boves.

Eleg. XXVII. *Burm. XXIII*, 1—16. V. 3. spatium. 5. equidem.

XXVII. [XXXI.]

Haec quoque, quae sequuntur, majoris carminis fragmentum esse interpretes opinantur, ipso principio contrarium affirmante. Nam *Quaeris cur veniam tibi tardior* dicendo, non *venerim*, poëta se hoc carmen vel ex tempore fudisse vel ita saltem videri velle indicat. Vocatus ad Cynthiam cum sero veniat, excusat moram, quam aperta Apollinis Palatini porticus, praetereuntem ad inspectionem sui invitans, objecerat. Hoc ut longo et absoluto carmine faciat, non poscit Cynthia: cur igitur nos poscamus?

3. TOTA ERAT IN SPATIUM] Lege IN SPECIEM cum libris omnibus. Illud de Heinsii conjectura a Broukhusio repositum recte castigat Hemsterhusius. *In speciem*, speciose, ita ut placeret specie. Sic passim illud scriptores usurpant, sed proxime ad nostrum locum Manilius accedit V, 152. ex certissima magni Bentleii emendatione:

Feminеae vestes, nec in usum tegmina plantis,
Sed speciem, *fractique placent ad mollia gressus.*

5. HIC EQUIDEM PHOEBO] *Equidem* hic plane vel profecto significare volunt, contra usum Virgilii et Ovidii et caeterorum illius saeculi. Verissime Marklandus:

Hic QUIDAM *Phoebo visus mihi pulchrior ipso*
Marmoreus tacita carmen hiare lyra.

Barthius quidem dubitat, an bene dicatur *quidam marmoreus.* Scilicet id tam bene dicitur, quam *me marmoream* in epitaphio Antholog. Lat. IV, 62.

Forma atque illecebris Veneri vixi aemula. livor
Saxo delicias invidus occuluit.
Artificis pietate iterum rediviva placebam,
Ni me vidisset Cypria marmoream.

Versu octavo pulcherrimum est et verum, quod Broukhusius

Tum medium claro surgebat marmore templum,
  Et patria Phoebo carius Ortygia.
Ergo Solis erat supra fastigia currus,
  Et valvae, Libyci nobile dentis opus,
Altera dejectos Parnasi vertice Gallos,
  Altera maerebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem deus ipse interque sororem
  Pythius in longa carmina veste sonat.

XXVIII.

Qui videt, is peccat: qui te non viderit ergo
  Non cupiet. facti lumina crimen habent.

V. 9. Clario. 11. Auro. — Eleg. XXVIII, 1. 2. *Burm.* *XXIII*, 21. 22. V. 1. (21.) qui non et. 2. (22.) crimina lumen habet.

dedit, *artifices:* scripti *artificis* exhibent.

9. CLARIO SURGEBAT MARMORE TEMPLUM] Male *Clario*, assentientibus Commelini membranis, Scaliger. Palatini enim Apollinis templum erat, non Clarii. Quid quod sequitur Phoebi nomen,

Et patria Phoebo *carius Ortygia.*

Sed Scaliger quidem ita accipiebat, ut hoc templum Apollini carius esse diceretur quam Clarium et ipsa patria: structura tamen orationis adeo cogi negante. Melius Passeratius, *Pario marmore.* Sed optime codices sinceri:

Tum medium CLARO *surgebat marmore templum,*

hoc est, splendente et pellucido, quae est natura marmoris albi (*bianco antico*), in primis Parii. Ita *clari smaragdi* apud Ovidium metam. II, 24.

purpurea velatus veste sedebat
In solio Phoebus claris *lucente* smaragdis.

Quin et splendorem solum hoc vocabulo indicant. Plautus in Mostell. III, 1, 112.

Ain tu aedis? Aedis inquam. sed scin cuiusmodi?
Qui scire possim? Vah. Quid est? Ne me roga.
Nam quid ita? Speculo claras, *clarorem merum.*
Bene hercle factum.

11. AURO SOLIS ERAT SUPRA FASTIGIA CURRUS] Hoc *Auro* unde sumserit Beroaldus, ignoro: Burmannus ex uno Vossiano enotat, et similia e duobus non melioribus; *Aurea* Scaligeri liber; alii Italici *In quo.* Omnia male: codices sinceri habent *Et quo*, unus Palatinus *Ex quo.* Repone:

Nam quid Praeneste in dubias, o Cynthia, sortes,
  Quid petis Aeaei moenia Telegoni?
Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur?
  Appia cur totiens te via ducit anus?

V. 3—6. *Burm.* 41—44. V. 3. (41.) Praenestis dubias. 6. (44.) anum?

ERGO *Solis erat supra fastigia currus.*
eadem significatione *Ergo*, qua habemus libro IV, 2, 29.

Ergo *hic Musarum et Sileni patris imago.*

XXVIII. [XXXII.]

1. QUI NON ET VIDERIT] Scripti universi, *Qui* TE NON *viderit*, quod quominus sequamur, ordine versuum Scaligerano rejecto, nihil impedit.

2. CRIMINA LUMEN HABET] Nisi inepta et insolita stulte quaesivit Propertius, scripsit haud dubie:

facti LUMINA CRIMEN HABENT.

Hoc omnes vidisse existimo, pauci ausi sunt dicere. Caeterum eodem alludit Neapolitanus *habent* exhibendo: ms. Scaligeri, Heinsio teste, *lumina crimen habet.*

3. PRAENESTIS DUBIAS, O CYNTHIA, SORTES] Male dictum *sortes Praenestis* pro Praenestinis. Scripti omnes (nam meros librariorum errores neque hic neque alibi, nisi perraro, enotamus):

Nam quid Praenesti *dubias, o Cynthia, sortes,*
Quid petis Aeaei moenia Telegoni?

Sed illum ablativum Priscianus non probat, libro VII. pag. 759. *Propria ejusdem terminationis* (*e* scilicet) *similem habent nominativum ablativo* (f. *nominativo ablativum*), *hoc Praeneste, ab hoc Praeneste. Virgilius in VIII. Qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ipsa. Figurate enim ad urbem reddidit, sub ipsa, cum proprium oppidi neutrum est* (l. *esset*), *ut Reate. Idem poëta in VII. Quique altum Praeneste viri.* Eam observationem constans, quantum scio, scriptorum usus comprobat, librariis passim, ubi veram lectionem metrum non tuetur, turbantibus. Quare hic repono:

Nam quid PRAENESTE IN *dubias, o Cynthia, sortes,*
Quid petis Aeaei moenia Telegoni?

Quid Praeneste tendis, illas dubias sortes quaesitum?

6. APPIA CUR TOTIES TE VIA DUCIT ANUM] Virorum doctorum de hoc loco disputationes recoquere non juvat. Unice verum est, quod Mentelianus et Guarnerianus cum tribus quatuorve aliis habent:

Appia cur toties te via ducit ANUS?

Versu superiore recte editur

Hoc utinam spatiere loco, quodcumque vacabis,
Cynthia! nam tibi me credere turba vetat,
Cum videt accensis devotam currere taedis
In nemus, et Triviae lumina ferre deae.
Scilicet umbrosis sordet Pompeja columnis
Porticus, aulaeis nobilis Attalicis,
Et creber platanis pariter surgentibus ordo,
Flumina sopito quaeque Marone cadunt,

V. 7 — 10. *Burm.* 37 — 40. V. 8. (38.) sed. 11 — 18. *Burm.* 45 — 52.

Curve te in Herculeum. Id apud Muretum primum reperio: Codices habent fere, *Cur vatem Herculeum;* Neapolitanus, *Curva te herculeum deportantes sed abitur.*

8. SED TIBI ME] Hoc sententiam turbat. Scribe ex Groningano:

Hoc utinam spatiere loco,
quodcumque vacabis,
Cynthia! NAM *tibi me credere turba vetat,*
Cum videt accensis etc.

vel, si viae, quam caeteri libri omnes indicant, insistere quam unius fidem sequi malis,

Sic *tibi me credere turba vetat.*

Sic, si hoc facis, si Praeneste semper et Triviae nemus petis, probam te credere non possum, sed in illa turba hominum, quae in ea via semper versatur, vereor ne plures insint qui te visam depereant, et mox longius progressi aliquid gratiae fortasse apud te inveniant. Ita haec explicanda esse videntur, neque a re aliena sunt. Nolo tamen diffiteri, quia Propertio a turba et vulgo minus metuendum erat, quam ab uno aut paucis amatoribus, quibus tali occasione clanculum bene faceret Cynthia, me aliquando haec ita legenda esse existimavisse:

Hoc utinam spatiere loco
quodcumque vacabis,
Cynthia! nam *tibi me credere* cura *vetat,*
Cum video *accensis devotam*
currere taedis
In nemus etc.

13. PARITER SURGENTIBUS] Scripti, ut videtur, omnes habent *urgentibus*, qui error, correctus jam ab Jo. Calphurnio, reductus a Volsco MCCCCLXXXVIII, omnibus fere librariis verborum transponendorum ansam praebuit. Plerique dedere, *Et creber pariter platanis;* Neapolitanus, *Et platanis creber pariter;* recte solus Palatinus posterior, *platanis pariter urgentibus.* Sequentem versum,

Flumina sopito quaeque
Marone cadunt,

nisi quis olim quasi ex machina deus subveniat, semper obscurum fore existimo.

Et, leviter lymphis tota crepitantibus urbe,
  Cum subito Triton ore recondit aquam!
Fallor, et ista tui furtum via monstrat amoris.
  Non urbem, demens, lumina nostra fugis.
Nil agis. insidias in me conponis inanis;
  Tendis iners docto retia nota mihi.
Sed de me minus est: famae jactura pudicae
  Tanta tibi miserae, quanta mereris, erit.
Nuper enim de te nostras me laedit ad auris
  Rumor et in tota non bonus urbe fuit. —

V. 15. (49.) Et leviter nymphis. 17. (51.) Falleris. ista. 19—30. *Burm.* 69—80.

15. NYMPHIS TOTA CREPITANTIBUS URBE] Monstro simile hoc est, crepitare Nymphas, quicquid de statuis ab Agrippa positis Broukhusius moneat. Recte liber Groninganus:

Et leviter LYMPHIS *tota crepitantibus urbe.*

Sic apud Horatium epod. XVI, 48. recto judicio praeferunt:

Levis crepante lympha *desilit pede.*

Nam crepantes Nympharum pedes quis ferat? Tamen probabat et ibi alteram scripturam *Nympha* Broukhusius, et apud nostrum IV, 14, 4.

Et cadit in patulos Nympha *Aniena lacus,*

et IV, 22, 26.

Potaque Pollucis Nympha *salubris equo.*

Quae cum admodum absurda sint, quidni utrobique codicem Groninganum, cum caeteris plerisque exhibentem LYMPHA, sequamur?

17. FALLERIS. ISTA TUI] Quomodo *falleris?* Non fallebatur Cynthia, sed fallebat. Repone:

FALLOR, ET *ista tui furtum via monstrat amoris.*

Sic Ovidius epist. VII, 35.

Fallor, et ista *mihi falso jactatur imago.*

Error autem facilis est. Cum enim vocula *et* forte fortuna omissa *Fallor ista* scriptum esset, syllaba sequente repetita defectus sarciri posse visus est.

23. NOSTRAS ME LAEDIT AD AURES RUMOR] Hoc codices plerique exhibent, sed an Latine dictum sit dubitari potest. Certe diversa haec esse videntur, *rumor laedit aures* et *laedit me rumor.* Catullus LXIX, 5.

Laedit te quaedam mala fabula, *qua tibi fertur*
Valle sub alarum trux habitare caper.

Ovidius fast. IV, 307.

Casta quidem, sed non et credita. rumor *iniquus*
Laeserat, *et falsi criminis acta rea est.*

Sed tu non debes inimicae credere linguae;
  Semper formosis fabula poena fuit.
Non tua deprenso damnata est fama veneno;
  Testis eris puras, Phoebe, videre manus:
Sin autem longo nox una aut altera lusu
  Consumta est, non me crimina parva movent.
Tyndaris externo patriam mutavit amore,
  Et sine decreto viva reducta domum.
Ipsa Venus fertur conrupta libidine Martis,
  Nec minus in caelo semper honesta fuit;

V. 25. (75.) te. 31—62. *Burm.* 87—118. V. 33. (89.) quamvis. 34. (90.) Num.

Virgilius Aen. VIII, 582.

Dum te, care puer, mea sera et sola voluptas,
Complexu teneo, gravior ne nuntius auris
Vulneret.

Tum mire loquitur et qui *rumorem ad aures* dicit, et qui *ad aures laedere.* Quamquam illi simile est Meleagri hoc epigr. CVI. τὸ παϱ᾽ ὤασιν Ἡλιοδώϱας φϑέγμα: ab altero satis differt Virgilianum Aen. II, 731.

subito cum creber ad auris
Visus adesse *pedum sonitus.*

et Lucretii illud IV, 1058.

et nomen dulce obvorsatur ad aureis.

Quare in hoc loco fortasse probanda est codicis Groningani scriptura:

Nuper enim de te nostras pervenit *ad aures*
Rumor.

nisi quod haec mirabilis dissensio suspicionem moveat, neutram scripturam esse veram. Id suspicatus Huschkius tentavit *nostras* praecedit *ad aures;* nec male Nicolaus Heinsius *pervadit.*

25. SED TE NON DEBES] Ita Scaliger egregia et se digna emendatione reposuit, hoc sensu: Ut casta sis, non postulo, sed ut rumorem vites. Fortasse tamen verum est, quod omnes scripti habent:

Sed TU *non debes inimicae credere linguae.*

ut ipse se quasi alloquatur poëta, ut supra II, 5, 10. 15. Pulchrum enim hoc quoque: Malus de te rumor fuit. Sed quid ego credulus? Certe non est, non est, quod narrant: puras habet illa veneno manus; nec me parva crimina movent.

33 IPSA VENUS, QUAMVIS CORRUPTA LIBIDINE MARTIS, NUM MINUS IN COELO SEMPER HONESTA FUIT?] *Num minus* est ex emendatione Francii. Libri plerique et optimi habent *Nec minus*, quod, ne quis correctionis necessitatem se perspicere neget, particulam *quam-*

Quamvis Ida Parim pastorem dicat amasse,
Atque inter pecudes adcubuisse deam;
Hoc et Hamadryadum spectavit turba sororum,
Silenique senes, et pater ipse chori,
Cum quibus Idaeo legisti poma sub antro,
Subposita excipiens Naïca dona manu.

V. 40. (96.) Nai, caduca.

vis ante sese non patitur. Sed veram scripturam hic unus omnium noster codex servavit, ex quo repone:

Ipsa Venus FERTUR *corrupta libidine Martis,*
NEC *minus in caelo semper honesta fuit.*

Quamvis ex sequentibus in hunc versum irrepsit. Caeterum Valckenarius ad fragmenta elegiarum Callimachi corrigit, *correpta libidine.* Nihil muto: *corrumpunt* mulierem, quaecumque eam ad rem turpem sollicitant. Versu 57 hic:

Uxorem quondam magni Minoïs, ut ajunt,
Corrupit *torvi candida forma bovis.*

Supra eleg. XI, 3.

Nullus erit castis juvenis corruptor *in agris.*

et 9.

Illic te nulli poterunt corrumpere *ludi*
Fanaque, peccatis maxima causa tuis.

35. QUAMVIS IDA PARIM] De Oenona hic cogitandum non esse, vel sola orationis structura docere poterat, nisi probaretur Marklandi conjectura scribentis in versu 39. *Num minus* pro *Cum quibus.* At omnia ad Venerem referenda esse accurata Valckenarii diligentia ostendit ad Callimachea pag. 72., quem vide. Sed eidem auscultare noli male tentanti, *Quamvis Ida* boum *pastorem.* Recte enim de Venere:

Quamvis Ida Parim *pastorem dicat amasse,*

quod unus Theocritus tribus minimum quatuorve locis confirmat. Caeterum *Parim* an *Parin* scribendum sit, dubium est. Neapolitanus hic habet *Parī*, ambigue; neque aliter, si recte memini, libro IV, 1, 30.: sed *Parim* IV, 12, 63., quod ibi saltem et nostro in loco praestare puto, cum utrobique *m* pronunciari littera *p*, quae sequitur, postulet.

40. SUPPOSITA EXCIPIENS, NAI, CADUCA MANU] Hoc Scaligeri commentum, si Oenonae mentio ab hoc loco, ut diximus, aliena est, ferri non potest. Quare mihi probatur, quod est in libris omnibus,

Supposita excipiens NAICA DONA *manu.*

Cur enim illud adjectivum, quod, si usus non tuetur, analogia certe non aspernatur, rejiciamus?

An quisquam in tanto stuprorum examine quaerit,
Cur haec tam dives? quis dedit? unde dedit?
O nimium nostro felicem tempore Romam,
Si contra mores una puella facit!
Haec eadem ante illam inpune et Lesbia fecit:
Quae sequitur, certe est invidiosa minus.
Qui quaerit Tatios veteres durasque Sabinas,
Hic posuit nostra nuper in urbe pedem.
Tu prius et fluctus poteris siccare marinos,
Altaque mortali deligere astra manu,

45. HAEC EADEM ANTE ILLAM INPUNE ET LESBIA FECIT] Hiatus litterae *m* in arsi, nisi accedente interpunctione, non videtur ferri posse. Certe habent hoc illa exempla:

Et tantum venerata virum, *hunc sedula curet.*
O me felicem! *o nox mihi candida, et o tu.*

Ideo hic legendum conjicio:

Haec eademne *ante illam impune et Lesbia fecit?*
Quae sequitur, certe est invidiosa minus.

Nam Italorum et Scaligeri emendationes nemo probabit serio, scribentium, *ante illam* jam *impune*, et *Haec eadem* haec *ante illam*.

47. TATIOS VETERES, DURASQUE SABINAS] *Durosque Sabinos* scripti: sed alterum rectius est, quod Broukhusius de Jani Dousae et Nic. Heinsii divinatione reposuit. Johannes Schraderus praeterea tentat *Latias veteres*, quem purae Latinitatis lege recte postulat Burmannus. Propertius nec juvenes Tatios esse dicit, nec puellas Sabinis pares. *Tatium* se esse, nempe durum et antiquis moribus, negat Martialis XI, 105.

Uxor, vade foras, aut moribus utere nostris;
Non ego sum Curius, non Numa, non Tatius.

Tatios vero pluraliter, ut libro III, 1, 14.

et Crassos *se tenuisse dolet.*

et Ovidius art. amat. I, 179.

Parthe, dabis poenas; Crassi *gaudete sepulti.*

et Horatius carm. I, 12, 37.

Regulum et Scauros *animaeque magnae*
Prodigum Poeno superante Paullum.

ejusque generis alia passim a viris doctis observata. Quin hoc ipsum *Tatii* nomen, ut insigne, et quasi generis significandi gratia plurali numero Ovidius usurpavit fast. II, 135.

Te Tatii *parvique Cures Caeninaque sensit.*

quem locum Heinsius non recte interpretatur, *Cures Tatios parvosque* intelligens.

Quam facere, ut nostrae nolint peccare puellae:
  Hic mos Saturno regna tenente fuit,
Et cum Deucalionis aquae fluxere per orbem,
  Et post antiquas Deucalionis aquas.
Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum?
  Quae dea cum solo vivere sola deo?
Uxorem quondam magni Minois, ut ajunt,
  Corrupit torvi candida forma bovis.
Nec minus aerato Danaë circumdata muro
  Non potuit magno casta negare Jovi.
Quod si tu Grajas aeques imitata Latina,
  Semper vive meo libera judicio.

V. 61. (117.) seu sis — Latinas.

53. ET QUUM DEUCALIONIS] Post Philippum Beroaldum, qui *At cum*, Johanne Schradero consentiente, dedit, et post alia aliorum conamina Valckenarius ad elegiaca Callimachi hunc locum ita tentavit:

Hic mos Saturno regna tenente fuit:
Sed, *quum Deucalionis aquae fluxere per orbem,*
Et post antiqui Deucalionis aquas,
Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum?
Quae Dea cum solo vivere sola Deo?

Quid vero, si poëta ipse, quem in ordinem gestiunt cogere, accuratior criticis fuit? Nam deos ante diluvium Deucalioneum amoribus non studuisse falsum est, si vera narravit Clymene Virgiliana georg. IV, 345.

Inter quas curam Clymene narrabat inanem
Volcani, Martisque dolos et dulcia furta,
Aque Chao densos divom numerabat amores.

Contra Propertius rectissime peccasse puellas negat,

cum Deucalionis aquae fluxere per orbem,

cum supererant duo in toto terrarum orbe mortales,

Et post antiquas Deucalionis aquas,

quia tum paucissimi erant et lapideum genus.

61. QUOD SI TU GRAJAS, SEU SIS IMITATA LATINAS] Recte haec conjungerentur, si et *seu*, si dubium esset Propertio de imitatione: nunc certum ei est Cynthiam aut Graecas aut Latinas imitari, sed utras imitetur non constat; ergo in utroque membro debuit *seu* poni. Ne quis tamen tentet cum Heinsio, *Quod seu*, longe aliud quid libri subindicant. Nam omnes scripti, et impressi ante Bero-

XXIX.

Tristia jam redeunt iterum sollemnia nobis;
  Cynthia jam noctis est operata decem.
Atque utinam Nilo pereat quae sacra tepente
  Misit matronis Inachis Ausoniis,
Quae dea tam cupidos totiens divisit amantis!
  Quaecumque illa fuit, semper amara fuit.
Tu certe Jovis occultis in amoribus, Iö,
  Sensisti, multas quid sit inire vias,
Cum te jussit habere puellam cornua Juno,
  Et pecoris duro perdere verba sono.

Eleg. XXIX. *Burm. XXIV.* V. 4. Ausoniis. 5. amantes,

aldum alterumque exemplar Volsci, non *seu sis* exhibent, sed *tuque es imitata Latinas*, vel *Latinos*, et pauci quidam vitato certe errore metrico *tuque es mirata*. Nihil tamen ex his verum est; quam ineptum enim, imitatrici veniam habere paratiorem? Repono:

Quod si tu Grajas AEQUES
  imitata LATINA,
Semper vive meo libera ju-
  dicio.

emendatione non, ut fit, eruta ex Statii silv. III, 5, 45., sed quae illo loco egregie firmari possit:

Heu ubi nota fides totque
  explorata per usus,
Qua veteres Latias Grajasque
  heroidas aequas.

Versum sequentem,

Semper vive meo libera ju-
  dicio,

nisi contra interpretum mentem ita accipimus, ut Cynthiam judicio ac reprehensione Propertii liberam fore intelligamus, non *meo* legendum erit, sed *tuo:*

Semper vive tuo *libera ju-*
  dicio,

hoc est, Liberam vivendi potestatem habes, vive tuo judicio tuoque arbitratu.

XXIX. [XXXIII.]

6. QUAECUMQUE ILLA FUIT, SEMPER AMARA FUIT] Hunc locum rectius interpungendo ex parte adjuvimus: nihil tamen affirmamus de veritate lectionis; nam ea verba, *Quaecumque illa fuit*, intelligere nullo modo possum. Tacent interpretes, uno demto, qui mire somniat, Isidem et virginem et vaccam et deam semper saevam fuisse. Nos legimus:

Quaecumque illa facit, *sem-*
  per amara facit.

Quamvis bene faciat Isis cultoribus suis, amara tamen beneficia sunt, quippe quae sine secubitu non concedantur.

Ah quotiens quernis laesisti frondibus ora,
  Mansisti ut stabulis abdita, pasta, tuis!
An, quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
  Juppiter, idcirco facta superba dea es?
An tibi non satis est fuscis Aegyptus alumnis?
  Cur tibi tam longa Roma petita via?
Quidve tibi prodest viduas dormire puellas?
  Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt;
Aut nos e nostra te, saeva, fugabimus urbe.
  Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuit.
At tu, quae nostro nimium inplacata dolore es,
  Noctibus his vacui ter faciamus iter.

V. 12. *abest* ut. 21. placata dolori es.

12. MANSISTI STABULIS] Haec nullo nexu superioribus cohaerere minus suaviter, omnes videre possunt: sed scribendum esse nobiscum, particula *ut* inserta,

Ah quoties quernis laesisti frondibus ora,
Mansisti UT *stabulis abdita pasta tuis!*

rejicienda autem esse Heinsii ac Broukhusii commenta, quorum ille voluit *Mansisti et*, hic *Ah quoties* mente repetendum praecipit, id vero ii demum intelligere possunt, qui praecedentia, *multas inire vias*, recte ceperint. Pudet me primum omnium interpretum illa in obscenum sensum trahere, quem explicat Passeratius ad versum hujus carminis 22.: sed pudorem veritas vincit. Tunc igitur, cum nosset quid esset amor, bona vacca, ut erat inclusa stabulis, amatoris sui desiderio

quernis laedebat frondibus ora.

21. AT TU, QUAE NOSTRO] Si quis hos versus a praecedentibus separandos censeret, non reprehenderem. Si conjunguntur, debemus dicere, Cynthiam, postquam decem noctes Isidi operata erat, paucorum dierum pausam fecisse, tumque hoc carmen scriptum esse, cum puella ad nova sacra bibendo sese pararet, Propertio autem sui copiam facere nollet.

Ibid. QUAE NOSTRO NIMIUM PLACATA DOLORI ES] A Scaligero est, *nostro dolori*, id est, *nobis dolentibus*. Scilicet ille *nimis pacatam* intellexerat, vel nimis lentam potius, quae dolentis curam gereret nullam. Potius est, ut revocata omnium codicum scriptura *dolore* cum Nicolao Heinsio reponatur:

At tu, quae nostro nimium IMPLACATA DOLORE *es.*

Non audis, et verba sinis mea ludere, cum jam
Flectant Icarii sidera tarda boves.
Lenta bibis; mediae nequeunt te frangere noctes.
An nondum est talos mittere lassa manus?
Ah pereat, quicumque meracas repperit uvas,
Conrupitque bonas nectare primus aquas!
Icare, Cecropiis merito jugulate colonis,
Pampineus, nosti, quam sit amarus odor.
Tu quoque, o Eurytion, vino, Centaure, peristi,
Nec non Ismario tu, Polypheme, mero.
Vino forma perit, vino conrumpitur aetas,
Vino saepe suum nescit amica virum.
Me miserum! ut multo nihil est mutata Lyaeo!
Jam bibe; formosa es; nil tibi vina nocent,
Cum tua praependent demissae in pocula sertae,
Et mea deducta carmina voce legis.
Largius effuso madeat tibi mensa Falerno,
Spumet et aurato mollius in calice.
Nulla tamen lecto recipit se sola libenter;
Est quiddam, quod vos quaerere cogat Amor.
Semper in absentis felicior aestus amantes:
Elevat adsiduos copia longa viros.

XXX.

Cur quisquam faciem dominae jam credat Amori?
Sic erepta mihi paene puella mea est.
Expertus dico, nemo est in amore fidelis;
Formosam raro non sibi quisque petit.
Polluit ille deus cognatos, solvit amicos,
Et bene concordes tristia ad arma vocat.
Hospes in hospitium Menelao venit adulter;
Colchis et ignotum nonne secuta virum est?
Lynceu, tune meam potuisti, perfide, curam
Tangere? nonne tuae tum cecidere manus?

V. 36. nocent. 38. legis; — Eleg. XXX. *Burm. XXV.*
V. 9. tangere. 10. Perfide, — tunc.

Quid? si non constans illa et tam certa fuisset,
Posses in tanto vivere flagitio?
Tu mihi vel ferro pectus, vel perde veneno:
A domina tantum te modo tolle mea.
Te socium vitae, te corporis esse licebit;
Te dominum admitto rebus, amice, meis:
Lecto te solum, lecto te deprecor uno;
Rivalem possum non ego ferre Jovem.
Ipse meas solus, quod nil est, aemulor umbras,
Stultus, quod stulto saepe timore tremo.
Una tamen causa est, qua crimina tanta remitto,
Errabant multo quod tua verba mero.
Sed numquam vitae fallet me ruga severae:
Omnes jam norunt, quam sit amare bonum.
Lynceus ipse meus seros insanit amores;
Solum te nostros laetor adire deos.
Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
Proderit, aut rerum dicere posse vias?
Aut quid Lucreti prosunt tibi carmina lecta?
Nil juvat in magno vester amore senex.
Tu * satius memorem Musis imitere Philetam,
Et non inflati somnia Callimachi.

V. 29. tibi prosunt. 31. Musis meliorem.

XXX. [XXXIV.]

9. MEAM POTUISTI TANGERE CURAM? PERFIDE] Boni libri omnes, uno fortasse Menteliano excepto, certe Groning. Neapol. Palat. Bonon. Guarner. cum multis aliis:

Lynceu, tune meam potuisti, PERFIDE, *curam*
TANGERE? *nonne tuae tum cecidere manus?*

quod cur Broukhusio minus erectum minusque efficax videatur, non percipio.

29. AUT QUID LUCRETI TIBI PROSUNT] Ita Turnebus et Scaliger, pulchre quidem, fortasse tamen non vere. Frustra sunt, qui probant, quod multi libri habent, *Cretaei;* id enim de quocumque nomine dicatur, male dicitur, cum gentile non sit, sed possessivum. *Erechthei*, quod altera codicum pars variis modis indicat, viri docti pariter rejiciendum esse recte judicant. Caeterum Groninganus cum aliquot aliis meliore ordine collocat verba: PROSUNT TIBI *carmina vatis.*

31. TU SATIUS MUSIS MELIO-

Nam, cursus licet Aetoli referas Acheloi,
  Fluxerit ut magno fractus amore liquor,
Atque etiam ut Phrygio fallax Maeandria campo
  Errat et ipsa suas decipit unda vias,
Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion,
  Tristia ad Archemori funera victor equus,
Non magna Amphiaraëae prosunt tibi fata
  Quadrigae, aut Capanei grata ruina Jovi.

V. 33. Non rursus licet. 34. Luxerit. 39. Amphiaraëae nil prosunt fata quadrigae, 40. Aut Capanei magno.

REM IMITERE PHILETAM] Hanc scripturam nullus bonus liber agnoscit. Optimi:

Tu satius MEMOREM Musis *imitere Philetam.*

Sed ne sic quidem haec intelligi possunt. Apparet tamen vitii sedes, quia, Joh. Schradero observante, optimorum scriptorum consuetudo fert, ut dicatur, *Satius est imitari Philetam.* Nam unum illum Varronis locum de re rust. I, 2, 26. pariter corruptum esse censeo: *Ego, quod magis, inquam, pertineat ad Fandanii valetudinem, et in eo libro est,* satius dicam: sive ibi *potius* scribendum est, sive *latius dicam* ex aliis codicibus. Locus Propertianus ita corrigendus esse videtur:

Tu Battus *memorem Musis imitere Philetan.*

Amicam Philetae potuit *Batto* dicere; nam idem nomen est *Βαττώ* et *Βαττίς. Battidem* duobus locis Ovidius appellat, *Βιττίδα* Hermesianax, mendose, ut opinor.

33. NON RURSUS LICET AETOLI REFERAS ACHELOI LUXERIT UT MAGNO FRACTUS AMORE LIQUOR] Scripti meliores NAM pro *Non*, rectissime. Tum pro *rursus*, quod quocumque modo accipiatur, ineptum est, CURSUS in Groningano et quibusdam aliis, FLUXERIT autem, quod Heinsius ac Broukhusius demum mutarunt, in omnibus. Utrumque firmat Ovidius metam. IX, 17.

Regem me cernis aquarum,
Cursibus *obliquis inter tua regna* fluentem.

Caeterum *fractus amore* Johannes Calphurnius jam dedit anno cIↃCCCCLXXXI. et in priore editione Volscus cum Beroaldo: libri scripti habent *factus.*

38. TRISTIA AD ARCHEMORI] Nisi argutias captare volumus, prae hac Broukhusii emendatione codicum scriptura *Tristis* spernenda est.

39. AMPHIARAEAE NIL PROSUNT FATA QUADRIGAE,
AUT CAPANEI MAGNO GRATA RUINA JOVI.]

Incipe jam angusto versus includere torno,
Inque tuos ignis, dure poëta, veni;

V. 41—44. *inverso ordine* (43. 44. 41. 42.)

Ita haec Muretus constituit primus ex suo codice, in quo erat:

Amphiaraae nil prosunt tibi *fata quadrigae.*

Omnes autem libri, praeter hunc recentissimum nec magni faciendum, ad hanc lectionem alludunt:

Non Amphiareae prosunt tibi *fata quadrigae;*

in minore autem versu *magno* omittit Groninganus cum aliis. Lego:

NON MAGNA *Amphiaraëae prosunt* TIBI *fata*
Quadrigae, aut Capanei grata ruina Jovi.

Recte enim *Non prosunt*, ut apud Tibullum II, 4, 13.

Nec prosunt *elegi, nec carminis auctor Apollo.*

et I, 8, 70.

Nec prodest *sanctis tura dedisse focis.*

De *magnis fatis* vide quae notat Bentlejus ad Horatium epist. II, 1, 6.

41. DESINE ET AESCHYLEO COMPONERE VERBA COTHURNO,
DESINE, ET AD MOLLES MEMBRA RESOLVE CHOROS.
INCIPE JAM ANGUSTO VERSUS INCLUDERE TORNO,
INQUE TUOS IGNES, DURE POËTA, VENI.
TU NON ANTIMACHO, NON TUTIOR IBIS HOMERO.
DESPICIT ET MAGNOS RECTA PUELLA DEOS.
SED NON ANTE GRAVIS TAURUS SUCCUMBIT ARATRO,
CORNUA QUAM VALIDIS HAESERIT IN LAQUEIS.
NEC TU TAM DUROS PER TE PATIERIS AMORES.
TRUX TAMEN A NOBIS ANTE DOMANDUS ERIS.
HARUM NULLA SOLET RATIONEM QUAERERE MUNDI]

In his versibus transpositionem factam esse, qui attenderit, facile animadvertet. Laxata illa orationis vincula indicium rei faciunt: *Desine et, Sed non ante, Trux tamen, Harum,* quae singula non habent, quo referantur. Jam eo ordine, quo nos haec omnia posuimus, singula optime coëunt. Quia tibi epica tua poësis nihil prodest in amore, jam tu potius leviora argumenta tracta et gravia illa ac severa relinque. Sed te quidem amori, cujus omnem vim nondum experiris, tam facile non esse cessurum video: tamen antea a nobis domabitur superbia tua. Audi igitur tu: Si vel Homerus sis et Antimachus, ubi mollium carminum nihil attuleris, ibis Homere foras; despicient te gravem

Desine et Aeschyleo conponere verba cothurno,
  Desine, et ad mollis membra resolve choros.
Sed non ante gravi taurus succumbit aratro,
  Cornua quam validis haeserit in laqueis,
Nec tu tam duros per te patieris amores;
  Trux tamen a nobis ante domandus eris.
Tu non Antimachus, non tutior ibis Homerus;
  Despicit et magnos recta puella deos.
Harum nulla solet rationem quaerere mundi,
  Nec cur fraternis Luna laboret equis,
Nec si post Stygias aliquid restabit ad undas,
  Nec si consulto fulmina missa tonent.

V. 45—48. *vers.* 47—50. V. 45. (47.) gravis. V. 49. 50. *Burm.* 45. 46. V. 49. (45.) Antimacho — Homero.

poëtam lascivae puellae, quarum nulla naturam rerum et alia id genus magna argumenta doceri cupit. Caeterum in his praeter ordinem sunt et alia pauca mutanda. Primum pro his,

Tu non Antimacho, *non tutior ibis* Homero,

sententia ita jubente scribi debet:

Tu non ANTIMACHUS, *non tutior ibis* HOMERUS.

Non erit tibi certa puella, inquit, si Homerum aliquem sibi aut Antimachum amatorem esse sciat. Tum Vulpius recte dedit:

Sed non ante GRAVI *taurus succumbit aratro,*

quamquam in scriptis omnibus habeatur *gravis.*

53. NEC SI POST STYGIAS ALIQUID RESTABIT AD UNDAS] Haec scriptura contorta et prava est librorum aliquot Italicorum. In plerisque est *restabit erumnas;* in Groningano et aliis quibusdam *restaverit undas*, bene, sed forma nimis dubia. Burmannus *superaverit*; *restabimus* perbene Wassenbergius. Puto:

Nec si post Stygias aliquid restans erit *undas.*

Ita Ovidius fast. I, 61.

Haec mihi dicta semel, totis haerentia *fastis,*
Ne seriem rerum scindere cogar, erunt.

Manilius V, 388.

Has erit *et similes* tribuens *olor aureus artes.*

et 396.

Quisquis erit *tali capiens sub tempore vitam.*

Lucretius III, 397.

Et magis est animus vitai claustra coërcens.

Idem V, 356.

Nam quaequomque vides vesci vitalibus aureis,

Aspice me, cui parva domi fortuna relicta est,
Nullus et antiquo Marte triumphus avi,
Ut regnem mixtas inter conviva puellas
Hoc ego, quo tibi nunc elevor, ingenio.
Me juvet hesternis positum languere corollis,
Quem tetigit jactu certus ad ossa deus:
Actia Virgilium custodis litora Phoebi,
Caesaris et fortis dicere posse rates,
Qui nunc Aeneae Trojani suscitat arma,
Jactaque Lavinis moenia litoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graji;
Nescio quid majus nascitur Iliade.
Nec minor his animis, aut, si minor ore, canendo
Anseris indocto carmine cessit olor,
Tu canis umbrosi subter pineta Galaesi
Thyrsin et adtritis Daphnin arundinibus,

V. 53. Hoc, ego quo. V. 67. 68. *vulgo* 83. 84. V. 67. (83.) nec se — canorus. V. 69 — 84. *vulg.* 67 — 82. V. 69. (67.) Galesi.

Aut dolus aut virtus aut denique mobilitas est
Ex ineunte aevo genus id tutata reservans.

69. TU CANIS] Recte vir doctus evolvit cohaerentiam: „Neque tamen Virgilius ipse ab amoribus alienus est, non tantum heroica carmina scribit, sed et carmina mollia pangit.“ Sed ea ipsa sententia nullo transitu facto superioribus perquam inepte adjungitur. Revoca huc illud distichon, quod infra ante versum 85. legitur nullo sensu nulloque cum caeteris nexu, etiam post Scaligeri emendationem:

Nec minor his animis, nec se minor ore canorus
Anseris indocto carmine cessit olor.

Alienissima sunt, quae huc afferunt, nihil indignum majestate sui carminis aut se ipso fecisse Virgilium, cum lacessitus ab aemulo Ansere non responderit. Libri scripti pro *nec se minor* habent *aut sim minor*, unde recte factum in quibusdam Italicis *aut si*; postrema verba, *minor ore canorus*, omittit Neapolitanus. Scilicet Propertius, ad ista Virgilii respiciens:

Nam neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores,

haec in ejus laudem dixerat:

Utque decem possint conrumpere mala puellam,
  Missus et inpressis haedus ab uberibus.
Felix, qui viles pomis mercaris amores!
  Huic, licet ingratae, Tityrus ipse canam.
Felix intactum Corydon qui tentat Alexin
  Agricolae domini carpere delicias!
Quamvis ille sua lassus requiescat avena,
  Laudatur facilis inter Hamadryadas.
Tu canis Ascraei veteris praecepta poëtae,
  Quo seges in campo, quo viret uva jugo.

V. 74. (72.) canat. 77. (75.) suam — avenam.

Cedite Romani scriptores, cedite Graji;
Nescio quid majus nascitur Iliade.
Nec minor his animis, — AUT, SI minor ore, CANENDO
Anseris indocto carmine, cessit olor —
Tu canis umbrosi subter pineta Galaesi
Thyrsin et attritis Daphnin arundinibus.

In bucolico carmine Virgilium illo spiritu, quo Aeneam scribebat, minorem fuisse negat, nisi quod forte ore et magniloquentia cesserit epico carmini, eapropter, quod indoctum carmen cecinerit, veluti cygnus, cum suo omisso rudem anserum cantum imitatur.

74. HUIC LICET INGRATAE TITYRUS IPSE CANAT] Haec si quem habent sensum, eum habent certe, quem Heynius ex eis elicuit in vita Virgilii ad an. 717. pag. CXIV. *huic puellae, licet ea ingrata sit, cum tamen amores ejus tam parvo emantur, ipse Tityrus canat, qui Galateam amabat, nullo ad peculium fructu, ut Ecl. I, 31 sqq.* Sed neque haec bona sunt, neque cur *ipse* adjectum sit, patet. Repone:

Felix, qui viles pomis mercaris amores!
Huic, licet ingratae, Tityrus ipse CANAM.

Ipse, inquit, velim Tityrus esse, si amores tam vili constant: ego, quamvis illa dura sit, non canam surdae. *Licet* adjectivo junctum, ratione nobis magis quam veteribus familiari. Ita tamen V, 11, 17.

Immatura licet, *tamen huc non noxia veni.*

Ovidius metam. XV, 62.

isque, licet *caeli ratione* remotos,
Mente deos adiit.

Statius Theb. I, 286.

Equidem haud rebar te mente secunda
Laturam, quodcumque tuos, licet aequus, *in Argos*
Consulerem.

Tale facis carmen, docta testudine quale
  Cynthius inpositis temperat articulis.
Non tamen haec ulli venient ingrata legenti,
  Sive in amore rudis, sive peritus erit.
Haec quoque perfecto ludebat Iasone Varro,
  Varro Leucadiae maxima flamma suae.
Haec quoque lascivi cantarunt scripta Catulli,
  Lesbia quis ipsa notior est Helena.
Haec etiam docti confessa est pagina Calvi,
  Cum caneret miserae funera Quinctiliae.
Et modo formosa quam multa Lycoride Gallus
  Mortuus inferna volnera lavit aqua!
Cynthia quin etiam versu celebrata Properti,
  Hos inter si me ponere Fama volet.

V. 81. (79.) carmen d. testudine, 91. qui.

Sed paullo ante rectissime Broukhusius reposuit:

Utque decem possint corrumpere mala puellam;

scripti omnes male *puellas.*

91. ET MODO FORMOSA QUI MULTA LYCORIDE GALLUS MORTUUS INFERNA VULNERA LAVIT AQUA] Viri docti hoc distichon variis modis tentarunt, quorum omnium conamina non attigunt elegantia Marklandianum, *qui flente Lycoride.* Quid vero, si hic quoque Itali criticis fucum fecerunt, vera ac genuina scriptura temere ejecta? Ita autem sane videtur. Nam *qui multa* et *quis multa* e tribus tantum libris (si modo tres sunt, Vaticanus primus et quintus et Colotianus) enotatur. Caeteri omnes, Neapolitanus quoque, ne Burmanno fidem habeas:

Et modo formosa QUAM *multa Lycoride Gallus*
Mortuus inferna vulnera lavit aqua!

Gallum *Lycoride mortuum* dicit, sive hanc ei mortis caussam exstitisse velit (nam scis diversas rationes, quibus motus sibi mortem consciverit, a scriptoribus commemorari); sive ita mortuum dicat, ut supra habuimus II, 4, 2.

hei mihi, si quis,
Acrius ut moriar, *veneris alter amor.*

SEX. AURELII

PROPERTII

ELEGIARUM

LIBER QUARTUS.

I.

Callimachi Manes et Coi sacra Philetae,
 In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
 Itala per Grajos orgia ferre choros.
Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro,
 Quove pede ingressi? quamve bibistis aquam?
Ah valeat, Phoebum quicumque moratur in armis!
 Exactus tenui pumice versus eat,
Quo me Fama levat terra sublimis, et a me
 Nota coronatis Musa triumphat equis,

LIBER IV, *vulgo tertius.* V. 10. Nata.

IN LIB. IV. [*vulgo* III.]

I.

9. ET A ME NATA] Haec scriptura, *Musa a me nata,* defensorem nacta est Janum Broukhusium. Id uti miror, ita alios eum secutos esse non miror: nos tamen audebimus flagitante sensu reponere:

Quo me Fama levat terra sublimis, et a me
NOTA *coronatis Musa triumphat equis,*

conjectura et nostra et Italorum saeculi XV., a quibus venit in Passeratii librum et Askewianum. Libro V, 1, 126.

Murus ab ingenio notior ille tuo.

Ovidius metam. XIII, 715.

Ambraciam, Actiaco quae nunc ab Apolline nota est.

Silius Ital. IV, 106.

Et mecum in curru parvi vectantur Amores,
  Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
  Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
  Qui finem imperii Bactra futura canant:
Sed, quod pace legas, opus hoc de monte Sororum
  Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poëtae;
  Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
  Post obitum duplici fenore reddet Honos.
Omnia post obitum fingit majora vetustas;
  Majus ab exsequiis nomen in ora venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces,
  Fluminaque Haemonio cominus isse viro,

V. 16. canent.

Accipiter medio tendens a limite Solis,
Dilectas Veneri notasque ab *honore Diones*
Turbabat violentus aves.

16 CANENT] *Canant* habet codex Groninganus:

Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
Qui finem imperii Bactra futura CANANT.

quomodo Virgilius ecl. VI, 6.

Nunc ego (namque super tibi erunt, qui *dicere laudes,*
Vare, tuas cupiant *et tristia condere bella*)
Agrestem tenui meditabor arundine Musam.

Et hoc praestat; ita enim clarius fit, *addent* quoque concedentis esse, ut in illis:

Scriberis *Vario fortis et hostium*
Victor.

et,

Laudabunt *alii claram Rhodon.*

26. HAEMONIO COMINUS ISSE VIRO] Nicolaus Heinsius corrigit:

Fluminaque Haemonium *comminus isse* virum.

Sic sane libro III, 11, 22.

Aut celer agrestes comminus ire sues.

ubi alia a Liviuejo allata vide. Alterum tamen Silius tuetur V, 560.

Et dignum sese ratus in certamina saevo
Comminus ire viro.

[Idaeum Simoënta, Jovis cunabula parvi,]
Hectora ter campos, ter maculasse rotas?
Deïphobumque Helenumque et Polydamanta et in armis
Qualemcumque Parin vix sua nosset humus.

V. 29. Poludamanta sine armis,

27. IDAEUM SIMOËNTA JOVIS CUNABULA PARVI?] Hunc versum fraudis convincit is, quem sequitur:

> Fluminaque *Haemonio comminus isse viro.*

Quo enim consilio *Simoënta* commemorat post *flumina*, Xanthum nempe et eumdem Simoënta, quem ille in auxilium sibi advocavit? Porro ipse versus pravitatis suae indicium facit. Nam neque Simois cunabula Jovis, nec (si copulam omissam nihili facere velis) in Ida Phrygiae fuere Jovis cunabula. Ovidius metam. VIII, 99.

> *Certe ego non patiar* Jovis incunabula Creten,
> *Quae meus est orbis, tantum contingere monstrum.*

Germanicus phaenom. 31.

> *veteri si gratia famae,*
> Cresia *vos* (l. *eas*) *tellus aluit, moderator Olympi*
> *Donavit caelo; meritum custodia fecit,*
> *Quod fidae comites prima* incunabula magni
> *Foverunt* Jovis.

Denique haec ab omni hujus loci sensu aliena ac prorsus diversa sunt. Hoc enim poëta dicit, ignotam nunc Trojam fore, nisi omnia post obitum magis innotescerent. Quid ad haec *Jovis cunabula parvi*, quae, si vel maxime in Phrygia fuissent, a Trojae exitio nomen ac famam lucrari non potuere? Quae cum ita sint, minus quam caeteri culpandus erit nostri codicis scriptor, qui certe postrema verba *cunabula parvi* omisit: rem optime aget, qui totum versiculum loco, quem occupavit inter Propertianos, indignum illuc, unde venit, abire jubeat. Eum, qui huic proximus est,

> *Hectora* ter *campos, ter maculasse rotas,*

ita a Propertio profectum esse, ut eum a Fruterio ac Livinejo emendatum habemus, non nego. Nam quo argumento huic controversiam moveamus? Sed libri scripti omnes habent: *Hectora* per *campos.*

29. DEÏPHOBUMQUE, HELENUMQUE, ET POLUDAMANTA SINE ARMIS] Hoc a Scaligero est, *Polydamanta sine armis;* nam Polydamanta lingua tantum, non armis potentem ab Homero induci. Libri scripti habent *Polydamantes in armis;* unde Itali fecere *sub armis.* Burmannus recte notat, *sub armis* omnes Graecos pariter ac Trojanos fuisse: sed *sine armis* nec Polydamas fuit, ipse testis sibi Iliad. *M*, 7.

Exiguo sermone fores nunc, Ilion, et tu
Troja, bis Oetaei numine capta dei.
Nec non ille tui casus memorator Homerus
Posteritate suum crescere sensit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes;
Illum post cineres auguror ipse diem.
Ne mea contemto lapis indicet ossa sepulcro,
Provisum est, Lycio vota probante deo.
Carminis interea nostri redeamus in orbem;
Gaudeat in solito tactà puella sono.
Orphea delinisse feras et concita dicunt
Flumina Threïcia sustinuisse lyra.

V. 34. sentit. 40. ut. 41. Orpheu, te duxisse. 42. detinuisse.

Αὐτοὶ δὲ πρυλέες σὺν τεύχεσι θωρηχθέντες
Ἕκτορι πάντες ἑπώμεθ' ἀολλέες.

Repono:

Deiphobumque, Helenumque, et Polydamanta, ET IN armis
Qualemcumque Parin vix sua nosset humus.

Ignoti forent, inquit, Deiphobus et Helenus et Polydamas et ille in armis qualisqualis Paris. *Qualemcumque in armis* adjective dicit eum, qui strenuusne an imbellis fuisset, nemini etiam notum foret. Ita eleg. 21, 16.

Qualiscumque *mihi tuque puella vale.*

34. CRESCERE SENTIT OPUS] *Sentit* etiamnunc, vel apud inferos; ita Broukhusius ex uno Heinsiano. Caeteri SENSIT, nempe jamdudum.

40. GAUDEAT UT SOLITO] Scripti, ni fallor, omnes *insolito*. Burmannus docte et vere:

Gaudeat IN *solito tacta puella sono.*

Sic libro II, 4, 28.

Gaudeat in *puero*, *si quis amicus erit.*

et V, 8, 63.

Cynthia gaudet in *exuviis victrixque recurrit.*

41. ORPHEU, TE] Rectissime Muretus et Scaliger haec, quae sequuntur, cum superioribus conjunxere, quos Vulpius potius sequi debuit, quam exemplaria Gryphiana et Dousica, in quibus ab hoc versu novi carminis initium fit. Nam cum a disticho praecedente (*Carminis interea*) cum libris scriptis carmen ordiri non possimus, multo minus ab hoc altero (*Orpheu, te*) possumus, quo illud proximum illustratur.

41. ORPHEU, TE DUXISSE. 42. DETINUISSE] Primus Brouk-

Saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem
  Sponte sua in muri membra coisse ferunt.
Quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna
  Ad tua rorantis carmina flexit equos.
Miremur, nobis et Baccho et Apolline dextro,
  Turba puellarum si mea verba colit?
Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis,
  Nec camera auratàs inter eburna trabes,
Nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas,
  Non operosa rigat Marcius antra liquor:
At Musae comites, et carmina cara legenti,
  Et defessa choris Calliopea meis.
Fortunata, meo si qua est celebrata libello!
  Carmina erunt formae tot monumenta tuae.

V. 55. es.

husius dedit *duxisse*, calide nimis, de conjectura Heinsii. Libri habent *Orphea detinuisse feras*, in minore versu nonnulli iterum *detinuisse*, sed plerique *sustinuisse*. Hoc posterius sine controversia verum est, in versu longiore latet mendum. Felicior hic quam alibi Chr. Fr. Ayrmannus veram lectionem solus vidit. Repone:

> ORPHEA DELINISSE *feras, et concita dicunt*
> *Flumina Threïcia* SUSTINUISSE *lyra.*

Horatius epist. II, 3, 393. de Orpheo:

> *Dictus ob hoc lenire tigris rabidosque leones.*

Ovidius metam. XI, 162.

> *Barbaricoque Midan (aderat nam forte canenti)*
> Carmine delinit.

Fuit, qui hoc non contentus reponeret: *Orpheu, te lenire feras.* Sed *Orpheu te* praeter paucos Italicos libri nulli agnoscunt.

53. ET CARMINA CARA LEGENTI] In Groningano, D'Orvilliano secundo et apud Latinum Latinium, *carmina* grata *legenti*; quod aut verius est, aut certe rectius. Nam ei potius cara erunt, qui legerit, quam legenti. Quin ipse Propertius confirmat III, 30, 81.

> *Non tamen haec ulli venient* ingrata legenti.

55. SI QUA ES CELEBRATA] Scripti habent, *si qua est:*

> *Fortunata, meo si qua* EST *celebrata libello;*
> *Carmina erunt formae tot monumenta tuae.*

Bene, sive eis, quae ad eleg. XII, 42. dicturi sumus, seu potius dictis libro III, 21, 10. tueri velis.

Nam neque Pyramidum sumtus ad sidera ducti,
Nec Jovis Elei caelum imitata domus,
Nec Mausolei dives fortuna sepulcri
Mortis ab extrema conditione vacant.
Aut illis flamma aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quaesitum nomen ab aevo
Excidet; ingenio stat sine morte decus.

II.

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos et regum facta tuorum
Tantum operis nervis hiscere posse meis;
Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
Unde pater sitiens Ennius ante bibit,
Et recinit Curios fratres et Horatia pila,
Regiaque Aemilia vecta tropaea rate,
Victricesque moras Fabii, pugnamque sinistram
Cannensem et versos ad pia vota deos,
Hannibalemque Laris Romana sede fugantis,
Anseris et tutum voce fuisse Jovem:
Cum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
Sic ait, aurata nixus ad antra lyra:
Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
Carminis heroi tangere jussit opus?
Non hic ulla tibi speranda est fama, Properti:
Mollia sunt parvis prata terenda rotis,
Ut tuus in scamno jactetur saepe libellus,
Quem legat exspectans sola puella virum.

V. 58. Elaei. 17. hinc.

II. [III.]

17. NON HINC ULLA] Ita primus in editione altera Volscus. Libri scripti:

Non HIC ulla tibi speranda est fama, Properti.

Neque id minus rectum est, quam I, 7, 9.

Hic mihi conteritur vitae modus; haec mea fama est.

Cur tua praescripto sevecta est pagina gyro?
  Non est ingenii cumba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas;
  Tutus eris: medio maxima turba mari est.
Dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno,
  Qua nova muscoso semita facta solo.
Hic erat adfixis viridis spelunca lapillis,
  Pendebantque cavis tympana pumicibus.
Ergo hic Musarum et Sileni patris imago
  Fictilis, et calami, Pan Tegeaeë, tui;

V. 21. praescriptos evecta — gyros? 29. hic *abest.*

21. PRAESCRIPTOS EVECTA EST PAGINA GYROS] Sic Lipsius et Scaliger, caeteris nimis secure probantibus. Quis enim ita locutus est, *evehi gyros*, pro, ex gyris, vel extra gyros? Potior est scriptura codicum:

Cur tua PRAESCRIPTO SEVECTA *est pagina* GYRO?

etsi nemo praeter nostrum isto vocabulo *sevehi* usus sit, quod nihilo pejus est quam *seduci.* Caeterum *praescripto* hic olim editur: Burmannus ex suis, uno demto, affert *proscripto;* noster habet, *perscripto sevecta est pagina uiro,* littera *g* super *uiro* ab eadem manu ascripta.

29. ERGO MUSARUM] Novam hic viri docti particulae *ergo* significationem affingunt, *tum* vel *deinde.* Nova enim ista est et ignota antiquis scriptoribus, quibus eam tribuunt. Nam apud nostrum I, 1, 15. vulgo interpunctio male instituitur; nos illum locum cum interrogatione ita scriptum dedimus:

Ergo *velocem potuit domuisse puellam?*
Tantum in amore preces et benefacta valent?

Personati Albinovani versui in elegia in obitum Maecenatis 114. (Anthol. Lat. T. I. p. 277.) eadem ratione jam subvenit Petrus Pithoeus in Epigr. veter. pag. 223. editionis Genev. 1596. (quae editio a Burmanno ignorata penes me est, titulo tantum ab altera Genevensi 1619. differens):

Redditur arboribus florens revirentibus aetas:
Ergo *non homini, quod fuit ante, redit?*

Apud Virgilium ecl. V, 58.

Candidus insuetum miratur limen Olympi
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
Ergo *alacris silvas et caetera rura voluptas*
Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.

ergo pro ideo positum esse videtur. Apud eumdem Aen. VI, 384. postquam

Et Veneris dominae volucres, mea turba, columbae
Tinguunt Gorgoneo punica rostra lacu;

His dictis curae emotae, pulsusque parumper
Corde dolor tristi, —
Ergo *iter inceptum peragunt fluvioque propinquant.*
ubi non differt ab *igitur*, quod et ubique illi substitui potest, non autem vice versa *ergo* pro *igitur*, usu vetante; ne credas viris doctis, *ergo* potuisse locum habere in hoc versu Plauti, quem Broukhusius affert:
Jam ubi liber ero, igitur *demum instruam agrum, aedes, mancipia.*
Sed in nostro loco *ergo* haud dubie ita positum est, ut et alibi saepissime, cum id, de quo dictum jam est, uberius exponitur. Quam ob rem hic scribendum est:
Ergo HIC *Musarum et Sileni patris imago*
Fictilis et calami, Pan Tegeaeē, tui.
Nam verbum substantivum omitti in talibus non potest, nisi ita fiat, ut alibi lateat, tamquam hoc loco in particula *hic.* Ita scilicet latet cum in multis aliis bonorum scriptorum locis, tum in difficili loco Virgilii ecl. I, 54.
Hinc, *tibi quae, semper vicino ab limite saepes*
Hyblaeis apibus florem depasta salicti,
Saepe levi somnum suadebit inire susurro.
Ita cape: Hinc saepis est, quae tibi saepe levi susurro somnum inire suadebit. Caeterum *imaginem* Musarum pro imaginibus ne mirere, sic supra versu 13. *arbor* erat pro arboribus vel luco:
Cum me Castalia speculans ex arbore Phoebus.
Ita *virgo* pro virginum turba Silio II, 84.
nec non Veneris jam foedera passi
Reginam circum, sed virgine *densior ala est.*
Apud Tibullum I, 3, 87. Vulpius nisi vere (nam doctissimus Huschkius negat), certe non male *puellam* collective accipit:
Ac circa gravibus pensis affixa puella
Paullatim somno fessa remittat opus.

31. ET VENERIS DOMINAE VOLUCRES, MEA TURBA, COLUMBAE] Joannes Passeratius legendum conjecit *mea cura columbae*, ut apud Virgilium ecl. I, 58.
Nec tamen interea raucae, tua cura, *palumbes,*
Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.
Sed quomodo hae sacrae Veneris columbae in Helicone cura Propertii esse possunt, ut illi palumbes pastoris Tityri? Verum tamen est, non magis apparere, quo jure illas columbas *suam turbam* appellet. Haec enim formula quid significet, ex

Diversaeque novem sortitae rura puellae
Exercent teneras in sua dona manus.

locis subjectis patebit. Ovidius trist. I, 5, 34.

Vix duo tresve mihi de tot superestis amici:
Caetera Fortunae, *non* mea turba *fuit.*

Idem art. amat. III, 811.

Ut quondam juvenes, sic nunc mea turba *puellae*
Inscribant spoliis: Naso magister erat.

ubi Burmannus ad nostrum locum *mea cura* praefert, sed frustra, docente Tibullo I, 4, 80.

Tempus erit, cum me Veneris praecepta ferentem
Deducat juvenum *sedula* turba *senem.*

Porro Claudianus sive alius de laudibus Herculis v. 7. ad Phoebum:

namque tuam *non nunc novus incola* turbam
Ingredior.

ubi Heinsius *tuam rupem* vel *tuam Cirrham* legi vult: sed poëta se Musarum chorum inire dicit; has Apollinis turbam appellat, quomodo Ovidius poëtas Pieridum turbam esse ipsi Amori exprobrat amor. I, 1, 6.

Pieridum, *vates, non* tua turba, *sumus.*

Apud Statium silv. I, 2, 70. Cupidines ad matrem Venerem:

O genitrix; duro nec enim ex adamante creati,
Sed tua turba *sumus.*

Ex his omnibus, ni fallor, apparet, columbas illas haud paullo rectius hic Veneris turbam dictum iri quam Propertii. Quid tamen dederit auctor, difficile dictu est, cum plura pari nec nimis magna verisimilitudine conjectari possint, v. c. *sacra turba*, vel *pia turba*, et alia. Verissimum tamen fortasse fuerit: *Veneris dominae volucres,* sua *turba,* id est, propria Veneri turba. Caeterum Groninganus ab initio versus pro *Et* exhibet *Ut*, quod fortasse non est de nihilo. Nam *ut* pro ubi veteres in loci quoque significatione usi sunt. Catullus XI, 3.

Sive ad extremos penetrabit Indos,
Litus ut *longe resonante Eoa tunditur unda.*

Idem XVII, 10.

Verum totius ut *lacus putidaeque paludis*
Lividissima maximeque est profunda vorago.

Virgilius Aen. V, 329.

levi cum sanguine Nisus
Labitur infelix, caesis ut *forte juvencis*
Fusus humum viridesque super madefecerat herbas.

Germanicus (sive Drusus sit, seu Domitianus, Propertio certe non antiquior) in phaenom. 232.

Sed quaerendus erit zonae ratione micantis
Andromedae; terit hic summi divortia mundi,

Haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis
 Aptat, at illa manu texit utraque rosam.
E quarum numero me contigit una dearum;
 Ut reor a facie, Calliopea fuit:
Contentus niveis semper vectabere cycnis,
 Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi sit rauco praeconia classica cornu
 Flare, neque Aonium cingere Marte nemus,

V. 37. sororum. 40. Non. 41. praetoria. 42. nec.

> Ut *chelae, candens* ut *baltheus Orionis.*

Aratus enim habet:

> *Μεσσόθι δὲ τρίβει μέγαν οὐρανὸν, ἧχί περ ἄκραι*
> *Χηλαὶ καὶ ζώνη περιτέλλεται Ὠρίωνος.*

Quid, quod ipse Propertius ita fortasse scripsit libro I, 19, 1.

> *Haec certe deserta loca et taciturna querenti,*
> Ut *vacuum Zephyri possidet aura nemus.*

Certe ibi particula *et* nihil suavitatis habet, nec placet *hoc* ex Guyeti libro enotatum.

37. UNA SORORUM] Libri omnes Heinsiano meliores:

> *E quarum numero me contigit una* DEARUM.

Majorem excusationem haec consonantia habet, quam eae, quas ad librum I, 18, 5. commemoravimus, cum tam multae syllabae interjectae sint et haec verba *E quarum* quasi unius vocabuli instar esse possint, cujus prima syllaba sub ictu posita est.

40. NON TE] Lege NEC. Est error typographi Burmanniani.

41. NIL TIBI SIT RAUCO PRAETORIA CLASSICA CORNU FLARE] Singula fere verba hic dubitationi obnoxia sunt. Primum Fruterius ac Fred. Gronovius observ. III, 3. pag. 449. reponunt, *Nec tibi sit;* Passeratius, Guyetus, Fontenius, Huschkius epist. critic. p. 61. *Ne* vel *Ni tibi sit.* Miror; cum repugnent futura *vectabere* et *canes* v. 39. et 48. *Nil tibi sit* idem fere sonat, quod dicit noster libro V, 1, 142. *Nil erit hoc.* Quid isto conjunctivi usu vulgatius est, de quo ad I, 6, 23. monuimus? Ita et illud intellige III, 3, 8.

> *Tunc ego* sim *Inachio notior arte Lino.*

In hac enim aemulationis significatione futurum saepe ponitur, Homeri exemplo:

> *Ἀνδράσι δὲ προτέροισιν ἐριζέμεν οὐκ ἐθελήσω.*

Sic libro III, 14, 34. liber Groninganus:

> *Hic ego Pelides, hic ferus Hector* ero;

quod si quis praefert, non obnitor. Porro in nostro versu Beroaldus primo dedit *praetoria classica; Legimus,* inquit,

Aut quibus in campis Mariano praelia signo
 Stent, et Teutonicas Roma refringat opes,
Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus
 Saucia maerenti corpora vectet aqua.

in codice reverendae vetustatis, praetoria classica, quae lectio mihi inprimis placet. De illa codicis sui reverenda vetustate ipse viderit: certe omnes caeteri, quotquot aliis visi sunt, habent PRAECONIA *classica.* Hoc revocandum censeo; nam recte ita victoriarum navalium laudes dici possunt, ut *classica bella* II, 1, 28. *Flare* autem *praeconia* (ita Janus Dousa pro eo, quod habent libri omnes, *flere*) rectissime: ita Gellius N. A. I, 2. *Has ille inanes cum* flaret glorias, *jamque omnes finem cuperent.* Sed hic flabat ore, Propertius cornu, ut Martialis XIII, 3.

At quam victuras poteramus pangere chartas,
 Quantaque Pieria praelia flare tuba.

At Ponticus non potuit
 grave dicere carmen,
Atque Amphioniae moenia flare *lyrae,*

quod Burmanno visum est, apud Propert. I, 10, 10., lectionem *flere* vindicante ibi auctore elegantissimi carminis in Anthologia Lat. III, 192.

Non deerit, Priamum qui defleat, *Hectora narret:*
Ludere, Musa, juvat: Musa severa, vale.

et Martiale VIII, 55, 20.

Qui modo vix Culicem fleverat *ore rudi.*

Quid, quod apud ipsum Propertium legitur IV, 8, 27.

Nec flebo *in cineres* arcem *sidisse paternos*
 Cadmi.

Caeterum *hiare* vel *hiscere* oris modo humani est, non lyrae; *hiscere* enim dicere significat. Recte igitur Persius Sat. V, 3.

Fabula seu maesto ponatur hianda *tragoedo.*

et Propertius III, 27, 6.

Hic quidam visus Phoebo mihi pulchrior ipso
 Marmoreus tacita carmen hiare *lyra.*

Turbavit viros doctos nostri carminis versus 4.

Tantum operis nervis hiscere *posse meis.*

quo dicit, ut opinor, nimium opus esse fidibus suis, si carmina epica canere velit.

45. BARBARUS AUT SUEVO] Ita Beroaldus anno MCCCCLXXXVII., *quamvis,* ut ait, *in multis codicibus scriptum sit, saevo sanguine.* Anno proximo Volscus in editione altera et ipse dedit *Suevo*, hoc annotans: *Saevo: placet emendes Suevo.* Sed uterque Italos priores secutus est; nam *Suevo* ex quatuor Italicis enotatur: caeteri omnes habent *saevo.* Post paullo Marklandus Burmanno consentiente tentat:

Nocturnasque *canes ebria signa* faces.

Quippe coronatos alienum ad limen amantis,
Nocturnaeque canes ebria signa fugae,
Ut per te clausas sciat excantare puellas,
Qui volet austeros arte ferire viros.
Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis
Ora Philetaea nostra rigavit aqua.

III.

Arma deus Caesar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna, viri, merces: parat ultima terra triumphos;
Tigris et Euphrates sub sua jura fluent;
Sera, sed Ausoniis veniet provincia virgis;
Adsuescent Latio Partha tropaea Jovi.
Ite, agite, expertae bello date lintea prorae,
Et solitum armigeri ducite munus equi.

V. 52. Philetea. 3. viae. 5. Seres et A. venient.

Sed recte habent *Nocturnae ebria signa fugae.* Quid significetur, tamen nemo non intelligit. Meleager epigr. LXIV.

Ἄστρα καὶ ἡ φιλέρωσι καλὸν φαίνουσα σελήνη,
Καὶ Νὺξ, καὶ κώμων σύμπλανον ὀργάνιον.

III. [IV.]

3. MAGNA VIAE MERCES] Pulcherrima Nicolai Heinsii emendatio: codicum scriptura *Magna viri merces* improbanda foret, etiamsi *deus Caesar* non praecessisset. Barthius autem inepte prorsus cavillatur: „quasi vero *heros* non simul *deus* et „*vir* sit." Nihilominus illa omnium codicum lectio, interpunctione mutata, optime se sustinebit:

Magna, VIRI, *merces: parat ultima terra triumphos.*

Milites cum Caesare profecturos alloquitur, ut post paullo:

Ite agite, *expertae bello date lintea prorae.*

Sed ita quidem in minore versu Broukhusii emendatio retinenda est:

Tigris et Euphrates sub sua *jura fluént.*

Nam si *viae merces* scribimus, *tua jura*, quod habent libri, tueri poteris iis, quae dicentur ad eleg. XII, 42. *Sua* autem *jura* intelliges debitam ditionem; nam Broukhusius ipse male interpretatur.

5. SERES ET AUSONIIS VENIENT] Pulchrum hoc quoque Jani Gulielmii et Nicolai Hein-

Omina fausta cano: Crassos clademque piate;
Ite, et Romanae consulite historiae.
Mars pater et sacrae fatalia lumina Vestae,
Ante meos obitus sit, precor, illa dies,
Qua videam spoliis oneratos Caesaris axes,
Ad volgi plausus saepe resistere equos,

V. 9. cladesque. 13. onerato C. axe.

sii commentum est. Sed hic quidem Barthius recte judicat, veram esse librorum omnium lectionem:

SERA, SED *Ausoniis* VENIET *provincia virgis.*

Ultima terra, inquit, sera fiet provincia, sed fiet tamen. Ne te elegantiae species, quam illa emendatio praebet, decipiat, Passeratium et Vulpium adi, qui verum hujus versiculi sensum ante Barthium aperuerunt.

9. CRASSOS CLADESQUE PIATE] Rectius paullo Groning. Neapolit. Bonon. cum sex aliis CLADEMQUE *piate.*

13. SPOLIIS ONERATO CAESARIS AXE] Ita primus Muretus. Sed potest servari, quod habent scripti:

Qua videam spoliis ONERATOS *Caesaris* AXES,
Ad vulgi plausus saepe resistere equos.

deficiente copula, quam hic poëta in talibus aliquoties omittit, ut in secundo horum versuum IV, 8, 53.

Prosequar et currus utroque ab litore ovantes,
Parthorum astutae tela remissa fugae,
Claustraque Pelusi Romano subruta ferro,
Antonique graves in sua fata manus.

Sed quae sequuntur, majorem habent a constructionis duritie offensionem:

Inque sinu carae nixus spectare *puellae*
Incipiam *et titulis* oppida capta legam,
Tela *fugacis equi, et braccati militis* arcus,
Et subter captos *arma sedere* duces.

Quae ne quis sollicitet, duriore sunt ista IV, 2, 41.

Nil tibi sit rauco praeconia *classica cornu*
Flare, *neque Aonium* cingere *Marte nemus,*
Aut (*flare*), *quibus in campis Mariano praelia signo*
Stent, et Teutonicas Roma refringat opes.

Paria nostro loco habes IV, 5, 11—13. et apud Ovidium amor. III, 14, 31—34.; quae ne mireris, apud poëtas nostrates talia sine offensione legimus:

Lass *mich der neuen freiheit geniessen,*
Lass *mich ein kind sein*, sei es mit,
Und auf dem grünen teppich der wiesen

Inque sinu carae nixus spectare puellae
  Incipiam et titulis oppida capta legam,
Tela fugacis equi, et braccati militis arcus,
  Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam serva prolem Venus; hoc sit in aevom,
  Cernis ab Aenea quod superesse caput!
Praeda sit haec illis, quorum meruere labores:
  Me sat erit Sacra plaudere posse Via.

IV.

Pacis Amor deus est; pacem veneramur amantes:
  Sat mihi cum domina praelia dura mea.

V. 16. Incipiam, et t. 22. Mi. — Eleg. IV. *Burm.* *III*, 23 *sqq*. V. 2. (24.) Stant.

Prüfen den leichten geflügelten schritt.

et,

Meine ruh' ist hin,
Mein herz ist schwer,
Ich finde sie nimmer
Und nimmer mehr.

22. MI SAT ERIT] Optime, nisi in libris melioribus esset alia lectio non minus bona:

ME *sat erit Sacra plaudere posse Via.*

Ita praeter alios Groning. Neapol. Mentel. Bonon. Guarn.

IV. [V.]

Hoc carmen Muretus et Scaliger, nullo, quod sciam, codice consentiente, cum superiore conjunxerunt; quibus si multi accedent, non equidem mirabor. Differunt tamen paullum indole sua: in hoc cum querela reprehendit (v. 7—18.), quod in illo (v. 3 — 10.) magnificis laudibus extollit.

2. STANT MIHI CUM DOMINA PRAELIA DURA MEA] Idem loquendi genus erat in eleg. II, 44

Aut quibus in campis Mariano praelia *signo*
  Stent, *et Teutonicas Roma refringat opes.*

ubi dubitant interpretes, gesta bella an composita intelligant. Sed in illo quidem loco praelia commissa videtur dicere, ut Silius IV, 276.

Ut jussae cessere retro spatiumque dederunt
Hinc atque hinc alae, et medio stetit *aequore* pugna.

quod et Graeci confirmant, cum dicunt ἔριν στήσαντες ἐν αὐτοῖς, et apud Sophoclem Oedip. R. 699.

Πρὸς θεῶν, δίδαξον κἄμ', ἄναξ, ὅτου ποτὲ
Μῆνιν τοσήνδε πράγματος στήσας ἔχεις.

Nec tantum inviso pectus mihi carpitur auro,
  Nec bibat e gemma divite nostra sitis,
Nec mihi mille jugis Campania pinguis aretur,
  Nec miser aera paro clade, Corinthe, tua.

V. 3. (25.) Non tamen. 4. (26.) bibit. 5. (27.) aratur.

Quin Thucydides I, 23. habet ἐξ ὅτε τοσοῦτος πόλεμος Ἕλλησι κατέστη, quomodo et alibi et in ipso operis initio πόλεμον καθισάμενον dicit, quamquam imitator apud Lucianum de conscribenda historia ξυνισάμενον mavult dicere. Sed in nostro quidem loco cohaerentiam vide, quae nulla est: *Pacem veneror; dura mihi cum domina bella sunt; nec tam avarus sum, ut militari velim.* Quis haec ita juncta capiat? Lege vero cum Johanne Livinejo ac Nicolao Heinsio:

> SAT *mihi cum domina praelia dura mea.*

Satis dura sibi haec bella esse profitetur, ut novorum laborum nulla cupido sit.

3. NON TAMEN INVISO] Iterum sententiarum connexio laborat:

> *Sat mihi cum domina praelia dura mea.*
> *Non* tamen *inviso pectus mihi carpitur auro.*

Quamquam dura mihi mea puella sit, quamquam pacem venerer, *tamen* avarus non sum. Repono:

> NEC TANTUM *inviso pectus mihi carpitur auro.*

Non tam avarum se esse dicit, ut opum congerendarum causa militiam optet. *Nec* habent scripti omnes praeter Groninganum. *Tamen* et *tantum* ubique confunduntur; nec mirum, cum illud scribatur *tn̄*, hoc *tm̄*.

4. NEC BIBIT E GEMMA DIVITE NOSTRA SITIS, NEC MIHI MILLE JUGIS CAMPANIA PINGUIS ARATUR] Nihil est, cur illa multum admiremur, quae sententiarum ordinem incongrue prorsus et subabsurde interrumpunt. Vide enim illis omissis caetera:

> *Nec tantum inviso pectus mihi carpitur auro, —*
> *Nec miser aera paro clade, Corinthe, tua.*

Avarum se pernegat. Quid vero in mediis his, *Nec bibit, Nec mihi* etc.? Pauperem se profitetur, neque supellectile pretiosa nec latifundiis abundantem. Quid hoc ad rem? Quid, quod ea re commemoranda ipse continentiam suam vix veram esse arguit. Repone igitur:

> *Nec tantum inviso pectus mihi carpitur auro,*
> *Nec* BIBAT *e gemma divite nostra sitis,*
> *Nec mihi mille jugis Campania pinguis* ARETUR,
> *Nec miser aera paro clade, Corinthe, tua.*

ut omnibus hisce versibus ava-

O prima infelix fingenti terra Prometheo!
 Ille parum cauti pectoris egit opus.
Corpora disponens mentem non vidit in arte.
 Recta animi primum debuit esse via.
Nunc maris in tantum vento jactamur, et hostem
 Quaerimus, atque armis nectimus arma nova.
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
 Nudus ad infernas, stulte, vehere rates.
Victor cum victis pariter miscebimur Indis;
 Consule cum Mario, capte Jugurtha, sedes;
Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro.
 Optima mors, Parcae quae venit acta die.

V. 14. (36.) ab inferna — rate. 18. (40.) parca — apta.

rum se et opum appetentem neget.

14. AB INFERNA, STULTE, VEHERE RATE] Sic Itali in variis codicibus apud Beroaldum, Scaligerum, Burmannum. Quod cum Latinitatem non ferre videret, Joh. Schraderus amplius emendavit:

Nudus at *inferna, stulte, vehere rate.*

At vero libri genuini omnes aliud habent:

Nudus AD INFERNAS, *stulte, vehere* RATES,

quod est verissimum. Nam duas apud inferos rates esse, etiam libro IV. elegia VII. narrat, sive ipse ita finxerit, sive a Graeco aliquo poëta sumserit.

15. MISCEBIMUR INDIS] Ex certissima Jani Gulielmii emendatione. Groninganus *miscebimur undis.* Caeteri habent fere *miscebitur umbris*; pauci *miscebitur undis*: *miscebimur umbris* Commelinianus.

18. PARCA QUAE VENIT APTA DIE] *Parca dies*, si Scaligero fides, est ἡ πεπρωμένη ἡμέρα, quia glossae veteres *Parcam* τὴν πεπρωμένην interpretantur. At scilicet *Parcam* pro fato dicunt, τῇ πεπρωμένῃ· *Parcam diem*, κῆρα ἡμέραν, nemo dicere potest. Praeterea *apta mors* quae sit, nemo facile expediet. Repone:

Optima mors, PARCAE *quae venit* ACTA *die.*

Acta est in Neapolitano, Palatino, Bononiensi ac duobus Vaticanis. Firmat Propertius mox eleg. VI, 30.

Ista per humanas mors venit acta *manus.*

Parcae autem *dies* est dies fatalis, destinata morti. Virgilius Aen. XII, 149.

Nunc juvenem inparibus video concurrere fatis;
Parcarumque dies *et vis inimica propinquat.*

Me juvet in prima coluisse Helicona juventa,
Musarumque choris inplicuisse manus;
Me juvet et multo mentem vincire Lyaeo,
Et caput in verna semper habere rosa.
Atque ubi jam Venerem gravis interceperit aetas,
Sparserit et nigras alba senecta comas,
Tum mihi Naturae libeat perdiscere mores,
Quis deus hanc mundi temperet arte domum;
Qua venit exoriens, qua deficit, unde coactis
Cornibus in plenum menstrua, Luna, redit;
Unde salo superant venti; quid flamine captet
Eurus, et in nubes unde perennis aqua;
Si ventura dies, mundi quae subruat arcis;
Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas;
Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi,
Solis et atratis luxerit orbis equis;
Cur serus versare boves et plaustra Bootes;
Pleïadum spisso cur coit igne chorus;

V. 19. 21. (41. 43.) juvat. 27. (49.) deficit: 36. (58.) imbre.

31. SI VENTURA. 39. SI JURA] Codices tantum non omnes *Sit ventura dies* et *Sint jura deum*, corrupte. At versu 24. *Sparserit et nigras* praeter aliquot Italicos Bononiensis habet: caeteri plerique *Sparserit integras*, vel *Sparsit et integras*; Neapolitanus *Sparserit et integras*.

36. PLEÏADUM SPISSO CUR COIT IMBRE CHORUS], *Spisso imbre* Nicolaus Heinsius invenit, hoc sensu, cum spissus imber est; ne F. G. Barthium audias cum cavillatione quaerentem, an stellae constent et efficiantur aqua et imbre. Melius tamen est, ut retineamus, quod scripti omnes habent;

Pleïadum spisso cur coit IGNE *chorus.*

Hoc est, Quid sibi velint Pliades, quid efficiant, spisso et conferto stellarum choro coëuntes. Similiter de via lactea Manilius I, 753.

Anne magis densa stellarum turba corona
Contexit flammas, *et crasso lumine candet?*

Proxime accedit nostro Germanicus, de eisdem Vergiliis loquens, phaenom. 256.

brevis *et* locus *occupat omnes;*
Nec faciles cerni, nisi quod coëuntia *plura*
Sidera communem *ostendunt ex omnibus* ignem.

Curve suos finis altum non exeat aequor,
Plenus et in partis quattuor annus eat;
Sub terris si jura deum et tormenta Gigantum;
Tisiphones atro si furit angue caput;
Aut Alcmaeoniae furiae aut jejunia Phinei;
Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas;
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus, et Tityo jugera pauca novem;
An ficta in miseras descendit fabula gentis,
Et timor haud ultra quam rogus esse potest.
Exitus hic vitae superet mihi! vos, quibus arma
Grata magis, Crassi signa referte domum.

V.

Dic mihi de nostra, quae sentis, vera puella;
Sic tibi sint dominae, Lygdame, demta juga.
Num me laetitia tumefactum fallis inani,
Haec referens, quae me credere velle putas?
[Omnis enim debet sine vanis esse relator,
Majoremque metu servus habere fidem.]

V. [VI.]

3. NUM ME] Sic libri aliquot Italici; recte. Neapolitanus *Non*, caeteri *Dum*.

5. OMNIS ENIM DEBET etc.] Hoc distichon spurium esse et alium quam caetera auctorem habere, multis indiciis manifestum fit. Primum cum prioribus per particulam *enim* male conjungitur; tum oratio minus culta et elegans; tota sententia vero non otiosa solum est, quaeque de domina sua aliquid scire festinantem non deceat; sed et aperte falsa, cum neque omnes nuntios vera referre oporteat; nec Propertius a Cynthiae servo, ut sibi fidus sit, postulare possit; nec Lygdamo quicquam metuendum sit, si, quid agat Cynthia, narret. Praeterea magnum suspicioni pondus insignis lectionis varietas addit. Nam in versu majore quatuor codices confirmant lectionem, quam Volscus dedit anno MCCCCLXXXVIII, *Sine vanis esse relator:* caeteri omnes, *Sine vano nuntius esse.* Pentameter a Mureto ita est constitutus, *Majoremque metu*, cum in suo codice a prima manu invenisset scriptum, *Majoremque metuens:* libri caeteri universi,

Majoremque timens *servus* (Neapol. *serus*) *habere fidem*,

Nunc mihi, si qua tenes, ab origine dicere prima
 Incipe; suspensis auribus ista bibam.
Siccine eam incomtis vidisti flere capillis?
 Illius ex oculis multa cadebat aqua?
Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto,
 Ornabat niveas nullane gemma manus? —
At maestam teneris vestem pendere lacertis,
 Scriniaque ad lecti clausa jacere pedes?
Tristis erat domus, et tristes sua pensa ministrae
 Carpebant, medio nebat et ipsa loco,
Humidaque inpressa siccabat lumina lana,
 Rettulit et querulo jurgia nostra sono?
Haec te teste mihi promissa est, Lygdame, merces?
 Est poenae servo rumpere teste fidem.
Ille potest nullo miseram me linquere facto!
 *Aequalem nulla dicere habere domo!

V. 13. Ac. 22. Ac qualem.

quod uti paene caret sensu, ita hujus distichi auctorem fortasset non dedecet.

9. SICCINE EAM] Verissima lectio a Mureto, ni fallor, reposita. Priores et scripti, ut videtur, omnes *Sicut eam*. Neapolitanus aut *Si eam* aut *Si causa incomptis*; scis enim, ista una tantum littera differre, quae hic dignosci nequit, *ēā*, *c̄a.* Obiter emendamus locum Taciti annal. I, 27., in quo Gronovii explicatio non satisfacit: *Postremo deserunt tribunal; ut quisque praetorianorum militum amicorumve Caesaris occurreret, manus intentantes*, causam discordiae, *et initium armorum*. Pro *c̄a* repono *iā*: *Manus intentantes; jam discordiae, et initium armorum.*

13. AC MOESTAM] Groninganus et Mentelianus cum tribus Gebhardi AT *maestam;* quod praeferent, quibus accurata oratio placet. Neapolitanus *Acuestam teneris vestem* habet, non *vectam*, ut Burmannus narrat.

22. AC QUALEM NULLA DICERE HABERE DOMO] Id est, *Ille potest dicere se habere domi suae amicam, qualem in nulla domo alius habere possit.* Ita duram hanc et hiulcam orationem ipse Scaliger interpretatur, a quo est illud *Ac qualem.* Libri omnes habent *Aequalem.* Id tuetur ὁ δεῖνα, hunc esse sensum et cohaerentiam indicans: *Ille Propertius potest*

Gaudet me vacuo solam tabescere lecto!
  Si placet, insultet, Lygdame, morte mea.
Non me moribus illa, sed herbis inproba vicit.
  Staminea rhombi ducitur ille rota;
Illum turgentis ranae portenta rubetae
  Et lecta ex structis ignibus ossa trahunt,

V. 28. exsectis unguibus.

me linquere, nullo crimine commisso, et dicere, me rivalem nulla habere domo? non esse fraudes in amore ipsius? Nihil de caeteris dicam: illud est egregium, quod *aequalem* intelligit *rivalem Cynthiae.* Mihi, quomodo hic locus legi debeat, non sane certum videtur: sed in *dicere* latere vitium existimo, quod verbum hic librariorum oscitantia inculcari facile potuit, propter tot infinitivorum in eadem fere omnium horum versuum sede positorum viciniam, *Rumpere, Linquere, Habere, Tabescere.* Suspicor igitur, Propertium dedisse:

Ille potest nullo miseram me
linquere facto,
AEQUALEM *nulla* cui sit
habere domo?

Hoc est, Me, cui aequalem paremve puellam nulla domo reperire poterit; *sit* pro liceat posito, quem usum praeter alios optime illustravit Heinsius ad Ovidium art. amat. II, 28. Nunc video, simile quid Burmanno in mentem venisse, tentanti:

At qualem nulla possit habere domo.

28. ET LECTA EXSECTIS UNGUIBUS OSSA TRAHUNT] Haec Broukhusius de conjectura dedit, oratione non nimis facili; nam ossa cum segminibus unguium e cadaveribus lecta intelligit. Melius Burmannus *Exsuccis unguibus*, et Mitscherlichius ad Horat. epod. V, 20. *Exsertis unguibus;* nisi quod utrumque digitis melius, quam manibus, convenit. Codices vero universi non *unguibus* habent, sed *anguibus:*

Et lecta exsectis anguibus
ossa trahunt.

Jam veneno carere angues constat, nisi quod Propertio idem licebat, quod Manilio II, 44.

Ille venenatos angues, *hic*
gramina et herbas
Fata refert vitamve sua radice ferentes.

Exsecta autem anguium ossa a veneficis ad amorem conciliandum adhibita esse, nullo indicio cognoscimus. Porro autem et alibi et in Propertii codice Groningano pro *ignes* saepe scribitur *ingues*, ut et hic aliquis *angues* illos, quibus locus non est, ex *inguibus* natos esse suspicari possit. Ita Heinsio visum est, qui voluit *ex seris*

Et strigis inventae per busta jacentia plumae,
  Vinctaque funesto lanea vitta toro.
Si non vana canunt, mea, Lygdame, somnia testor:
  Poena erit ante meos sera, sed ampla, pedes;
Putris et in vacuo texetur aranea lecto;
  Noctibus illorum dormiet ipsa Venus.
Quae tibi si veris animis est questa puella,
  Hac eadem rursus, Lygdame, curre via,
Et mea cum multis lacrimis mandata reporta,
  Iram, non fraudes esse in amore meo,
Me quoque consimili inpositum torquerier igni
  Jurabo, et bis sex integer esse dies.

V. 30. Cinctaque.

ignibus; male tamen, cum ignes rogales *seri* non possint dici, nisi hominis defuncti respectu habito. Rectius Marklandus *ex atris ignibus;* sed nulla cum veri specie. Repono:

Illum turgentis ranae portenta rubetae
  Et lecta EX STRUCTIS IGNIBUS *ossa trahunt.*

Structi ignes, ut apud Ovidium trist. I, 3, 98.

Nec gemuisse minus, quam si nataeve meumve
  Vidisset structos *corpus habere* rogos.

Idem trist. III, 13, 22.

Funeris ara mihi ferali cincta cupresso
  Convenit et structis *flamma parata* rogis.

et libro IV, 10, 86.

Si tamen exstinctis aliquid nisi nomina restant,
  Et gracilis structos *effugit umbra* rogos.

Epist. XV, 116.

Non aliter, quam si gnati pia mater ademti
  Portet ad exstructos *corpus inane* rogos.

Exstructis in codicibus scribitur *ex*$\overset{u}{t}$*ctis*, littera *u* supra *t* notata: inde facili lapsu *exectis* factum, et caetera, quae hic e libris manu scriptis enotantur.

30. CINCTAQUE FUNESTO LANEA VITTA TORO] *Viro* est in codicibus, quod Heinsius bene correxit. Sed praetera scribe *Vinclaque*, vel potius VINCTAQUE cum eodem: vitta cingebatur torus, non toro vitta.

40. JURABO, ET BIS SEX] Binas constructiones in hoc loco conjunctas agnoscit Huschkius in nuperis ad Tibullum notis pag. 38.

Me *quoque consimili* impositum *torquerier igni*
  Jurabo, *et bis sex* integer esse *dies.*

Quod mihi si tanto felix concordia bello
Exstiterit, per me, Lygdame, liber eris.

VI.

Ergo sollicitae tu causa, pecunia, vitae es;
Per te inmaturum mortis adimus iter!
Tu vitiis hominum crudelia pabula praebes;
Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Paetum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit aevo,
Et nova longinquis piscibus esca natat;

Eleg. VI. *Burm. V.* Versus hoc ordine positi: 1—8. *tum* 55—66. (9—20.) 17—20. (21—24.) 9—16. (25—32.) 67—70. (33—36.) 25—34. (37—46.) 37. 38. 35. 36. (47—50.) 21—24. (51—54.) 39—42. (55—58.) 53. 54. (59. 60.) 47—52. (61—66.) 43—46. (67—70.) 71. 72.

Idem, ut interpunctio mutetur, suadere non vult. Neque ego hoc velim, si particula *et* retineatur. Sed eam cum boni codices multi ignorent, mirum sit, nisi alii vocabulo, quod forte fortuna omissum erat, substituta fuerit. Puto fuisse:

Jurabo hos *bis sex integer esse dies.*

Caeterum J. H. Vossius ad Tibull. I, 5, 81. pag. 199. lectionem hanc, *torquerier igni*, bene tuetur, male autem *imposito igni* legendum conjectat; vide Jacobsium ad antholog. Graec. II, 1. pag. 139.

41. QUOD MIHI SI TANTO] Codex Neapolitanus *Quod nisi* *i* *et tanto.* Illud *nisi* ex *msi* ortum est, quod pro *mihi si* scribi sollemne est, littera *i* supra *m* posita. Sed particula *et* ante *tanto* addita fortasse non est de nihilo. Ita enim, nisi fallor, Propertius scripsit:

Quod mihi si e tanto felix concordia bello
Exstiterit,

proprie magis et sensu minus obscuro. Sic Cicero pro Rosc. Amer. XXVII, 75. *In urbe luxuries creatur*, ex *luxuria* exsistat *avaritia necesse est, ex avaritia erumpat audacia.*

VI. [VII.]

In hoc carmine Scaliger insigni temeritate nullum fere versum eo, quo in libris scriptis haberetur, loco reliquit: sed, mirum, omnia transponendo nihil effecit, nisi ut mi-

Et mater non justa piae dare debita terrae,
Nec pote cognatos inter humare rogos:
Sed tua nunc volucres astant super ossa marinae;
Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare est.
Infelix Aquilo, raptae timor Orithyiae,
Quae spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
Portabat sanctos alveus iste viros.
Paete, quid aetatem numeras? quid cara natanti
Mater in ore tibi est? non habet unda deos.
Jam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
Omnia detrito vincula fune cadunt.
Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Quae notat Argynni poena, minacis aquae.

V. 12. mare. 19. Nam. 22. natantis aqua.

nus, quam antea, cohaererent. Nos veterem ordinem hic quoque reduximus, in quo nihil reprehendi potest ab iis, qui poëtas in ordinem cogere nolunt. Hoc tamen memineris, familiare Propertio esse a tertia persona ad secundam frequenter transire, quod aliis exemplis docebimus ad eleg. XII, 42.; idque teneram illam, quae in hoc carmine regnat, tristitiam optime decet.

9. ET MATER] Viri docti malunt *At* ex codice Groningano. Hoc ordo Scaligeranus necessario requirit: si libros scriptos sequimur, utraque particula recte habet.

12. OMNE MARE] Adde *Est* ex Neapolitano, Guarneriano et aliis, *Carpathium omne mare* EST. Regula posita est ad librum II, 6, 15.

15. AUT QUIDNAM FRACTA] Marklandus tentat *Quianam*. Sed aliud suadent praecedentia,

Quae *spolia ex illo* tanta *fuere tibi?*

Consentaneum est, ut sequatur:

Aut quid tam *fracta gaudes, Neptune, carina?*

19. NAM TIBI] Omnia egregie cohaerent. Hoc et duobus sequentibus distichis prior illa sententia illustratur: *Non habet unda deos.* Sed *Nam* putidum est, et logico quam poëta dignius. Repone:

non habet unda deos.
JAM *tibi nocturnis ad saxa ligata procellis*
Omnia detrito vincula fune cadunt.

Sic III, 20, 27.

Testis Amymone, latices cum ferret in Argis,
Compressa, et Lernes pulsa tridente palus.

Hic juvene amisso classem non solvit Atrides,
Pro qua mactata est Iphigenia mora.
Reddite corpus humo positumque in gurgite, venti,
Paetum; sponte tua, vilis arena, tegas;

V. 23. Hoc. 25. positaque — vita. 26. Paetum sponte sua — tegat.

Jam *deus amplexu votum persolvit, et illi*
Aurea divinas urna profudit aquas.

22. QUAE NOTAT ARGYNNI POENA NATANTIS AQUA] Sic Scaligeri codex: alia Italorum commenta in aliis exstant. Sed meliores:

Qua *notat Argynni poena* minantis aquae,

vel *Quae; Quae nota* Groninganus. Repone:

Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Quae notat Argynni poena, MINACIS AQUAE.

Hoc vult, Esse, quae sententiam versu 18. positam veram probent, litora quaedam minacis, hoc est, iracundae aquae: haec Agamemnonis dolorem et querelas experta esse, haec ab Argynno aquis submerso notam traxisse. *Minacem aquam* dicit, ut Ovidius epist. XIX, 85.

Nam memini, cum te saevum veniente minaxque
Non minus aut multo non minus aequor erat.

Litora autem *minacis aquae,* ut Catullus IV, 6.

Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus, *insulasve Cycladas,*
Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam,
Propontida, trucemve Ponticum sinum.

in quibus orationis vitium corriges scribendo, *Horridamve Thraciae Propontida*, aut certe, mutata interpunctione, minus tamen suaviter, *Horridamve Thraciam Propontida.* Haec scripseram, cum veram nostri loci interpretationem Marcilium apud Burmannum non latuisse animadverti, nisi quod *minacis* pro *minantis* legendum esse non perspexit, et *curas Agamemnonias* pro amore Agamemnonis dici non rectè opinatur.

23. HOC JUVENE] Pronomen *Hoc* non minus hic sordet, quam particula *Nam* versu 19. Repone:

HIC *juvene amisso classem non solvit Atrides.*

25. REDDITE CORPUS HUMO, POSITAQUE IN GURGITE VITA PAETUM SPONTE SUA VILIS ARENA TEGAT] Locus graviter affectus, nec felici manu hactenus curatus. Primum, quem alloquatur, invenimus neminem. Hinc Scaliger versus 67—70. his praemisit:

O centum aequoreae Nereo genitore puellae,

Et quotiens Paeti transibit nauta sepulcrum,
  Dicat: Et audaci tu timor esse potes.
Ite, rates curvas et leti texite causas.
  Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat fatis: adjecimus undas;
  Fortunae miseras auximus arte vias.

V. 27. Ut. 31. fuerat: fatis adj. 32. Naturae.

Et tu materno tacta dolore Thetis,
Vos decuit lasso supponere brachia mento,
Non poterat vestras ille gravare manus.

Sed post haec tam magnifica quam debile, quam ineptum illud est, *Nunc corpus exstincti ex mari in terram deferte!* Hoc autem Scaligerano versuum ordine rejecto cadit etiam ingeniosa Marklandi emendatio scribentis:

Reddite corpus humo, positumque *in* margine ripae
Paetum etc.

una cum hac cadit aut labat certe, quod Burmannus Guyeto et Santenio auctoribus dedit, *Sponte sua tegat.* Nam scripti quidem omnes habent:

Paetum sponte tua, *vilis arena*, tegas.

Videamus igitur, an in his ipsis versibus fortasse ii, quos poëta alloquitur, alicubi abscondantur. Sane ita videtur, in his, *positaque in gurgite vita*, latere anguem in herba. Ea enim inepte et otiose, nulla cum vi, nulloque consilio interposita sunt: *Reddite corpus humo, et, vita in mari posita, Paetum arena tegat.* Quae cum ita sint, dubium mihi non est, quin pro *Vita* legi debeat *Venti*: caetera, codice Neapolitano, in quo legitur *posita est in gurgite*, vitii sedem indicante, vere, ni fallor, restituemus, *positumque* scribendo. Sic igitur totum locum refingo:

Reddite corpus humo POSITUMQUE *in gurgite*, VENTI,
Paetum; sponte TUA, *vilis arena*, TEGAS.

27. UT, QUOTIES] Sic Janus Dousa: scripti ET *quotiens*, nec rejicio. Mox versu 29. *rates curvas* bene de Passeratii conjectura edidere. Optimi libri habent fere: *Ite rates* curvae *et leti texite causas;* Neapolitanus: Ire *rates* curvae *et leti* terite *causas.*

32. NATURAE MISERAS] Broukhusii commentum, egregium sane, sed quod verum non dixerim. Codices universi habent:

FORTUNAE *miseras auximus arte vias.*

Quid si hoc majorem altero vim habeat? Ut viae naturales augerentur, id fortasse ferendum fuisset: quanto stultius fuit, novam viam fortu-

Ancora te teneat, quem non tenuere Penates?
Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
Ventorum est, quodcumque paras. haud ulla carina
Consenuit; fallit portus et ipse fidem.
Natura insidias pontum substravit avaris;
Ut tibi succedat, vix semel esse potest.
Saxa triumphalis fregere Capharea puppis,
Naufraga cum vasto Graecia tracta salo est.
Paullatim socium jacturam flevit Ulixes,
In mare cui soliti non valuere doli.
O si contentus patrio bove verteret agros,
Verbaque duxisset pondus habere mea!

V. 37. Fortuna. 43. Quod.

nae, qua nos aggrederetur, praebuisse, quae in terra jam satis dura nobis fuerat! Concinit Seneca natural. quaest. V, 18., quem locum Broukhusius non recte trahit in partes suas: *Quid maria inquietamus? Parum videlicet* ad mortes nostras terra *late patet.* Hoc erat illud:

Terra parum fuerat fatis: *adjecimus undas.*

Ita enim potius interpungam, ut *fata* interpretemur *mortes:* ne bis idem fere dicat, *fortunam* post *fata* inculcando. Pergit Seneca: *Nimis delicate* fortuna *nos tractat; nimis dura dedit nobis corpora, felicem valetudinem. Non depopulatur nos* casus incurrens; *emetiri cuique annos suos ex commodo licet, et ad senectutem decurrere. Itaque eamus in pelagus, et vocemus in nos fata cessantia. Miseri, quid quaeritis? Mortem, quae ubique superest.* Nempe ita

Fortunae *miseras auximus arte vias.*

Sed Broukhusius hic *Naturae* locum concessit, quia versu 37. necessario legendum credidit:

37. FORTUNA INSIDIAS PONTUM SUBSTRAVIT AVARIS] Ubi in libris omnibus NATURA legitur. Ille Naturam, optimam omnium parentem, insidias struere mortalibus negat. Quidni autem? Avaritiae hominum necopinam mortem opponit. Statius Theb. II, 501.

Insidias natura *loco caecamque latendi*
Struxit opem;

ubi vide, annon rectius possit scribi *latenti.*

42. CUI SOLITI] Ita verissime Lipsius, et ante eum Italus in vetere libro Passeratii. Caeteri corrupte *Soli.*

43. QUOD SI CONTENTUS] Hic unus locus Scaligero justam fortasse transponendi causam praebuisse videri potest.

Viveret ante suos dulcis conviva Penatis,
Pauper, at in terra, nil ubi flere potis.
Non tulit haec Paetus, stridorem audire procellae,
Et duro teneras laedere fune manus,
Sed Cnidio calamo aut Oricia terebintho,
Et fultum pluma versicolore caput:

V. 46. potest. 47. huic pectus. 49. thyiae thalamo, aut Oriciae terebinthi Effulto.

Hic enim per has particulas *Quod si* ea, quae conjungi non debebant, conjunguntur. Scribe:

O! si contentus patrio bove verteret agros,
Verbaque duxisset pondus habere mea!

Horatius serm. II, 6, 8.

o! si angulus ille
Proximus accedat. qui nunc deformat agellum!
O! si urnam argenti fors quae mihi monstret!

Nec magna mutatio est. Nam pro *Oh* fuit scriptum $Q^{o}d$ vel *Qd'*.

46. NIL UBI FLERE POTEST] Vitium est in postremo vocabulo; non enim *potest* debuit dici de mortuo, sed *poterat* aut *posset* aut *potuisset*, praesertim cum *viveret* praecessisset. Marklandus tentat: *Nil ubi flere opus est*, numeris horridis. Jacobsius: *Nil ubi turbo potest*, *o* finali contra usum illius aevi correpto. Repone, verbo substantivo deleto:

Pauper, at in terra, nil ubi flere POTIS.

Nam et *pote* et *potis* aetatis Augusteae poëtae usurparunt: illud autem in versus fine locum non habet.

47. NON TULIT HUIC PECTUS] Hoc Scaliger excogitavit, et mutato versuum ordine ad Ulixem retulit. Sed, ut caetera mittam, quis ita locutus est: *tulit huic pectus? Hic tulit* dicimus, et *huic fuit pectus* (Sabin. epist. II, 87.): illud nusquam legere memini. Impressi veteres habent, *Non tulit hic Paetus*, quod nescio an qui scripti confirment: sed ineptum est, sive jungas *hic Paetus*, sive *hic* in terra *tulit*. Guarnerianus, Vaticanus Livineji et alii apud Burmannum, *Hunc Paetus*, scilicet hunc stridorem procellae. Sed praestat, quod in Neapolitano legitur (nam Burmannus de hoc fallit), et in Palatinis teste Gebhardo:

Non tulit HAEC PAETUS, *stridorem audire procellae,*
Et duro teneras laedere fune manus.

49. SED THYIAE THALAMO, AUT ORICIAE TEREBINTHI EFFULTO PLUMA VERSICOLORE CAPUT] Omnia labant in his versiculis, ut, ubi machinam admovere incipias, paene ne-

Huic fluctus vivos radicitus abstulit unguis,
Et miserum invita traxit hiatus aqua;

V. 52. niger invitam — aquam.

scias. Primum tamen constructionem laborare videbis, *Effulto* autem, quod Scaligeri commentum est, *huic* ex superiore disticho sublato prorsus cadere. Tam toro quidem fulciri caput scimus: thalamo quomodo fulciatur, quis intelligat? Quis porro thalamos ex thyia aut terebintho fabricatos umquam inaudivit? Nam quod *thalamum* pro lecto dici volunt, novum est. Vides jam ista nihili esse, *thyiae thalamo aut Oriciae terebinthi*, quae et ipsa a Scaligero partim, partim a primis editoribus ita transformata sunt. Libri enim meliores hoc distichon ita fere scriptum exhibent:

Sed Chio calamo, *aut* Oricia terebintho,
Et fultum *pluma versicolore caput;*

nisi quod *Chio thalamo* in paucis legitur; *Aut fultum* in aliquot deterioribus, et, si Burmanno fides, in Groningano, ex quo tamen Livinejus *Et fultum* annotat; *Effultus* denique in quatuor Italicis. Repono:

Non tulit haec Paetus, stridorem audire procellae,
Et duro teneras laedere fune manus,
Sed CNIDIO CALAMO *aut* ORICIA TEREBINTHO,
ET FULTUM *pluma versicolore caput.*

Hoc solum, inquit, ferre Paetus poterat, ut Cnidio calamo aut supellectile ex terebintho facta manus laederet, et caput pulvillo, in quo fultum erat, versicolore. De calamo Cnidio Plinius hist. nat. XVI, 36, 64. *Chartisque serviunt* calami, *Aegyptii maxime, cognatione quadam papyri. Probatiores tamen* Gnidii, *et qui in Asia circa Anaiticum lacum nascuntur.* Ausonius epist. VII, 49.

Nec jam fissipedis per calami *vias*
Grassetur Cnidiae *sulcus* arundinis.

Idem epist. IV, 75.

cum tibi
Cadmi nigellas filias,
Melonis albam filiam,
Notasque furvae sepiae,
Cnidiosque nodos *prodidit.*

51. VIVOS] Bene viri docti codices *Vivo.*

52. ET NIGER INVITAM TRAXIT HIATUS AQUAM] Ita haec Justus Lipsius concinnavit ant. lect. II, 10., nisi quod *Invisam*, quod in libris plurimis legitur, male retinuit. Sed ille *nigrum hiatum* maris intelligit: quanto subtilior ille, qui, cum videret, potius dicendum hic fuisse, mare *Paetum*, quam *aquas* traxisse, haec ita interpretatus est: „*Hiatus* np. oris, „pro Paetus hians. *niger aquam*

Hunc parvo ferri vidit nox inproba ligno;
  Paetus ut occideret, tot coïere mala.
Flens tamen extremis dedit haec mandata querelis,
  Cum moribunda niger clauderet ora liquor:
Di maris, Aegaei quos sunt penes aequora, venti,
  Et quaecumque meum degravat unda caput,
Quo rapitis miseros tenerae lanuginis annos?
  Adtulimus longas in freta vestra manus.
Ah miser alcyonum scopulis adfigar acutis;
  In me caeruleo fuscina sumta deo est.
At saltem Italiae regionibus advehat aestus:
  Hoc de me, sat erit, si modo matris erit.
Subtrahit haec fantem torta vertigine fluctus;
  Ultima quae Paeto voxque diesque fuit.
O centum aequoreae Nereo genitore puellae,
  Et tu materno tacta dolore Theti,
Vos decuit lasso subponere brachio mento;
  Non poterat vestras ille gravare manus.
At tu, saeve Aquilo, numquam mea vela videbis;
  Ante fores dominae condar oportet iners.

V. 68. Thetis.

„*invitam* pro nigram aquam in-„vitus."

Huic mandes, si quid recte curatum velis.

Scripti autem omnes pro *niger* exhibent *miser:*

Et miser *invitam traxit hiatus aquam.*

Scribo:

Et MISERUM INVITA *traxit hiatus* AQUA.

Litterae *um* a sequentibus *inu* facile perierunt; hunc errorem alter necessario secutus est.

63. ADVEHAT AESTUS] Sic recte Scaliger, duobus Italicis consentientibus: *Evehat* caeteri, sed male. Apud Virgilium Aen. I, 512.

ater quos aequore turbo
Dispulerat, penitusque alias avexerat *oras,*

verum sine dubio est, quod habent alii, *advexerat.* Nam in his praepositionibus exigua est librorum scriptorum auctoritas.

68. TACTA DOLORE THETIS] Franciscus Puccius, Santenio teste, correxit *Et tu* — THETI; verissime, sive ipse vidit, sive e Vallae libro sumsit. Ovidius metamorph. XI, 237.

VII.

Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas,
  Vocis et insanae tot maledicta tuae.
Cur furibunda mero mensam propellis, et in me
  Projicis insana cymbia plena manu?
Tu vero nostros audax invade capillos,
  Et mea formosis unguibus ora nota;
Tu minitare oculos subjecta exurere flamma;
  Fac mea rescisso pectora nuda sinu.
Nimirum veri dantur mihi signa caloris;
  Nam sine amore gravi femina nulla dolet.
Quae mulier rabida jactat convicia lingua,
  Et Veneris magnae volvitur ante pedes,

Eleg. VII. *Burm. VI.* V. 1. extremas. 3. Dum.

quo saepe venire
Frenato delphine sedens, Theti *nuda*, *solebas.*

Neque aliter usquam caeteri scriptores.

VII. [VIII.]

1. DULCIS AD EXTREMAS FUERAT MIHI RIXA LUCERNAS] Marklandus apud Burmannum annotat: *Quomodo tot maledicta, si dulcis rixa?* Miror; nam in hoc totius elegiae cardo vertitur, quod sibi illam rixam dulcem gratamque esse dicit, cujus indicio se perdite amari intelligat. Catullus XCII.

Lesbia mi dicit semper male, nec tacet umquam
De me: Lesbia me, dispeream, nisi amat.

Lege vero ex codice Neapolitano et aliquot Italicis:

Dulcis ad HESTERNAS *fuerat mihi rixa lucernas,*
Vocis et insanae tot maledicta tuae.

Nam ne te consonantia syllabarum offendat, de hac dictum est libro I, 18, 5.: tempus autem, quo illud factum sit, hic necessario indicari debuit. Caeterum *externis* habent libri plerique: *extremis*, quod in Menteliano est, anno MCCCCLXXXI Joh. Calphurnius dedit, et proximo Volscus.

5. DUM FURIBUNDA MERO] Ita Broukhusius, *Dum.* At codices scripti aliud quid exhibent:

CUR *furibunda mero mensam propellis, et in me*
Projicis insana cymbia plena manu?

Hoc probo. Felici audacia Propertius verba, quae ipse inter rixam pronuntiaverat, ponit, eaque corrigens quasi subjicit: *Tu vero nostros* etc. Simile quid habes libro III, 6, 11 seqq.

11. RABIDA] Praeclare Scaliger. Codices *gravida lingua*,

Custodum et gregibus circum se stipat euntem,
  Seu sequitur medias, Maenas ut icta, vias,
Seu timidam crebro dementia somnia terrent,
  Seu miseram in tabula picta puella movet, —
His ego tormentis animi sum verus aruspex:
  Has didici certo saepe in amore notas.

V. 13. Custodum gregibus seu quum. 18. certas didici.

quod si vel posset dici pro *lingua gravi*, ab hac tamen re alienum foret.

13. CUSTODUM GREGIBUS SEU QUUM SE STIPAT EUNTEM] Sic Muretus, *Seu cum*, et post eum Broukhusius, qui in Franciano secundo invenisse vult *Ceu cum*. Burmannus tamen in Menteliano et Leidensi primo, quibus nominibus idem Francianus indicatur, juxta atque in caeteris tantum non omnibus *Circa se stipat* legi refert. Repono:

Quae mulier rabida jactat convicia lingua,
  Et *Veneris magnae volvitur ante pedes,*
Custodum ET *gregibus* CIRCA *se stipat euntem.*

Claudianus de VI. consul. Honor. 595.

ducibus circum stipata *togatis Curia.*

Et, ubi versus mensura non desiderat, a librariis omissum saepe jam vidimus. Caeterum illud *seu cum* Latinum non est. Quomodo enim hae duae particulae conjunctae ad unum verbum referri possunt?

18. HAS CERTAS DIDICI] Ita Broukhusius, ex Vaticano Livineji, ut ait. Sed Livinejus annotat: *didici certo*] *certas* V. *certo didici* P. ut appareat, *Has didici certas* fuisse in Vaticano, quod et alii Italici, Scaligeranus et secundus Leidensis, exhibent, in Posthiano autem, qui et Groninganus audit, *Has certo didici*. Aut hunc posteriorem sequamur, aut Neapolitanum ac Mentelianum caeterosque tantum non omnes, in quibus est:

Has DIDICI CERTO *saepe in amore notas.*

Has, quas modo dixit, notas in amoribus certis et constantibus saepe observasse vult. Propertius I, 9, 19.

Nec mihi rivalis certos *subducit* amores.

Libro III, 24, 19.

Parcite jam, fratres; jam certos *spondet* amores.

Ovidius metamorph. IV, 156.

Ut, quos certus amor, *quos hora novissima junxit,*
Componi tumulo non invideatis eodem.

Idem epist. XVII, 191.

Certus *in hospitibus non est* amor. *errat, ut ipsi;*
Cumque nihil speres certius esse, fuit.

Non est certa fides, quam non injuria versat:
  Hostibus eveniat lenta puella meis!
Inmorso aequales videant mea volnera collo;
  Me doceat livor mecum habuisse meam.
Aut in amore dolére volo, aut audire dolentem;
  Sive meas lacrimas, sive videre tuas.
[Tecta superciliis si quando verba remittis,
  Aut tua cum digitis scripta silenda notas.]

25. TECTA SUPERCILIIS] Distichon per quidem elegans, sed ab hujus loci sententia prorsus alienum. Ita Burmannus quoque statuit, rectissimo judicio. Sed ecce adest, qui haec bene cohaerere contendat:

Aut in amore dolere volo, aut audire dolentem,
Sive meas lacrimas, sive videre tuas,
Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.

Sententia, inquit, *versu primo proposita exemplo illustratur versu tertio et quarto.* Quomodo, quaeso? Nempe hunc versum,

Tecta superciliis si quando verba remittis,

illis parem esse opinatur, *In amore dolere volo.* Quid dolet vero, si cum puella nutu oculisque colloquitur? Scilicet innuit poeta *Cynthiae vultum iratum, puellam superciliis minantia verba loquentem.* Scire velim, unde illum iratum vultum, illa minantia verba sumserit. Nam nihil tale singula haec verba includunt, *Tecta verba superciliis remittis.* Ovidius epist. XVII, 81.

Ah quoties digitis, quoties ego tecta notavi
Signa supercilio *paene* loquente *dari!*

Nec fuisse illa minantia signa, sequentia ostendunt:

Orbe quoque in mensae legi sub nomine nostro,
Quod deducta mero littera fecit, Amo.

Paullus Silentiarius epigr. XXI.

Φεῦ φεῦ, καὶ τὸ λάλημα τὸ μείλιχον ὁ φθόνος εἴργει,
Βλέμμα τε λαθριδίως φθεγγομένων βλεφάρων.

Apud eumdem Ovidium metámorph. III, 460. Narcissus ad imaginem suam:

Cum risi, arridet; lacrimas quoque saepe notavi,
Me lacrimante, tuas; nutu quoque signa remittis.

Actum, ni fallor, de minaci vultu est, et de dolore, quem Propertio inde vult nasci, *Jam vero*, pergit, *et illam ipsam dolentem describit.* Nimirum haec,

Odi ego quos numquam pungunt suspiria somnos:
Semper in irata pallidus esse velim.
Dulcior ignis erat Paridi, cum Graja per arma
Tyndaridi poterat gaudia ferre suae.
Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector,
Ille Helenae in gremio maxima bella gerit.
Aut tecum, aut pro te mihi cum rivalibus arma
Semper erunt: in te pax mihi nulla placet.
Gaude, quod nulla est aeque formosa; doleres,
Si qua foret: nunc sis jure superba, licet.

Aut tua cum digitis scripta silenda notas,

refert ad priora, *Volo audire dolentem.* Qui vero Cynthiam, dum scripta sua silenda digitis notat, dolentem audire potuit? quae digitis nisi praesente marito non loquebatur, praesente autem marito digitis tantum, non ore. Sed fac haec omnia bene sese habere, cur haec affert, non alia, quibus aut se aut puellam dolere velit? Erant tamen majora, quae Propertius, ut erat humilis in amore, non detrectasset. Sed haec sufficiant ad demonstrandum, hos versus huc non pertinere. Quomodo in hunc locum venerint, quaeris: credo a docto lectore ascriptos esse ad vers. 13—18., ut haec quoque amoris indicia esse notaret. Ita in libro V. eleg. V. ante versum 55. scripti plerique repetunt distichon ex libro I, 2, 1. 2. *Quid juvat ornato* etc., quia utrobique *Coae vestis* mentio est. Nec minus libro IV. eleg. XII. post versum 48. multi habent additum Ovidii distichon ex art. amat. II, 277. *Aurea nunc vere* etc. propter sententiae similitudinem. Jam vero si et unde hi versus desumti fuerint dicendum est, Propertii esse nullus dubito. Quod autem Burmannus eos post versum 80. eleg. XXIII. lib. II. (nobis III, 28, 30.) ponendos hariolatur, non modo veri simile id non est, sed aperte falsum. Immo, si conjecturae locus sit, hoc distichon fortasse ex libro secundo huc venerit, in quo his similia tradita fuisse, nempe

Qua nuptae possent fallere ab arte viros,

ex Ovidio docemus in praefatione.

27. QUOS NUMQUAM. 29. GRAJA] Codices *Quae numquam*, et *Grata per arma.* Hunc errorem Fruterius et alii correxere, illum Itali in tribus scriptis.

35. GAUDE, QUOD NULLA EST etc.] Burmannus annotat: *Totum hoc distichon, prae ceteris satis incitatis valde lan-*

At tibi, qui nostro nexisti retia lecto,
  Sit socer aeternum, nec sine matre domus!
Cui nunc si qua data est furandae copia noctis,
  Offensa illa mihi, non tibi amica dedit.

VIII.

Maecenas eques Etrusco de sanguine regum,
  Intra fortunam qui cupis esse tuam,
Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
  Non sunt apta meae grandia vela rati.
Turpe est, quod nequeas, capiti conmittere pondus,
  Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
  Fama nec ex aequo ducitur ulla jugo.

Eleg. VIII. *Burm. VII.*] V. 8. una.

guidum et frigidum, nonnihil suspectum est, et, si abesset, praecedentia et sequentia non interrupto tenore cohaerebunt. Hoc posterius concedo; neque, si abesset hoc distichon, desiderarem: sed languere nego ita intellectum: Semper mihi aut tecum aut cum rivalibus bella erunt: tu noli aliter, ac facis, vivere; gaude te ab omnibus expeti; superba esto, et omnes contemnito; non moveor, hoc juris tibi formam dare memor.

37. NEXISTI RETIA LECTO] Libri Propertiani omnes *Tendisti* habent: sed *Nexisti* Diomedis, Prisciani ac Nestoris testimonio viri docti restituerunt. Apud Diomedem libro I. pag. 366. haec legimus: *Necto, nexui vel nexi. Virgilius* [Aen. V, 425.]: — *palmas amborum innexuit armis. Livius in Odyssea: Nexabant multa inter se —.* Maecenas: — *nexisti retia lecta* [scr. *lecto*]. *Lucillius satirarum: — curarum* [lege: *satirarum V. tum*, ex Prisciano IX. pag. 861.] *retia nexit.* Mirantur viri docti, unde *Maecenatis* nomen irrepserit. Diomedis error est; Maecenatis versiculum ex Octavia, in quo *pexisti*, Priscianus habet libro X. pag. 903.

40. OFFENSA ILLA] Codices, ut videtur, universi, praeter Perreji, Colotianum et duo Vaticanos, habent *Offensam*; itaque Neapolitanus, *Offensā*, lineola supra *a* notata, quam videre Heinsius poterat, nisi festinasset. Idem codex libro III, 17. 31. habet *fingit*, *fīg*, non *figit*. Caeterum *Offensa* hic omnino legendum est.

VIII. [IX.]

8. FAMA NEC EX AEQUO DU-

Gloria Lysippo est animosa effingere signa:
  Exactis Calamis se mihi jactat equis.
In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles:
  Parrhasius parva vindicat arte jocum.
Argumenta magis sunt Mentoris addita formae:
  At Myos exiguum flectit acanthus iter.

V. 12. locum.

CITUR UNA JUGO] Hoc Lipsius eruit ex vitiosa codicum scriptura,

> Flamma *nec ex aequo ducitur* ulla *jugo*,

vel *rogo*. Sed *aequum jugum* pro *eodem* non videtur recte dici. Repono:

> *Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,*
> *Fama nec ex aequo ducitur* ULLA *jugo*.

Aequum jugum est mons ascensu facilis. Hoc dicit: Non omnes ad omnia nati sumus; nec quisquam, nisi artis suae fastigium attigit, famam accipere potest: noli igitur hoc a me poscere, quod si faciam, gloriam tamen nullam adepturus sum. Sic infra libro V, 10, 3.

> *Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires.*
> *Non juvat* ex facili lecta corona jugo.

Ovidius trist. V, 14, 41.

> *Nil opus est leto pro me, sed amore fideque.*
> *Non* ex difficili fama petenda *tibi est*.

11. SUMMAM SIBI PONIT] Neapolitanus et Burmanni alter:

> *In Veneris tabula summam sibi poscit Apelles.*

Sed illud verius est. *Summam* artis suae in Veneris tabula *positam* ipse Apelles judicat: hac tabula *primas* sibi *poscit*, non *summam*.

12. PARRHASIUS PARVA VINDICAT ARTE LOCUM] Verus sensus, si Burmanno credimus, est, Parvas Parrhasii tabulas apud multos locum sibi vindicasse in secretiore aedium cubiculo. Sed hanc interpretationem nec verba nec sententia admittit. Immo aut hoc dicit: vindicat sibi locum inter eos, qui parva arte usi sunt; aut hoc: vindicat sibi parva arte locum inter pictores; quorum illud ita, ut dictum est, Latine dici non potest, utrumque autem falsum est. Non enim locum sibi, sed summum locum Parrhasius vindicat, *minoribus tabulis*, ut ait Plinius H. N. XXXV, 10., *libidines pingendo*. Repone igitur:

> *Parrhasius parva vindicat arte* JOCUM.

Parrhasius jocis pingendis maximam famam adeptus est, in hoc genere regnat, hoc sibi unus omnium vindicat.

[Phidiacus signo se Juppiter ornat eburno:]
Praxitelen Paria vindicat urbe lapis.
Est, quibus Eleae concurrit palma quadrigae:
Est, quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic satus ad pacem: hic castrensibus utilis armis.
Naturae sequitur semina quisque suae.
At tua, Maecenas, vitae praecepta recepi,
Cogor et exemplis te superare tuis.
Cum tibi Romano dominas in honore securis
Et liceat medio ponere jura foro,
Vel tibi Medorum pugnacis ire per astus,
Atque onerare tuam fixa per arma domum,

V. 16. Praxitelem Parius. 25. hostes.

15. PHIDIACUS SIGNO SE JUPPITER ORNAT EBURNO] Interpretibus nihil in his difficile est, qui Jovem, quoties augustior videatur, Olympiae imaginis suae induere formam narrant; summam artificis laudem praedicantes, ex cujus opere ornamentum ipse quaerat Juppiter. Quis autem eam sententiam his verbis indicaverit, *ornat se signo?* Et si se Juppiter ad statuae Phidiacae exemplum ornat, certe id *Phidiacus* ipse non facit. Non dubito, quin hic versus a librariis ita corruptus fuerit, ut de restituendo eo desperandum videatur, nisi qui hariolari velit, Propertium dedisse:

Phidiaca ars *signo te, Juppiter, ornat eburno;*

si modo totum hoc distichon Propertium ac non alium potius auctorem habet.

16. PRAXITELEM PARIUS VINDICAT URBE LAPIS] Ita Burmannus, sine sensu, quantum intelligo, et contra librorum auctoritatem. *Parius* enim habuerunt tantum Beroaldi codices: caeteri fere omnes *Praxitelem propria*, unde Broukhusius recte videtur fecisse:

Praxitelem PARIA *vindicat urbe lapis,*

quod et bene explicavit. Caeterum PRAXITELEN scribo ex Neapolitano.

25. MEDORUM PUGNACES IRE PER HOSTES] Hanc scripturam non video quomodo viri docti tueantur Valerii Flacci loco I, 438.

tu medios gladio bonus ire per hostes,
Euryte,

Hoc enim vitiosum hic est neque excusari potest, quod *Medorum hostes* pro Medis dicit. Marklandus et Burmannus corrigunt: *Pugnaces ire per hastas;* egregie, si de alio hoste, non de Parthis ageretur, qui

Et tibi ad effectum vires det Caesar, et omni
Tempore tam faciles insinuentur opes,
Parcis, et in tenuis humilem te conligis umbras;
Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
Crede mihi, magnos aequabunt ista Camillos
Judicia, et venies tu quoque in ora virum,
Caesaris et famae vestigia juncta tenebis;
Maecenatis erunt vera tropaea fides.
Non ego velifera tumidum mare findo carina:
Tuta sub exiguo flumine nostra mora est.

hastis suis non inclaruerunt, sed arcu et fallaci fuga. Nec verisimile, notissimum vocabulum in tam aperta sententia ita corrumpi potuisse. Repono:

Vel tibi Medorum pugnaces ire per ASTUS,

Pugnacem astum intellige illam *astutam Parthorum fugam*, de qua Burmannus multa veterum loca conduxit hic ad versum 54. Ita *pavidum astum* dicit Flaccus Valerius I, 492.

teneras compressus pectore tigres,
Quas astu *rapuit* pavido.

et *timidum astum* Statius Achill. I, 385.

Cara mihi tellus, magnae cui pignora curae
Depositumque ingens timido *commisimus* astu.

Pugnaces Parthi apud Lucanum III, 265.

Inter Caesareas acies diversaque signa
Pugnaces *dubium* Parthi *tenuere favorem.*

Astus belli est apud Silium XVI, 32.

Non ars aut astus belli *vel dextera deerat,*
Si non Scipiadae concurreret.

36. TUTA SUB EXIGUO FLUMINE NOSTRA MORA EST] In omnibus fere codicibus *Tota* legitur, Groningano excepto. Sed idem ille habet:

Tuta sub exiguo est *flumine nostra* ratis,

quod etiam ex Italicis quibusdam annotatur. Nihilominus alterum teneo. *Moram* de loco dicit, non de tempore, quomodo et nos nostro *aufenthalt* utimur. Ovidius epist. XIX, 9.

Vos modo venando, modo rus geniale colendo,
Ponitis in varia *tempora longa* mora;

scilicet loco saepe mutato. Valerius Flaccus II, 303.

hic illum tristi dea praeficis arae
Ense dato, mora *nec terris tibi longa cruentis.*

Mora pro commoratione. Ita apud Virgilium cape ecl. X, 11.

Nam neque Parnasi vobis juga, nam neque Pindi
Ulla moram *fecere, neque Aonie Aganippe.*

Sic noster I, 11, 10. *cymba te moretur* dixit pro teneat:

Non flebo in cineres arcem sidisse paternos
Cadmi, nec semper praelia clade pari;
Nec referam Scaeas et Pergama Apollinis arcis,
Et Danaum decimo vere redisse rates,
Moenia cum Grajo Neptunia pressit aratro
Victor Palladiae ligneus artis equus.

V. 39. artes, 40. undecimo. 42. arcis.

Atque utinam mage te remis confisa minutis
Parvula Lucrina cymba moretur *aqua.*

Caeterum quia viri docti in nostro loco multa perperam moliuntur, non inutile erit observasse, Propertium recte se *sub flumine* morari dicere, cum pars navigii sub aqua sit. Ita libro III, 21, 13.

Iam licet et Stygia sedeat sub arundine *remex.*

Statius Theb. III, 407.

Solverat Hesperii devexo margine ponti
Flagrantes Sol pronus equos, rutilamque lavabat
Caeruleo sub fonte *comam.*

39. APOLLINIS ARTES] Proba erat codicum omnium scriptura, *Et Pergama Apollinis* ARCES. Nam quod *Cadmi arx* praecesserat, non est magni momenti. Sed Broukhusius elegantiae studio *Apollinis artes* reposuit.

40. ET DANAUM UNDECIMO VERE REDISSE RATES] Scripti omnes habent *Decimo vere:* sed Broukhusius rationem temporum alterum postulare scribit, quod esse notius, quam ut debeat operose probari. At vero quae in Iliade geruntur, ea omnia ad nonum belli annum pertinent:

Ἡμῖν δ' εἴνατός ἐστι περιτροπέων ἐνιαυτὸς
Ἐνθάδε μιμνόντεσσι.

Decimo autem anno non amplius pugnatum est: sed capta urbs, ut Calchas praedixerat:

Ὣς ἡμεῖς τοσσαῦτ' ἔτεα πτολεμίξομεν αὖθι,
Τῷ δεκάτῳ δὲ πόλιν αἱρήσομεν εὐρυάγυιαν.

Sed et eodem decimo anno abierunt, non undecimo:

Ἔνθα μὲν εἰνάετες πολεμίζομεν υἷες Ἀχαιῶν,
Τῷ δεκάτῳ δὲ πόλιν Πριάμου πέρσαντες ἔβημεν
Οἴκαδε σὺν νήεσσι, θεὸς δ' ἐκέδασσεν Ἀχαιούς.

Vere igitur decimi anni Trojam captam esse verisimile est, quamquam caeteri scriptores exitium urbis fere ad aestatem rejiciant. Caeterum quod Propertius dicit,

Danaum DECIMO *vere redisse rates,*

minus accurate ver nominat, cum nemo fortasse vere redierit, neque omnes eodem tempore; rectius tamen hoc, quam si undecimo anno rediisse diceret.

42. VICTOR PALLADIAE LI-

Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis, Coë poëta, tuis.
Haec urant pueros, haec urant scripta puellas;
Meque deum clament, et mihi sacra ferant.
Hoc mihi, Maecenas, laudis concedis et a te est,
Quod ferar in partis ipse fuisse tuas.

V. 45. pueri curent, curent haec scr. puellae, V. 47. 48. *in fine carminis positi* (59. 60.).

ENEUS ARCIS EQUUS] Satis dictum de *arcibus* in proximis distichis: lege hic *Palladiae* ARTIS *equus*. Nempe illum dicit, τὸν Ἔπειος ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ. *Artis* habent libri scripti, quotquot sunt, universi: *arcis* de conjectura reposuit Broukhusius, qui hic mire, id est, nullis rationibus impugnat scripturam codicum eosque, qui ei firmandae Virgilii illa admoverant:

Instar montis equum divina Palladis arte
Aedificant, sectaque intexunt abiete costas.

44. MODIS, COË POËTA, TUIS] Beroaldi commentum est, *Coë poëta*, nec verisimile, cum scripti omnes habeant *dure poëta*. Scaliger reposuit *pure:*

Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis, pure *poëta, tuis;*

quod probat Valckenarius ad fragmenta elegiarum Callimachi pag. 5., rectius ipso Scaligero, qui de Phileta interpretatus erat, ad Callimachum referens. Ita vero jejuna nimis oritur sententia: Satis erit, si mea carmina ita ut Callimachea placebunt et ego hujus purissimi vatis numeris canere potero. Ego, si *pure poëta* legatur, amplius ita locum correxerim:

Sit *cecinisse modis*, pure *poëta, tuis!*

hoc sensu: Satis est mihi cum Callimacho placuisse; utinam mihi ita, ut hic fecit, liceat canere! Haec lectio mihi videtur vera esse.

45. HAEC PUERI CURENT, CURENT HAEC SCRIPTA PUELLAE] Hoc Burmannus dedit de Petri Francii sententia, nimis profecto licentiose. Nam libri sinceri omnes habent:

Haec curant pueros, *haec* curant *scripta* puellas.

Vere, ne dubita, Guyetus et Passeratius:

Haec URANT PUEROS, *haec* URANT *scripta* PUELLAS.

Neque aliter Antonius Volscus in editione altera an. MCCCCLXXXVIII.

47. HOC MIHI, MAECENAS etc.] Hoc distichon, quod libri omnes in fine carminis collocant, huc revocavimus. Tu ejus sensum contemplare:

Te duce vel Jovis arma canam, caeloque minantem
 Coeum, et Phlegraeis Oromedonta jugis;
Celsave Romanis decerpta Palatia tauris
 Ordiar, et caeso moenia firma Remo,

V. 51. (49.) Celsaque.

Hoc mihi, Maecenas, laudis concedis, et a te est,
Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

Hoc sibi a Maecenate esse profitetur, hoc laudis a Maecenate concedi, ut ejus vitae exemplum secutus esse dicatur. Quid vero? Hoccine concedebat Maecenas, qui *scribendi tam vastum mittebat in aequor?* quem, cum obtemperare nollet, *suis exemplis superare cogebatur?* cujus *vitae praecepta* ipso abnuente *receperat?* Vides, illam sententiam ab hoc carmine penitus abhorrere. Tamen verba illo loco posita alium sensum non admittunt. Jam porro vide, quam male ista cohaereant:

Meque deum clament, et mihi sacra ferant.
Te duce vel Jovis arma canam.

Tam abrupta sunt, ut vix intelligas. Huc autem reposito disticho nihil desiderabis:

Haec urant pueros, haec urant scripta puellas;
Meque deum clament, et mihi sacra ferant.
Hoc mihi, Maecenas, laudis concedis et a te est,
Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.
Te duce vel Jovis arma canam, caeloque minantem
Coeum, et Phlegraeis Oromedonta jugis.

Hoc laudis, inquit, hos honores mihi poëtae habendos tu solus concedis, tibi uni debeo; quod tuum exemplum secutus res magnas non affectasse praedicabor. Quod si tu jubeas, summa argumenta carmine heroico celebranda sumam.

49. CAELOQUE MINANTEM COEUM] Codex Mentelianus *Minacem* exhibet, quod ferri posse Broukhusius censet, praefert Burmannus. Viro docto alterum *magis actum ipsum pingit.* Rem ille ex obscuro pulchri sensu dirimere conatur: at hoc potius observandum erat, *minacem* tertio casu adjecto ferri non posse, sed *minantem.* Silius Ital. IV, 2.

Nubiferos montes et saxa minantia caelo
Accepisse jugum.

Virgilius georg. II, 457.

Et magno Hylaeum Lapithis *cratere* minantem.

Statius Theb. V, 398.

Cernimus Aeacidas murisque *immane* minantem
Ancaeum.

Pone in his *minacia* et *minacem:* orationem corrumpes.

51. CELSAQUE ROMANIS] Scribo CELSAVE, ne Graecum argumentum una cum Romano videatur tractare velle. Ad hoc

Eductosque paris silvestri ex ubere reges;
  Crescet et ingenium sub tua jussa meum.
Prosequar et currus utroque ab litore ovantis,
  Parthorum astutae tela remissa fugae,
Claustraque Pelusi Romano subruta ferro,
  Antonique gravis in sua fata manus.
Mollia tu coeptae fautor cape lora juventae,
  Dexteraque inmissis da mihi signa rotis.

IX.

Mirabar, quidnam misissent mane Camenae,
  Ante meum stantes sole rubente torum.
Natalis nostrae signum misere puellae,
  Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aëre venti,
  Ponat et in sicco molliter unda minas.
Aspiciam nullos hodierna luce dolentis,
  Et Niobae lacrimas subprimat ipse lapis.
Alcyonum positis requiescant ora querelis;
  Increpet absumtum nec sua mater Ityn.
Tuque, o cara mihi, felicibus edita pennis,
  Surge, et poscendos justa precare deos.

Eleg. IX. *Burm. VIII.* V. 12. poscentes.

praecesserat *Te duce* vel *Jovis arma canam.*

57. CLAUSTRAQUE PELUSI] Sic egregie Palmerius et Lipsius: scripti habent *Castraque.*

59. MOLLIA TU COEPTAE] Codices manu scripti omnes:

Mollis tu coeptae fautor ca-
pe lora juventae.

Recte tamen Broukhusius videtur *Mollia* reposuisse; *mollem* enim *fautorem* Latine dici neque ego crediderim: sed *mollia frena* sunt et *jussa* et *imperia.*

IX. [X.]

12. POSCENTES JUSTA PRECARE DEOS] Optime hic, si Burmannum audimus, „*justa* „*poscere* dicuntur Dii, prae„sertim, ut die natali pro vita „sibi servata gratias illis agat, „et preces ac vota in sequen„tium annorum felicitatem sus„cipiat." Sed dii quidem ab hominibus non *justa* poscunt, sed *debita.* Supra eleg. VI, 9.

Et mater non justa *piae da-*
re debita Terrae.

Non potest justa dare Paeto,

Ac primum pura somnum tibi discute limpha,
Et nitidas presso pollice finge comas.
Dein, qua primum oculos cepisti veste Properti,
Indue, nec vacuum flore relinque caput;
Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis,
Inque meum semper stent tua regna caput.
Inde coronatas ubi ture piaveris aras,
Luxerit et tota flamma secunda domo,
Sit mensae ratio, noxque inter pocula currat,
Et crocino naris murrheus unguat onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis;
Et sint nequitiae libera verba tuae;
Dulciaque ingratos adimant convivia somnos;
Publica vicinae perstrepat aura viae.
Sit sors et nobis talorum interprete jactu,
Quem gravibus pennis verberet ille Puer.
Cum fuerit multis exacta trientibus hora,
Noctis et instituet sacra ministra Venus,
Annua solvamus thalamo sollemnia nostro,
Natalisque tui ter peragamus iter.

V. 15. pridem. 32. sic.

quae diis inferis debentur. Repone:

Surge, et POSCENDOS justa *precare deos.*

Dei poscuntur justa, ut Silius IV, 795.

Heu primae scelerum causae mortalibus aegris,
Naturam nescire deum! justa ite precati
Ture pio, caedumque feros avertite ritus.

Ovidius metam. XIII, 466.

Este procul, si justa peto, *tactuque viriles*
Virgineo removete manus.

Idem metam. XIV, 785.

Has rogat auxilium. nec Nymphae justa precantem
Sustinuere deam.

15. QUA PRIDEM] Scripti omnes, *Dein qua* PRIMUM *oculos*: perperam mutavit Brouk-husius, quia praecesserat, *Ac primum pura.* Scilicet et sequens distichon nostro codice auctore delendum fuit, ne *caput* bis in fine pentametri legeretur. Subtili in talibus judicio opus est; repetitio, quam hic non improbamus, offendebat nos in libro III, 6, 24. 26.

32. NATALISQUE TUI SIC PERAGAMUS ITER] Hoc quidem

X.

Quid mirare, meam si versat femina vitam,
  Et trahit addictum sub sua jura virum,
Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
  Quod nequeam fracto rumpere vincla jugo?
Venturam melius praesagit navita noctem;
  Volneribus didicit miles habere metum:

Eleg. X. *Burm. IX.*

libri plerique exhibent: vereor tamen, ut Latinitas ferat. *Vitae iter* recte dici scio; novi et illud Valerii Flacci I, 788.

Vos, quibus imperium Jovis et non segne peractum
Lucis iter:

sed unius *diei iter* praeter Solem quis *peragere* possit, non intelligo. Quare non dubito, quin Propertius dederit:

Natalisque tui TER *peragamus iter.*

quod Groninganus habet cum Menteliano et uno ex Vossianis; Guarnerianus utrumque conjungit, *ter sic peragamus* exhibendo. Verum tamen est, ita venustissimum carmen foede corrumpi. Nam sensus turpitudinem Passeratius recte exposuit hic et libro II, 33, (III, 29), 22. *Iter* autem *natalis tui*, in honorem diei festi faciendum, non aliter (paene pudet dicere) atque apud Horatium carm. III, 8, 13.

Sume, Maecenas, cyathos amici
Sospitis *centum.*

X. [XI.]

5. VENTURAM MELIUS PRAESAGIT NAVITA NOCTEM] *Mortem* in fine versus habent libri meliores, ni fallor, omnes. Sed *Noctem* Nestoris auctoritas tuetur, quod cum nemo facile de conjectura reponere potuerit, ex Vallae libro in Italicos venisse suspicor. Caeterum, si modo caetera recte habent, utrumque probum est. Virgilius Aen. I, 90.

Intonuere poli, et crebris micat ignibus aether,
Praesentemque *viris intentant omnia* mortem.

Servulus Terentianus Hecyr. III, 4, 7.

Dies triginta aut plus eo in navi fui,
Cum interea semper mortem exspectabam *miser;*
Ita usque adversa tempestate usi sumus.

Attius apud Ciceronem Tuscul. II, 10, 23.

navem ut horrisono freto
Noctem *paventes timidi annectunt* navitae.

Statius Achill. I, 453.

ille Pelasgas
Ut vidit transnare rates, ter monte, ter undis

Ista ego praeterita jactavi verba juventa;
Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagrantis adamantina sub juga tauros
Egit, et armigera praelia sevit humo,
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
Iret ut Aesonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo contra obpugnare sagittis
Maeotis Danaum Penthesilea rates,
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
Vicit victorem candida forma virum.
Omphale et in tantum formae processit honorem,
Lydia Gygaeo tincta puella lacu,
Ut, qui pacato statuisset in orbe columnas,
Tam dura traheret mollia pensa manu.
Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
Ut solidum cocto tolleret aggere opus,
Et duo in adversum missi per moenia currus
Ne possent tacto stringere ab axe latus;

V. 23. inmissi.

Intonuit, saevaeque dedit praesagia noctis. At vero aliud hic considerandum est, quo modo nauta *melius* venturam tempestatem praesagire dicatur. Nempe *melius*, inquit Livinejus, *quam rudes et inexperti maris*. At hoc quidem extrinsecus arcessitur, et quidem contra ipsam sententiam. Hoc enim vult: Quid me dominae meae tam patienter servire miraris? Timidus sum, qui, quam difficulter hoc jugum excutiatur, expertus sim: sic miles quoque vulneribus timorem discit, sic nauta timens semper venturam tempestatem praesagit. Omnia, ut vides, ad timorem refert: nautae vero melius sane ac certius, quam homines ἀθαλάσσιοι, venturam procellam praevident, sed quia nautae sunt et signorum gnari, non quia magis timent. Non frustra igitur Marklandus de hac lectione dubitavit: tamen quod reponit, *vetulus navita*, Burmannus jure culpat, cum *vetulus* absque contemtu non facile dicatur. Fortasse dederit poëta:

Venturam pavidus *praesagit navita noctem*,

ut in Attii versibus supra allatis:

Noctem paventes *timidi annectunt* navitae.

23. INMISSI] Hoc quis primus excogitaverit, nescio. Cer-

Duxit et Euphraten medium, qua condidit arcis,
Jussit et inperio subdere Bactra caput.
Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina divos?
Juppiter infamat seque suamque domum.
Quid? modo quae nostris obprobria vexerat armis
Et famulos inter femina trita suos
Conjugi et obsceni pretium Romana poposcit
Moenia et addictos in sua regna patres!
Noxia Alexandrea, dolis aptissima tellus,
Et totiens nostro Memphi cruenta malo,
Tris ubi Pompejo detraxit arena triumphos,
Una Philippeo sanguine adusta nota.

V. 26. surgere. 31. Conjugii. Vers. 36. *et* 40. *loca sua inter se commutarunt.* V. 36. (40.) inusta.

te Gebhardus meliores editiones *immissi* habere narrat, idque Dousae dederunt anno MDXCII. Sed antiquitus editi *misit* exhibent, quod qui probant, frustra sunt, licet codex Mentelianus confirmet. Recte MISSI Beroaldus et codices plerique; vide N. Heinsium in notis Propertianis pag. 726.

26. IMPERIO SURGERE BACTRA CAPUT] Historia postulat, ut cum Burmanno patruo et Jo. Schradero scribamus:

Jussit et imperio SUBDERE
Bactra caput.

Hunc vide in emendationibus cap. VIII. pag. 155.

31. CONJUGII OBSCOENI] Sic rectissime viri docti codicum scripturam *Conjugis obsceni* correxere, nisi quod particula copulans interjicienda erat, ita:

Quid? modo quae *nostris opprobria vexerat armis*
Et famulos inter femina trita suos,
CONJUGI ET *obsceni pretium Romana poposcit*
Moenia et addictos in sua jura patres!

Nam *quae opprobria* intelligendum est *quanta.*

36. TOLLET NULLA DIES HANC TIBI, ROMA, NOTAM. 40. UNA PHILIPPEO SANGUINE INUSTA NOTA] Intento animo percipe haec ab interpretibus minore, quam fieri debebat, cura tractata. De Aegypto loquitur:

Tres ubi Pompejo detraxit arena triumphos.
Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam.
Issent Phlegraeo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi,

Issent Phlegraeo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.

Una Philippeo sanguine *inusta* nota,
Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas!

Ille versus, quo Pompejum Ptolemaei dolo interfectum Romae aeterno crimini vertit, suspensos tenuit criticos tandem delatos eo, ut Romam perfidiae ultione dimissa aeternam culpam meruisse contenderent. Sed cavendum erat Propertio, ne contumeliose in Augustum diceret. Id fa it, *nulla die tollendam* ignominiam praedicando, quam Augustus ea ipsa die, qua Cleopatra victa erat, sustulerat. Praeterea nimia profecto licen ia est, Memphim primum alloqui:

Et toties nostro, Memphi, *cruenta malo*,

tum vero, Pompejo commemorato:

Tres ubi Pompejo *detraxit arena triumphos*,

ad Romam dirigere orationem:

Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, *notam*,

tum proximo versu, Romae immemorem, ad Pompejum sese convertere:

Issent Phlegraeo melius tibi *funera campo*,
Vel tua *si socero colla daturus* eras.

Sed porro jam majores turbas excitat versus alter:

Una Philippeo sanguine inusta nota.

Miremur poëtam eorum, quae ipse dixit, oblitum. Sola Cleopatra Ptolemaeorum sanguinem dedecoravit, non Auletes ille, a quo factam Pompejo injuriam non esse ultam aeterno Romae opprobrio fuit. Nonne hic pariter ac Clytaemnestra inter Ptolemaeorum gentis dedecora numerandus? Ad hoc *sanguine* pro casu tertio non ferre consuetudinem Propertii, ad librum V, 8, 10. ostendemus. Sed haec quidem Scaligeri potius, quam Propertii aut librariorum culpa est; nam *inusta* ab illo est, scripti omnes habent *adusta*. At hoc tam sensui quam grammaticae nocet. Sed alterum itidem, uti vidimus. Aliud igitur potius hic tentandum erat, et puto me verum vidisse, nempe duos versus in idem vocabulum desinentes loca sua commutare debere, hoc modo:

Noxia Alexandrea, dolis aptissima tellus,
Et toties nostro Memphi cruenta malo,
Tres ubi Pompejo detraxit arena triumphos,
Una Philippeo sanguine ADUSTA notâ.
Issent Phlegraeo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.

Scilicet incesti meretrix regina Canopi —
  Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam —
Ausa Jovi nostro latrantem obponere Anubim,
  Et Tiberim Nili cogere ferre minas,
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
  Baridos et contis rostra Liburna sequi,
Foedaque Tarpejo conopia tendere saxo,
  Jura dare et statuas inter et arma Mari!
Nunc ubi Scipiadae classes, ubi signa Camilli,
  Aut modo Pompeja Bospore capte manu,

V. 41. Anubin. Vers. 47. 48. *positi ante* 61. V. 48. (60.) Et — Bospora capta.

Scilicet incesti meretrix regina Canopi
(Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam)
Ausa Jovi nostro latrantem opponere ANUBIM,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas!

Unam Aegyptum a Philippeo sanguine, hoc est, a progenie *τῶν Διαδόχων*, notam et ignominiam traxisse dicit, cum Syria et Macedonia bonis regibus insignes fuerint. *Uri nota* frequens loquendi genus est, neque *aduri*, ut opinor, ita poni non potest, cum habeat aliquoties urendi significationem; vide Lucretium IV, 329. Ovidium epist. XII, 180. Hoc si nolis, superest ut scribas:

Una Philippeo sanguine es usta nota;

vel etiam:

Una Philippeo sanguine pressa *nota;*

ut apud Ovidium fast. VI, 610.

Certa fides facti dictus Sceleratus ab illa
Vicus et aeterna res ea pressa nota.

Recte vero illo versu,

Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam,

crimen acceptae a Cleopatrae minis ignominiae umquam deletum iri negat. Quam culpam Roma non ulciscenda Pompeji morte contraxerat, Augustus reparare potuit: hanc ignominiam ipsi urbi factam nulla aetas abolitura erat. Caeterum *Anubim* scribe cum codice Neapolitano, et vide de talibus disputantem Huschkium in nupera ad Tibullum annotatione.

46. JURA DARE ET STATUAS] Bene additum *et*, quod scripti ignorant, nisi quod *daret* ex paucis quibusdam annotatur.

47. NUNC UBI etc.] Huic disticho nullum alium locum concedi posse, nisi ut ponatur ante illum versum, *Quid nunc Tarquinii* etc. ad v. 61. dicemus. Sed dubium est, utrum haec tria disticha, *Nunc ubi, Quid nunc, Si mulier* post ver-

Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse securis,
  Nomine quem simili vita superba notat?
Si mulier patienda fuit? cape, Roma, triumphum,
  Et longam Augusto salva precare diem!
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili;
  Accepere tuae Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris,
  Et trahere occultum membra soporis iter.
Non haec, Roma, fuit tanto tibi cive verenda,
  Nec ducis adsiduo lingua sepulta mero.
Septem urbs alta jugis, toto quae praesidet orbi,
  Femineas timuit territa Marte minas!

sum 48. *Jura dare* collocanda sint, an potius ante 69. *Leucadius versas*, ubi hoc distichon *Nunc ubi* in libris scriptis legimus. Illud maluimus, meliorem ita sententiarum ordinem fore sperantes: in altera ratione accuratior oratio est. Caeterum confusio orta esse videtur ex simili duorum versuum exitu, *arma Marii* et *capte manu.*

48. ET MODO POMPEJA BOSPORA CAPTA MANU] *Bospora capta* ferri nequit, cum Graeci *πόρον* neutro genere numquam dixerint; nec quia *Ismara*, *Maenala*, *Gargara* dicimus, licet etiam *Bospora* usurpare. Neapolitanus et Burmanni alter habent *Bosphore capta.* Lege:

AUT *modo Pompeja* BOSPORE CAPTE *manu.*

Nam *Aut*, non *Et*, exhibent libri meliores.

57. NON HAEC, ROMA, FUIT TANTO TIBI CIVE VERENDA, NEC DUCIS ADSIDUO LINGUA SEPULTA MERO] Haec lectio *Nec ducis* est a conjectura Danielis Heinsii, quam de loco suo non dejicimus, quia nihil habemus, quod certo substitui possit. Caeterum *ducis* Antonii hic, ubi de feminarum imperio agit, Propertium non meminisse plane censeo. Sed in codicum quidem lectione nihil sani est, qui hoc distichon ita scriptum praeferunt:

Non hoc (vel *haec*) *Roma fuit tanto tibi cive verenda,*
  Dixit et *assiduo lingua sepulta mero.*

Non hoc plerique habere videntur: *fui*, ni fallor, duo Italici tantum, Perreji et Vaticanus secundus; nam cum Burmannum de Neapolitano fallere sciamus, idem de Menteliano conjicias licet. Quid autem poëta dederit, cum propter alia, tum ideo difficile dictu est, quia dubium est, Romamne an Cleopatram hic alloquatur.

Hannibalis spolia et victi [*monumenta*] Syphacis,
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes;

61. VICTI MONUMENTA SYPHACIS] Ante hunc versum viri docti, Passeratio suadente, illud distichon posuerunt, quod in codicibus medium inter vers. 68. et 69. esse paullo ante dicebamus. Cur nos denuo in alium locum transportaverimus, toto sententiae ambitu considerato intelliges:

Septem urbs alta jugis, toto quae praesidet orbi,
Femineas timuit territa Marte minas!
[Nunc ubi Scipiadae classes? ubi signa Camilli?
Aut modo Pompeja Bospore capte manu?]
Hannibalis spolia, et victi monumenta *Syphacis?*
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes?
Curtius expletis statuit monumenta *lacunis,*
Ac Decius etc.
Haec di condiderunt, haec di quoque moenia servant;
Vix timeat salvo Caesare Roma Jovem.

Primum inepte pondus orationi addit, non Bosporum modo, sed et Hannibalis spolia et victi Syphacis monumenta et fractam Pyrrhi gloriam alloquendo. Ejusdem autem Scipionis bis mentionem facit, *Scipiadae classes* commemorando et *victi monumenta Syphacis.* Tum in sensu horum carminum inest grave vitium. Illi versus *Nunc ubi* et *Hannibalis spolia* ad priorem sententiam pertinent *Septem urbs altà jugis* etc.; quae sequuntur, *Curtius expletis* etc. ad hanc referenda sunt *Haec di condiderunt* etc. Nihilominus poëta ab illa sententia ad hanc ita transit, ut ne sentias quidem; ita increpat Romanos, ut Curtium quoque ac Decium et caeteros increpare videatur. Neque ulla erat tam acriter invehendi causa: si Roma victa esset, poterant omnia illa periisse dici: nunc cum timeret tantum, frustra acta non erant, quin et juvare non nihil poterant. Quanto igitur rectius erit hoc distichon *Nunc ubi* etc. illuc reposuisse, ubi de timore non agitur, sed de periculo urbi a Cleopatra imminente:

Nunc ubi Scipiadae classes, ubi signa Camilli,
Aut modo Pompeja Bospore capte manu?
Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat?
Si mulier patienda *fuit.*

Jam vero hoc effecimus quidem, ut caetera omnia, uti debent, ad illum versum referri possint,

Haec di condiderunt, haec di quoque moenia servant;

caeterum oratio non nimis firmo talo incedit:

Curtius expletis statuit monumenta lacunis,
  Ac Decius misso praelia rupit equo;
Coclitis abscissos testatur semita pontis;
  Est, cui cognomen corvus habere dedit.
Haec di condiderunt, haec di quoque moenia servant:
  Vix timeat, salvo Caesare, Roma Jovem.
Leucadius versas acies memorabit Apollo.
  Tantum operis belli sustulit una dies.
At tu, sive petes portus, seu, navita, linques,
  Caesaris in toto sis memor Iönio.

XI.

Postume, plorantem potuisti linquere Gallam,
  Miles et Augusti fortia signa sequi?
Tantne ulla fuit spoliati gloria Parthi,
  Ne faceres, Galla multa rogante tua?

V. 64. Admisso Decius. — Eleg. XI. *apud Burm.* X.

Septen urbs alta jugis, toto quae praesidet orbi,
Fenineas timuit territa Marte minas!
Hannibalis spolia et victi [*monumenta*] Syphacis,
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes.
Curtius expletis statuit monumenta *lacunis* etc.

Nam quod Vulpius illa vocandi casu, exclamandi gratia, dicta censet, nugae sunt. Sed manifestus hic est librariorum error. Nam monumenta ob Syphacem devictum nulla Scipioni posita fuerunt. Et *monumenta* hic quidem iterari omnino ineptum est. Quare videtur certum, hic verum vocabulum excidisse, *monumentis* illis oscitantia in librariis Propertianis non nova ex versu posteriore in priorem illatis. Fortasse non incommodum orationi fulcrum praebebimus scribendo:

Hannibalis spolia et victi sunt parta *Syphacis,*
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes.

64. ADMISSO DECIUS] Sic Scaliger. Scripti plerique *At Decius misso.* Lege ex Menteliano et aliis quibusdam:

AC *Decius* MISSO *praelia rupit equo.*

quod Heinsius bene tuetur in notis pag. 726.

66. EST CUI] Verissima Broukhusii emendatio: codices *Et cui cognomen;* et mox *condiderant*, quod Livinejus et Scaliger correxerunt, uno Palatino apud Gebhardum astipulante.

Si fas est, omnes pariter pereatis avari,
Et quisquis fido praetulit arma toro!
Tu tamen injecta tectus, vesane, lacerna
Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
Haec tua ne virtus fiat amara tibi,
Neve tua Medae laetentur caede sagittae,
Ferreus aurato neu cataphractus equo,
Neve aliquid de te flendum referatur in urna.
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in casta felix, o Postume, Galla;
Moribus his alia conjuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
Cum sit luxuriae Roma magistra suae?

V. 10. sibi. 12. armato. 18. sis l. norma m. tuae?

XI. [XII.]

10. HAEC TUA NE VIRTUS FIAT AMARA SIBI] *Sibi* Burmannus dedit de conjectura Livineji a tribus libris Italicis confirmata, scilicet quia Hero Ovidiana ita loquitur epist. XIX, 88.

Sic tu temerarius esto,
Ne *miserae* virtus *sit* tua flenda mihi.

At quanto magis tenerum est, quod caeteri meliores summo consensu exhibent:

Illa quidem interea fama tabescit inani,
Haec tua ne virtus fiat amara TIBI.

Nobis si ab his nugis criticis sensus pulchri ac venusti periturus est, placet hoc campo aliis relicto cedere.

12. FERREUS ARMATO NEU CATAPHRACTUS EQUO] Revoca, quod in scriptis omnibus habetur, AURATO *equo*. Nihil difficile in hoc, si de Postumi equo intelligimus. Contra egregium et muliebri ingenio accommodatissimum, non marito tantum, sed et equo aurato timere. Et quid vis? recte sentit Aelia. Quantillum enim Postumus, equo amisso, inter Parthorum equitatum poterat?

18. QUUM SIS LUXURIAE NORMA MAGISTRA TUAE] Scaligeri commentum, illepidum et invenustum, Vulpio judice. Hic probat, quod est in libris omnibus,

Cum sit *luxuriae* Roma *magistra* tuae:

sed *tuae* pro casu tertio haberi, regulae a nobis expositae libro I, 5, 20. non permittunt. Scribe igitur parva mutatione et sensu etiam meliore:

Quid faciet nullo munita puella timore,

Sed securus eas. Gallam non munera vincent,
  Duritiaeque tuae non erit illa memor.
Nam quocumque die salvom te fata remittent,
  Pendebit collo Galla pudica tuo.
Postumus alter erit miranda conjuge Ulixes.
  Non illi longae tot nocuere morae,
Castra decem annorum, et Ciconum manus, Ismara capta,
  Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae,
Et Circae fraudes, lotosque herbaeque tenaces,
  Scyllaque et alternas scissa Charybdis aquas,
Lampeties Ithacis verubus mugisse juvencos, —
  Paverat hos Phoebo filia Lampetie —
Et thalamum Aeaeae flentis fugisse puellae,
  Totque hiemis noctis, totque natasse dies,

V. 25. mons, Ismara, Calpe,

Cum SIT *luxuriae* ROMA *magistra* SUAE?

quomodo et Itali correxerunt in tribus Vaticanis, Perreji et Colotiano. Burmannus quoque probat; nam quod *forma* etiam pro *Roma* legendum conjectat, lusus est, nec majoris aestimandus quam caetera, quae se ingenii et facultatis poëticae exercendi causa suscipere passim significat.

25. CICONUM MONS, ISMARA, CALPE] *Ismari montis*, cujus Virgilius meminit ecl. VI, 30. et georg. II, 37., aliena ab Ulixis historia commemoratio est. Porro nec *mons Ismara* potuit *Calpe Ciconum* dici, neque Calpen vidit Ulixes, certe, si vidit, quod quibusdam scriptoribus placuit, non ante Cyclopem. Puto vitium bene correctum esse a Petro Fonteinio scribente:

Castra decem annorum et Ciconum MANUS, *Ismara* CAPTA.

Vere omnino, nec solus, *Ciconum manus* legendum vidit: confirmat auctor panegyrici in Messalam v. 54.

Nam [Ciconumque manus *adversis reppulit armis*.

Sed et *capta* perbene. Apud Homerum:

Ἰλιόθεν με φέρων ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσεν,
Ἰσμάρῳ· ἔνθα δ' ἐγὼ πόλιν ἔπραθον, ὤλεσα δ' αὐτούς.

πολλὸν ἐν ἀμφιφορεῦσιν ἕκαστοι
Ἠφύσαμεν, Κικόνων ἱερὸν πτολίεθρον ἑλόντες.

Nigrantisque domos animarum intrasse silentum,
Sirenum surdo remige adisse lacus,
Et veteres arcus leto renovasse procorum,
Errorisque sui sic statuisse modum.
Nec frustra, quia casta domi persederat uxor.
Vincet Penelopes Aelia Galla fidem.

XII.

Quaeritis, unde avidis nox sit pretiosa puellis,
Et Venere exhaustae damna querantur opes.
Certa quidem tantis causa et manifesta ruinis:
Luxuriae nimium libera facta via est.
Inda cavis aurum mittit formica metallis,
Et venit e rubro concha Erycina salo,
Et Tyrus ostrinos praebet Cadmea colores,
Cinnamon et multi pastor odoris Arabs.

Eleg. XII. *Burm. XI.*

38. AELIA] Ita bene correxerunt vitiosam codicum scripturam *Laelia Galla.* In capite versus nescio an scripti omnes habeant *Vincit.*

XII. [XIII.]

6. CONCHA ERYCINA] Epitheton ineptum; Broukhusius docuit, nec censeam Propertii esse, sed potius *Erythraea*, quod et Italis visum. Lege Burmannum.

8. CINNAMON ET MULTI PASTOR ODORIS ARABS] Ingeniose, ut solet, homo acutissimus Franc. Guyetus:

Cinnamon et multi coston *odoris Arabs.*

Sed hoc vulgari scripturae non praestat, in qua *pastor Arabs* cur displiceat, non video: in hoc offendor, quod cinnamum aut costum *multi odoris* dicitur, cum *multus odor* potius multa aromata indicare videatur. Velim:

Cinnamon et culti messor *odoris Arabs.*

Tibullus IV, 2, 17.

Possideatque, metit *quicquid felicibus arvis*
Cultor odoratae *dives* Arabs *segetis.*

Statius silv. III, 3, 33.

tu largus Eoa
Germina, *tu* messes *Cilicumque* Arabumque *superbis*
Merge rogis.

in quo loco *Eoa gramina* scribendum esse, persuadent mihi quae Burmannus ad Propertium notat pag. 425.

Haec etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quaeque terunt fastus, Icarioti, tuos.
Matrona incedit census induta nepotum,
Et spolia obprobrii nostra per ora trahit.
Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi;
Et, si qua est, pretio tollitur ipsa mora.
Felix Eois lex funeris una maritis,
Quos Aurora suis rubra colorat equis.
Namque ubi mortifero jacta est fax ultima lecto,
Uxorum fusis stat pia turba comis,
Et certamen habent leti, quae viva sequatur
Conjugium; pudor est, non licuisse mori.
Ardent victrices, et flammae pectora praebent,
Inponuntque suis ora perusta viris.
Hic genus infidum nuptarum: hic nulla puella
Nec fida Euadne nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata juventus,
Divitiae quorum messis et arbor erant.

V. 14. Aut — ista. 23. puella:

14. AUT SI QUA EST, PRETIO TOLLITUR ISTA MORA] *Ista* Broukhusius dedit, quod impugnarem, si esset aliunde petitum, quam ex codice Commeliniano. Tu lege *Ipsa mora* ex caeteris omnibus; sed pro *Aut* repone *Et* cum Livinejo:

Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi;
ET, *si qua est, pretio tollitur* IPSA *mora.*

Omnes puellae poscunt, inquit, omnes amatores praebent munera; et, non dicam, integras non servat pudicitia, sed ne moram quidem facit libidini; nam ipsa mora, si qua est, pretio tollitur.

23. HIC NULLA PUELLA:] Viri docti corrigunt: *Hic nulla pudica est.* Sed locus ab sola interpunctione laborat. Scribe:

Hic genus infidum nuptarum; *hic* nulla *puella*
Nec *fida Euadne* nec *pia Penelope.*

Nulla nec duplici negatione, ut supra:

Nulla neque *ante tuas orietur rixa fenestras,*
Nec *tibi clamatae somnus amarus erit.*

25. PACATA JUVENTUS] Janus Gulielmius, Burmanno plaudente, ingeniose tentat:

Felix agrestum quondam pa*gana juventus.*

Illis munus erat decussa Cydonia ramo
 Et dare puniceis plena canistra rubis,
Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre
 Lilia vimineos lucida per calathos,

V. 27. pompa fuit.

Sed *pacata* recte habet, hoc est, pacis studiosa. Silius VII, 665.

Zeusis, Amyclaei stirps im-
 pacata *Phalanti.*

Quin de rusticis Manilius IV, 140.

Taurus simplicibus dictabit
 rura colonis,
Pacatisque *labor veniet; nec*
 praemia laudis,
Sed terrae tribuet partus.

Ita enim sane legendum videtur, quamquam *Pacatique* ex libris vetustis probant Scaliger et Bentlejus. *Pacatum* pro solo pacato recte dici non persuadeor, nec tuetur Horatius epist. I, 2, 45.

incultae pacantur *vo-*
 mere silvae.

cui loco illud Manilii non absimile est IV, 182.

postes ornare super-
 bos
Pellibus, et captas domibus
 praefigere praedas,
Et pacare metu silvas, *et vi-*
 vere rapto.

ubi bene tuetur Bentlejus *pacare metu.* Nemesianus in cyneget. 304.

Linea quinetiam, magnos
 circumdare saltus
Quae possit, volucresque me-
 tu concludere praedas,
Digerat innexas non una ex
 alite pennas.

27. ILLIS POMPA FUIT] Ita Volscus anno MCCCCLXXXVIII. et post eum alii multi: caeteri impressi veteres nostri, *Illis munus erant.* Illud non improbo: sed quoniam libri tantum Colbertini et Regii, qui recentissimi et Italici sunt, confirmant, malo cum caeteris melioribus scribere: *Illis* MUNUS ERAT. Nam *erant*, quod habent multi, ferri non potest.

30. VIMINEOS LUCIDA PER CALATHOS] Hanc virorum doctorum emendationem Burmannus admisit. *Cur autem mutes vulgatam?* Broukhusius ait; rectissime. Quis enim jure hic impugnet VIRGINEOS *calathos*, *παρθενικὰς καλαθίσκους?* Sed paullo post primi editores jam recte dederunt *plumae versicoloris* (hoc enim ante Beroaldum Calphurnius jam exhibuit anno MCCCCLXXXI.): in scriptis est *varicoloris* et *viricoloris.* Tum egregie Scaliger *Hinulei pellis*, vel potius *Hinnulei*, cum codices habeant *Atque hinuli* vel *humili pellis.* Porro *latas umbras* recte Beroaldus: libri veteres *lentas* habent, pauci etiam *laetas.* Haec omnia commemorasse sufficit; facimus ideo, ut quoties codices Propertiani opem a conjectura postulent intelligas, quam ei a prioribus criticis et a me

Et portare suis vestitas frondibus uvas,
Aut variam plumae versicoloris avem.
His tum blanditiis furtiva per antra puellae
Oscula silvicolis emta dedere viris.
Hinnulei pellis totos operibat amantis,
Altaque nativo creverat herba toro,
Pinus et incumbens latas circumdabat umbras,
Nec fuerat nudas poena videre deas,
Corniger inque dies vacuam pastoris in aulam
Dux aries saturas ipse reduxit oves,
Dique deaeque omnes, quibus est tutela per agros,
Praebebant vestris verba benigna focis:

V. 35. Hinulei. 39. Idaei. 42. versis v. secunda.

passim allatam ne morosos quidem culpaturos esse confido: ubi erravimus, neque illi sibi credi voluerunt, neque ego mihi veniam posco.

39. CORNIGER IDAEI] Hoc ab Antonio Volsco est, qui plura nomina propria in hoc auctore primus restituit, hic tamen, si quid video, minus, quam alibi, felix. Paridis enim hinc aliena commemoratio est, cum sequatur:

Praebebant vestris *verba benigna focis.*

Et videndum est, ne Propertius hic ad Saturnia potius Italiae saecula, quam ad Graecos respiciat. Libri veteres: *Corniger atque dei.* Repono:

Corniger INQUE DIES *vacuam pastoris in aulam*
Dux aries saturas ipse reduxit oves.

42. VERSIS VERBA SECUNDA FOCIS] Haec lectio partim a Scaligero venit, partim ab ejusdem libro Cujaciano. Tu cum cáeteris omnibus scribe:

Praebebant VESTRIS *verba* BENIGNA *focis.*

Recte *Vestris* ex more Propertii ubique a tertia persona ad secundam transeuntis. De ingente exemplorum numero paucula tantum posuimus:

Foedavitque comas et tanti corpus Achilli,
Maximaque in parva sustulit ossa manu,
Cum tibi nec Peleus aderat.
Illa meos somno lapsos patefecit ocellos
Ore suo, et dixit: Siccine lente jaces?
Quam vario amplexu mutamus brachia! quantum
Oscula sunt labris nostra morata tuis!
Ipsa Venus fertur corrupta libidine Martis etc.
Cum quibus Idaeo legisti poma sub antro.

ET LEPOREM, QUICUMQUE VENIS, VENABERIS, HOSPES,
  ET SI FORTE MEO TRAMITE QUAERIS AVEM;
ET ME PANA TIBI COMITEM DE RUPE VOCATO,
  SIVE PETES CALAMO PRAEMIA, SIVE CANE.
At nunc desertis cessant sacraria lucis:
  Aurum omnes victa jam pietate colunt.
Auro pulsa fides; auro venalia jura;
  Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur limina Brennum,
  Dum petit intonsi Pythia regna dei;
At mons laurigero concussus vertice diras
  Gallica Parnasus sparsit in ora nivis.
Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
  Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.
Tu quoque ut auratos gereres, Eriphyla, lacertos,
  Dilabsis nusquam est Amphiaraus equis.
Proloquar, atque utinam patriae sim vanus aruspex:
  Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.

V. 46. petas.

ut multo nihil est mutata Lyaeo!
Jam bibe, formosa es: nil tibi vina nocent.
Tres ubi Pompeji detraxit arena triumphos etc.
Issent Phlegraeo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.
Si mulier patienda fuit etc.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili,
Accepere tuae Romula vincla manus.

46. SIVE PETAS] Libri meliores, Groning. Neapol. Mentel. Palatt. cum aliis innumeris:

Sive PETES *calamo praemia, sive cane.*

Et hoc Leonidas Tarentinus confirmat, cujus epigramma XVII. hic a Propertio expressum esse satis constat:

Εὐάγρει, λαγοθῆρα, καὶ εἰ πετεηνὰ διώκων
Ἰξευτῆς ἥκεις τεῖθ᾽ ὑπὸ δισσὸν ὄρος.
Κἀμὲ τὸν ὑλήωρον ἀπὸ κρημνοῖο βόασον
Πᾶνα· συναγρεύσω καὶ κυσὶ καὶ καλάμοις.

55. TE SCELUS] Libri omnes habent *Et scelus. Te* tamen, quod verum est, Puccius annotat, fortasse ex Vallae codice.

59. ATQUE UTINAM PATRIAE

Certa loquor, sed nulla fides; neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Maenas habenda malis.

SIM VANUS ARUSPEX] In diversa hic abeunt codices scripti. *Vanus aruspex* habent quidem multi, sed inter optimos fortasse solus Mentelianus: contra major pars *Verus aruspex* prae se ferunt. Hoc posterius critici non debuerunt improbare. *Verus* patriae suae aruspex *esse*, id est, videri postulat. Sed et alterum bene habet, *Utinam patriae sim vanus aruspex*, si *sim* aliter accipias: Utinam vana sint, quae vaticinor patriae. Ita Hanno apud Livium XXI, 10. *Sagunti ruinae* (falsus utinam vates sim!) *nostris capitibus incident*. Recte etiam sic ponitur dativus *patriae*. Ovidius epist. XV, 123.

Ah nimium vates miserae
mihi *vera* fuisti!

Inest tamen ambiguitas aliqua huic lectioni. Nam *vanus aruspex* non tantum falsus dicitur, ut apud Silium V, 163.

dum vos augur et extis
Quaesitae fibrae vanusque
moratur aruspex,

sed et is, qui frustra vaticinatur, cui nemo credit: quomodo usurpavit Seneca Troad. 37.

Quaecumque Phoebas ore lymphato furens,
Credi deo vetante, praedixit mala,
Prior Hecuba vidi gravida, nec tacui metus,
Et vana vates *ante Cassandram fui.*

Posses igitur Propertium ita intelligere velle: Utinam cives mei mihi non credant! quod foret contra ejus consilium.

61. CERTA LOQUOR, SED NULLA FIDES. NEQUE ENIM ILIA QUONDAM VERAX PERGAMEIS MAENAS HABENDA MALIS] Hic locus a criticorum temeritate multa mala passus est. Scilicet idem, quod Propertio, bonis librariis evenit: vera loquuntur, sed nulla fides. Ac primum quidem Burmannus iis se jure opposuit, qui *Maenada* Cassandram non ferentes *Phoebada* substituerant. Ovidius amor. I, 9, 38.

Summa ducum Atrides visa
Priameide fertur
Maenadis *effusis obstupuisse comis.*

Sed porro idem Burmannus cum aliis *habenda* pro habita positum contendit, quod ne ratione impugnaretur, duobus exemplis munivit, Propertii altero IV, 7, 39.

Cui nunc si qua data est furandae *copia noctis;*

altero Ciceronis de offic. I. cap. I. *habendis praeceptis;* pro *furatae*, inquit, et *habitis*. At in Propertii versu *furandae noctis* idem est, quod *furandi noctem*, neque ullam in se temporis definitionem continet. Cicero testis citatus non respondet, nisi forte Burmannus ad illa respexerit de offic. I, 2, 5. *Quis est enim, qui nullis officii* praeceptis tradendis *philoso-*

Sola Parin] Phrygiae fatum conponere, sola
Fallacem patriae serpere dixit equum.

phum se audeat dicere? ubi *tradendis* pariter est sextus infinitivi casus; nec prorsus verum est, quod J. M. Heusingerus dicit, *hoc participium habere praesentis significationem*, si de praesente relativo intellexit; nam habet praesentis ἀοϱίςϛ significationem. Caeterum qui Burmannum sequuntur, videant, ne Livii locum in praefatione intelligere prorsus non possint: *Quae ante conditam condendamve urbem, poëticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare nec refellere in animo est.* Quae ita capienda sunt: Ante quam urbs condita esset aut conderetur, *vor dem erbautsein oder erbautwerden:* illud longinquius, hoc proximius tempus indicat. Haec de Burmanno: quid Broukhusius? Particulam *enim* nocere sententiae querens, Quod medicina non sanat, inquit, ferrum sanat; et admoto cultello critico innocentem particulam resecat, acriter in eos invehens una, qui hiatu in poëtis Latinis non delectentur. At vero paucis annis post Richardus Bentlejus hiatum in brevi syllaba, qualis hic est, *neque Ilia*, poëtas Romanos numquam admisisse docuit ad Horatium carm. III, 14, 11. Quod quia neque Alexandro Cuningamo neque aliis, ut videtur, persuadere potuit, libet mihi hic paullum exspatiari et omnia illa loca examinare, in quibus aut Bentlejus aut Cuningamus aut nos ejusmodi hiatum invenimus, ut in singulis aut controversam lectionem esse aut vacillare sensum intelligant harum rerum curiosi. Itaque in Horatii versu,

Jam virum expertae, male ominatis parcite verbis,

interpretes dimidiam codicum partem *nominatis* exhibere testantur: recte, ut opinor, Bentlejus *inominatis* reposuit. Caeterum ne, quod nobis saepe visum est, Bentlejanam ad Horatium annotationem nimia prolixitate laborare credamus, ecce! Carolus Vanderburgius in nupera Horatii editione probat *male nominatis*, scilicet quia Bentlejus tanti non duxit annotare, *verba nominata* Latine non dici. Apud eumdem Horatium epod. XII, 25.

O ego infelix, quam tu fugis —

Bentlejus optimorum codicum scripturam *non felix* recte tuetur. Nam ne *ego* syllaba posteriore porrecta hiare posse dicas, eam a bonis poëtis semper corripi docet Heinsius ad epiced. Drusi v. 193., ad nostrum Burmannus pag. 94. Quare apud Catullum XIX, 1. inserta alloquendi particula legendum puto:

Ille furor patriae fuit utilis, ille parenti;
  Experta est veros inrita lingua deos.

Hunc ego, ô juvenes, locum villulamque palustrem.

Aliud brevis syllabae non liquescentis exemplum Bentlejus excitavit e Catullo III, 16.

O factum male! o miselle passer.

corrigere ausus non est. Vitiosum esse arguunt codicum lectiones apud Achillem Statium et Janum Meleagrum, sub cujus nomine Balthas. Venatorem latere volunt. Idem Catullus XI, 11.

Gallicum Rhenum, horribilisque ultimosque Britannos.

Recte olim impressi: *horribiles et.* Virgilius ecl. II, 53.

Addam cerea pruna, honos erit huic quoque pomo.

Quid est, cur altera lectio rejiciatur, *Et honos erit?* Porro georg. IV, 521.

*Inter sacra deum nocturna*que *orgia Bacchi.*

Ita olim excusi et aliquot scripti: meliores universi *nocturnique.* Item Aen. IX, 13.

Rumpe moras omnis, turbataque arripe castra:

meliores *et turbata.* Porro apud Persium III, 66.

Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum,

In bonis exemplaribus non *o*, sed *io* legitur. Statius Theb. II, 549.

Solus in arma voco. neque his mora.

Recte ex libris Gronovius *Neque in his mora.* At in Ciri quod habetur versu 326. vitii arguit ipsa oratio:

per me, mea alumna, tuumque
Expertum multis miserae mihi rebus amorem,
Per me, et sacra precor, per flumina Ilithyiae.

Corrigit Gronovius ad Livium XXIX, 18.: *per*, te, *mea alumna*, et, *Per*, te, *sacra precor, per* luminaque *Ilithyiae.* Ibi haec notat inter alia: ,,Contextus orationis satis indicat copulativam excidisse. Nam ita concipiuntur preces: *per, te, precor, mea alumna, et amorem tuum, et per sacra perque lumina Ilithyiae.* Si unam ex posterioribus conjunctionibus demas, non tam versus quam sermo indecore hiat.''

In Catulli carmine LXIII, 18.

Hilarate excitatis erroribus animum.

Sensus non constat. Octavius Pantagathus apud Muretum *Hilarate herae citatis.* Bene *citatis erroribus*, ut versu 26.

Quo nos decet citatis *celerare* tripudiis:

sed suum potius, quam Cybeles animum hilarare debuerunt. Puto:

Hilarate, grex, citatis *erroribus animum.*

Iterum Catullus LXI, 83.

Tardet ingenuus pudor,
Quem tamen magis audiens
Flet, quod ire necesse est.

Sed moraris; abit dies;
Prodeas, nova nupta.

Necesse sit male reposuerunt. Sed totus hic locus perturbatus est. Illa *Quem tamen* ita posita stare non possunt. Duos postremos versus libri veteres excludunt, non tantum in hac stropha, sed etiam in praecedente. Quid igitur, si hic olim omnia alia fuerunt, ille autem versus in fine strophae locum habuit,

Flet, quod ire necesse est?

Sed in prognosticis Germanici fragm. II, 71. legitur:

Nubila atque imbres, aestus
ac frigora miscet.

Is locus et ipse tam mancus et perturbatus est, ut dici non possit, quam recte Grotius *Nubilaque* reponi voluerit. Vide enim, quantae eum lacunae in his versibus fefellerint et ad inania tentanda impulerint:

Ast ubi se Taurus sinuatis
cornibus effert,
. . . .
Grandine. significat Geminis
tranquilla sereni,
Et placidum nautis spondet
caelumque fretumque.
. . . .
Nubila * atque i*mbres, aestus*
ac frigora miscet

De Mercurio loquitur ejusque per zodiacum transitu. Postremo versu dicit de Mercurio in Cancri signo; mox post versum 76. denuo aliquid de Scorpio periit. Quis jam omnibus his, de quibus dictum est, locis consideratis, eos, in quibus hiatum illum nec sensus improbat nec librorum fortasse auctoritas destituit, tuendos suscipiat? Ex eo genere est Ovidii versus a Cuningamo ad refutandam Bentleji doctrinam allatus, metam. V, 625.

Et bis, Io Arethusa, Io Arethusa, vocavit.

Scripsit, ni fallor:

Et bis, Io Arethusa, et, *Io*
Arethusa, vocavit.

sicut art. amator. II, 1.

Dicite, Io Paean, et, *Io*;
bis *dicite, Paean.*

Nam poëtas Romanos *io* priore syllaba producta usurpasse Schraderus recte videtur negare in emendationum praefatione pag. XLV. XLVI., quamquam id apud Graecos non novum esse Seidlerus docuit in de versibus dochmiacis, vol. II. pag. 277. Caeterum supererant Plauti versus non pauci, qui hiant in brevi syllaba, de quibus disputandi olim fortasse dabitur nobis occasio; nam de his quidem dicere longum est. De versu Virgilii,

Et vera incessu patuit dea.
ille ubi matrem,

Bentlejus ad Horatium exposuit. Sed ut ad nostrum Propertii locum tandem aliquando redeamus, restat nobis Johannis Schraderi commentum, nimis quidem temerarium illud neque a veri similitudine commendabile:

Certa loquor, sed nulla fides.
nec credita *quondam*
Verax Pergameis Maenas
habenda malis.

Hoc ego, si in scriptis legeretur, non magis quam Broukhusianum, quod unus codex

XIII.

Multa tuae, Sparte, miramur jura palaestrae,
Sed mage virginei tot bona gymnasii,
Quod non infamis exercet corpore ludos
Inter luctantis nuda puella viros,
Cum pila velocis fallit per brachia jactus,
Increpat et versi clavis adunca trochi,

Eleg. XIII. *Burm. XII.* V. 5. veloci—jactu.

confirmat, probarem. Quid enim hoc est: *Mihi nemo credit, nec Cassandra olim invenit fidem?* Quae cohaerentia? Quam parum aptus sententiarum connexus! Contra ea in codicum scriptura meliora sunt omnia:

Certa loquor, sed nulla fides; neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Maenas habenda malis.

Hoc dicit: Certa vaticinor, nemo credit; nec mirum, cum Cassandrae quoque nemini persuadere fatale fuerit. Subjicit versu ultimo:

Experta est veros irrita lingua deos,

id est, Cassandra nemini credita veros deos habuit, vero furore impulsa fuit: sic ego certa loquor, sed nulla fides. Hoc participium *habenda* ita intelligi vult, quae haberi debuit. *Verax habenda non fuit*: fatale fuit, ut vera non haberetur. *Neque enim* simili prorsus ratione Ovidius posuit metam. IV, 609.

Solus Abantiades ab origine cretus eadem
Acrisius superest, qui moenibus arceat urbis
Argolicae, contraque deum ferat arma, genusque
Non putet esse Jovis. neque enim *Jovis esse putabat*
Persea, quem pluvio Danaë conceperat auro.

XIII. [XIV.]

3. LUDOS] Sic optime Joannes Auratus. Scripti *laudes.*

5. QUUM PILA VELOCI FALLIT PER BRACHIA JACTU] Ista lectio a Scaligero est: aliam magis planam et veram libri omnes sistunt,

Cum pila VELOCIS *fallit per brachia* JACTUS,

id est, *veloces*, ex antiquo scribendi more. Pila *per brachia*, dum inter brachia, nunc hac, nunc illa jactante, vagatur, *veloces jactus fallit*, velociter nimis jactantes decipit, in aliam, quam debuit, viam delata. *Jactus* enim jaciendi actum, non, quod Scaliger voluisse videtur, effectum indicat, τὸ βάλλειν, non τὸ βάλλεσθαι. Noster III, 30, 60.

Pulverulentaque ad extremas stat femina metas,
  Et patitur duro volnera pancratio,
Nunc ligat ad caestum gaudentia brachia loris,
  Missile nunc disci pondus in orbe rotat,
Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,
  Virgineumque cavo protegit aere caput;

V. 12. praetegit.

Quem tetigit jactu *certus ad ossa deus.*

Ovidius metam. XIII, 565.

Clade sui Thracum gens irritata tyranni
Troada telorum lapidumque incessere jactu
Coepit.

Pila autem jactum *fallit per brachia*, inter brachia, ut Ovidius fast. VI, 343.

Territa voce gravi surgit dea. convolat omnis
Turba. per *infestas* effugit *illa* manus.

11. GYRUM PULSAT EQUIS] Hoc loquendi genus cum inexplicabile videretur Joanni Schradero et Petro Burmanno, probarunt, quod inter Latini Latinii variantes legitur, ab ingenioso Italo excogitatum:

Circum *pulsat equis, niveum latus ense revincit.*

Eorum judicio Heynius quoque accedit in observat. ad Tibullum IV, 1, 94. *Circum* pro hippodromo Manilius quoque posuit V, 89.

Aut solo vectatus equo nunc arma movebit,
Nunc ciet in longo per cursus praelia circo.

Quid vero, si vulgaris, quam libri omnes retinent, scriptura eamdem plane sententiam praebet? Id ne multis ostendere cogamur, otium nobis fecit ipse Burmannus, qui ad Anthologiam Latinam III, 15, 15. pag. 468. 469., ne nostro quidem loco omisso, *gyros* pro septenis Circi spatiis dici ostendit. Hinc noster, ut alii *campum equis pulsari* dicunt, quomodo v. c. Ovidius loquitur metam. VI, 219.

Murus erat lateque patens prope moenia campus,
Assiduis pulsatus equis,

hos *gyros*, haec spatia, *equis pulsari* facit, eodem Ovidio concinente metam. VI, 487.

Jam labor exiguus Phoebo restabat, equique
Pulsabant *pedibus* spatium *declivis Olympi.*

12. PRAETEGIT] Ita Broukhusius ex Vaticano Livineji, cui Vossianus quartus astipulatur. Caeteri meliores (nam illi Italici sunt):

Virgineumque cavo PROTEGIT *aere caput.*

Recte, Claudianus in Eutrop. II, 120.

Aspicis obscenum facinus? quid crinibus ora
Protegis?

Ovidius metamorph. XII, 273.

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodontiacis turba, lavatur, aquis,
Et modo Taygeti, crinis aspersa pruina,
Sectatur patrios per juga longa canes.

Vers. 15. 16. *post* **13. 14.** *positi.* **V. 14. (16.) turma lavatur aq.**

dextraque a parte Charaxi
Tempora *perfringit fulvo* protecta *capillo.*

Ibidem versu 351.

Robore Nedymnum jaculatoremque Lycotan
Sternit, et immissa protectum pectora *barba*
Hippason.

Statius silv. V, 3, 142.

nunc ramis Phoebi, nunc germine Lernae,
Nunc Athamantea protectum tempora *pinu.*

13. ET MODO TAYGETI. 15. QUALIS AMAZONIDUM etc.] Haec disticha critici omnes contra codicum fidem hoc ordine ponunt; quod quo jure faciant, toto sententiae ambitu considerato intelligemus:

Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,
Virgineumque cavo protegit aere caput.
Et modo Taygeti crines aspersa pruina
Sectatur patrios per juga longa *canes.*
Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodontiacis turma *lavatur* aquis.
Qualis et Eurotae Pollux et Castor arenis,
Hic victor pugnis, ille futurus equis.
Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec fratres erubuisse deos.

Puellam Spartanam eo modo in monte Taygeto venari dicit, quo in Thermodonte lavantur Amazones et Eurotae litore Dioscuri, sorore Helena una cum his armorum studia exercente. Viden? Venari illam, ut Amazones lavantur; venari, ut Pollux et Castor lavari solebant; hos in Eurotae litore lotos esse; Helenam inter lavandum arma sumsisse. Quid dicis? Nonne absurda haec sunt et insana? Succurrit Heinsius scribendo:

Thermodontiacis turma vagatur *agris*,

vel *equis;* audacter sane, non tamen sine successu. At unum ita quoque restat, tales esse puellas Laconicas, qualem Castorem ac Pollucem cum sorore Helena. Atqui hic ipsi Lacones erant et eadem disciplina instituti. Quid igitur collatio juvare potest? Sed nos haec vitia tam crassa, tam puerilia, num digna Propertio judicabimus? Credat, qui potest: mihi dubium non videtur, quin re-

Qualis et Eurotae Pollux et Castor arenis,
Hic victor pugnis, ille futurus equis,

etius sit, servato, qui in libris scriptis est, versuum ordine, unum parvulum vitium minima mutatione expellere. Videamus singula. Poëtam de femina Spartana loqui meministi:

Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,
Virgineumque cavo protegit aere caput.

Jam aliud narrat, quomodo lavetur:

Qualis Amozonidum nudatis bellica mammis
Thermodontiacis TURBA, lavatur, *aquis.*

Ita subdistingue. Lavatur puella, ut lavantur in Thermodonte Amazones. Ne te structura orationis moretur, par est Catulli illud LXIV, 239.

Haec mandata prius constanti mente tenentem
Thesea, ceu pulsae ventorum flamine nubes
Aërium nivei montis, liquere, *cacumen.*

Pro *turba* ex uno libro Heinsiano *turma* repositum est: sed illud praestat, quando cum equis lavatum non ierunt. Quare frustra hoc et aliis multis et Statii loco tueri velles silv. I, 6, 53.

Stat sexus rudis insciusque ferri,
Et pugnas *capit improbus viriles.*
Credas ad Tanaim ferumve Phasim
Thermodontiacas *calere* turmas;

ex quo tamen vir doctus intelligere potuit, *Thermodonteis* hic non esse, ut ipse fecit, scribendam, sed *Thermodontiacis*, quod et libri plerique exhibent, littera *o* tamen in tertia syllaba fere geminata. Sequente disticho de venatione agitur:

Et modo Taygeti, crines aspersa pruina,
Sectatur *patrios per juga longa* canes.

Neque *Hortatur* legendum est cum Joanne Schradero, cui se Huschkius recte opposuit. Ovidius metam. III, 228. de Actaeone:

Ille fugit, per quae fuerat loca saepe secutus;
Heu famulos fugit ipse suos.

Canes fugit, quos olim secutus erat. Idem epist. V, 20., ubi nostrum locum imitatur:

Saepe citos egi per juga longa canes.

Porro quae sequuntur, non collationis causa posita sunt, sed exempli. Nam *Qualis* non dicit, sed *Qualis et*, hoc est, Talis etiam:

Qualis et *Eurotae Pollux et Castor* arenis,
Hic victor pugnis, ille futurus equis;
Inter quos *Helene nudis capere arma papillis*
Fertur, nec fratres erubuisse deos.

Hac eadem disciplina Tyndaridas usos esse dicit. Sed attende; in Eurotae *arenis* (ita enim legendum esse, non *habenis*,

Interque hos Helene nudis capere arma papillis
  Fertur, nec fratres erubuisse deos.
Lex igitur Spartana vetat secedere amantis,
  Et licet in triviis ad latus esse suae;
Nec timor, aut ulla est clausae tutela puellae,
  Nec gravis austeri poena cavenda viri.
Nullo praemisso, de rebus tute loquaris
  Ipse tuis: longae nulla repulsa morae.
Non Tyriae vestes errantia lumina fallunt,
  Est neque odoratae cura molesta comae.
At nostra ingenti vadit circumdata turba,
  Nec digitum angusta est inseruisse via.
Nec quae sint facies, nec quae sint verba rogandi,
  Invenias: caecum versat amator iter.
Quod si jura fores pugnasque imitata Laconum,
  Carior hoc esses tu mihi, Roma, bono.

V. 19. Inter quos.

quod est in scriptis omnibus, Antonius Volscus jam ante tria saecula vidit; *παρ' Εὐρώταο λοετροῖς* dici Theocritus XVIII, 23.), sed in Eurotae arenis quid fecerint non dicit. Nam venari quidem, quod praecessit proxime, in Eurotae litore non potuerunt. Neque haec debuit esse summa sententiae, Castorem et Pollucem ita institutos fuisse, sed eos una cum sorore negotia bellica tractare didicisse. Quare, ne hic pendeat constructio, laboret sententia, ita scribimus:

Qualis et Eurotae Pollux et Castor arenis,
Hic victor pugnis, ille futurus equis,
INTERQUE HOS *Helene nudis capere arma papillis*
Fertur, nec fratres erubuisse deos.

Interque hos legendum est, non *Inter quos;* neve te fallat non ignota nobis licentia pronominis improprie poni soliti in talibus, *inter quos, in quibus:* ea licentia hic omnem sermonis et structurae vel sic satis licentiosae ordinem penitus eversura erat.

28. ODORATAE — COMAE] Optime correctum a Cantero, quod in libris omnibus erat, *domi;* in multis etiam *adoratae* legitur. Caeterum versu superiore Groninganus, Neapolitanus, Guarnerianus cum aliis habent *Nec Tyriae vestes* pro *Non:* sed nihil refert.

XIV.

Sic ego non ullos jam norim in amore tumultus,
  Nec veniat sine te nox vigilanda mihi!
Ut mihi praetextae pudor est velatus amictu,
  Et data libertas noscere amoris iter,
Illa rudis animos per noctis conscia primas
  Inbuit heu nullis capta Lycinna datis.
Tertius, haud multo minus est, cum ducitur annus;
  Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor, nec femina post te
  Ulla dedit collo dulcia vincla meo.

Eleg. XIV. *Burm. XIII.*

XIV. [XV.]

3. UT MIHI PRAETEXTAE PUDOR EST VELATUS AMICTU] Versus a multis, sed frustra, si quid video, sollicitatus. Scaliger reposuit *pudor exvelatus*, vocabulo non Latino. Guyetus *pudor est elatus*, ut paullo post, *Cuncta tuus sepelivit amor:* sed *efferre* figurate ita dici non memini, nec cum *amictu* bene coit. Santenius, referente et unice probante Ruhnkenio in praefatione lexici Schelleriani:

Ut mihi praetextae pudor
exsinuatus *amictu,*

quod firmat epigrammate de rosis Anthol. Lat. III, 288.

Dum levat una caput, dumque explicat altera nodum,
Huic dum virgineus pudor exsinuatur amictu,
Ne pereant, lege mane rosas; cito virgo senescit.

Haec vero ad Propertium quid faciant non video, si modo recte ita capio, ut rubor pudens in petalis (haec sunt *amictus* rosae) se in sinum dicatur expandere vel *solvere*, quomodo auctorem Pervigilii Veneris loqui vidimus ad librum III, 6, 25. Recte autem ita intelligi ex idyllio de rosis patet Anthol. Lat. III, 291, 29.

Vertice collectos illa exsi-
nuabat amictus.

Quare praestat haud dubie veterem ac vulgarem scripturam hic retinere:

Ut mihi praetextae pudor
est velatus *amictu,*

ad quam vindicandam vel unus Statii versiculus sufficere potest silv. II, 1, 136.

Sola verecundo *deerat* praetexta decori.

Dictionem Lucanus confirmat II, 360.

Non timidum nuptae leviter
tectura pudorem
Lutea demissos velarunt flammea *vultus.*

et Seneca Troad. 89.

Cui conjugio

Testis erat Dirce, tam vero crimine saeva,
  Nycteos Antiopen adcubuisse Lyco.
Ah quotiens pulchros ussit regina capillos,
  Molliaque inmitis fixit in ora manus!
Ah quotiens famulam pensis oneravit iniquis,
  Et caput in dura ponere jussit humo!
Saepe illam inmundis passa est habitare tenebris,
  Vilem jejunae saepe negavit aquam.
Juppiter, Antiopae nusquam succurris habenti
  Tot mala? conrumpit dura catena manus.
Si deus es, tibi turpe tuam servire puellam.
  Invocet Antiope quem nisi vincta Jovem?

V. 11. erit. 21. servare puellam?

Pectora velas, captive pudor?
Cingat tunicas palla solutas.

11. TESTIS ERIT DIRCE] Cuius rei testem faciat Dircam, non apparet. Quare multi ante hunc versum aliquid excidisse opinantur, Vulpius et Burmannus paenultimum distichon huc revocant:

At tu non meritam parcas vexare Lycinnam.
Nescit vestra ruens ira referre pedem.
Testis erit Dirce.

Probarem, nisi ita initio carminis meliore facto finem corrumperent. Nam nunc ista male et sine ullo connexu post narratam historiam adjiciuntur:

Fabula nulla tuas de nobis concutet aures,
Te solam et lignis funeris ustus amem.

Id, quod verum est, Johannes Livinejus vidit, cum quo scribimus:

Testis ERAT *Dirce, tam vero crimine saeva,*
Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.

Hoc dicit: Quae te, ne saevias, moneat, Dirce est, in vero crimine nimis saeva, cum testis fuit Antiopam Lyco accubuisse. Sic supra eleg. 12, 51.

Torrida sacrilegum testantur *limina Brennum,*

hoc est, Ne nos auri cupidine sacrilegi esse velimus, Brennum, qui nobis exemplo esse possit, sacrilegum fuisse torrida limina testantur. Eleg. 6, 21.

Sunt Agamemnonias testantia *litora curas,*
Quae notat Argynni poena, minacis aquae.

hoc est, Ut caveas, Agamemnonis dolorem testantur litora.

21. SI DEUS ES, TIBI TURPE TUAM SERVARE PUELLAM?] In hac lectione, quam Groninganus cum aliis permultis agnoscit, verba *Si deus es* carent

Sola tamen, quaecumque aderant in corpore vires,
Regalis manicas rupit utraque manu.
Inde Cithaeronis timido pede currit in arcis.
Nox erat, et sparso triste cubile gelu.
Saepe vago Asopi sonitu permota fluentis
Credebat dominae pone venire pedes;
Et durum Zethum, et lacrimis Amphiona mollem
Experta est stabulis mater abacta suis.
Ac, veluti magnos cum ponunt aequora motus,
Eurus ubi adverso desinit ire Noto,
Litore sic tacito sonitus rarescit arenae;
Sic cadit inflexo labsa puella genu.

V. 32. in adversos — notos, 33. si.

sensu. Repone ex Neapolitano, Menteliano et aliis:

Si deus es, tibi turpe, tuam SERVIRE *puellam.*

quod et Burmannus probat. Sic libro III, 22, 1.

Juppiter, adfectae tandem miserere puellae.
Tam formosa tuum mortua crimen erit.

33. LITORE SI TACITO] Considera mihi, quaeso, hanc collationem:

Ac veluti, *magnos cum ponunt aequora motus,*
Eurus in adversos desinit ire Notos,
Litore si tacito sonitus rarescit arenae,
Sic cadit *inflexo lapsa puella genu.*

Elegans comparatio est, si Barthium audimus, *quae a re penitus diversa petita sit.* Nempe adeo diversae res componuntur, ut ne similes quidem omnino sint; nullum, quod logici dicunt, Tertium. Longe prudentius profecto Statius hac imagine utitur Theb. I, 479.

Tunc quoque mulcentem dictis corda aspera regem
Jam faciles, ventis ut decertata residunt
Aequora, laxatisque diu tamen aura superstes
Immoritur velis, passi subiere penates.

Quid igitur? Num Propertium hoc Statio pejus egisse dicemus? an potius, spreta Scaligeri et codicis Groningani auctoritate, caeterorum omnium scripturam sequemur? Ea vero ita habet:

Ac, veluti magnos cum ponunt aequora motus,
Eurus in adversos desinit ire Notos.
Litore SIC *tacito sonitus rarescit arenae;*
Sic cadit inflexo lapsa puella genu.

Dirca stabulis suis, hoc est,

Sera, tamen pietas, natis est cognitus error.
  Digne Jovis natos qui tueare senex,
Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
  Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis.
Antiope, cognosce Jovem: tibi gloria Dirce
  Ducitur, in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur leto, victorque canebat
  Paeana Amphion rupe, Aracynthe, tua.

V. 35. Sera tamen. 41. Zethi.

sibi debitis, ut quae filiorum essent, expulsa, tempestas cessavit; tunc iterum natos adiit, et feliciore, quam antea, eventu. Particula *sic* in talibus quomodo accipienda sit, monuimus ad librum I, 23, 6. *Litus* Asopi intellige, ut versu 27.

Saepe vago Asopi *sonitu permota fluentis.*

Poterant haec satis bona videri, nisi codex noster Neapolitanus nos ad meliorem lectionem duceret, in quo versus 32. ita scriptus est:

Eurus sub adverso *desinit ire* notho.

Repone igitur:

Ac veluti magnos cum ponunt aequora motus,
Eurus UBI ADVERSO *desinit ire* NOTO,
Litore SIC *tacito sonitus rarescit arenae.*
Sic cadit inflexo lapsa puella genu.

Caeterum frustra interpretes *Eurus Noto adversus* exercuit, quibus verbis quid significetur, Homericus versiculus patefaçit Iliad. π, 765.

Ὡς δ' Εὖρός τε Νότος τ' ἐριδαίνετον ἀλλήλοιϊν.

41. PRATA CRUENTANTUR ZETHI] *Prata Zethi* frigide dictum jure notat ad Virgilium ecl. II, 23. Heynius, cui viro quid bonae litterae debeant, multi jam dudum obliti esse videntur; nos quantum ei debeamus, aeterna ejus Manium veneratione testamur. Ibidem probat, quod in quinto Vaticano legitur, ab Italis excogitatum:

Prata cruentantur; Zethus *victorque canebat*
Paeana Amphion rupe, Aracynthe, tua.

Sed cur *victor* Amphion tantum, cum tamen uterque commemoretur? Unde vero cantus Zetho? Nam Probi quidem grammatici auctoritate quis credat, *Euripidem dixisse, Amphionem et Zethum cantando potuisse armenta vocare?* quod et ipsum Probum voluisse negat Ruhnkenius in epistola critica II. pag. 198. Idem Heynius et Eldikius tentant *laetum Paeana;* suavius Schraderus *Prata cruentantur late.* Sed haec va-

At tu non meritam parcas vexare Lycinnam;
Nescit vestra ruens ira referre pedem.
Fabula nulla tuas de nobis concitet auris:
Te solam et lignis funeris ustus amem.

XV.

Nox media, et dominae mihi venit epistola nostrae;
Tibure me nulla jussit adesse mora,
Candida qua geminas ostendunt culmina turris,
Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.
Quid faciam? obductis conmittam mene tenebris,
Ut timeam audacis in mea membra manus?
At, si distulero haec nostro mandata timore,
Nocturno fletus saevior hoste mihi.
Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum;
In me mansuetas non habet illa manus.
Nec tamen est quisquam, sacros qui laedat amantis,
Scironis media scilicet ire via.

Eleg. XV. *Burm. XIV.* V. 4. Nympha, 7. haec distulero. 12. medias his licet ire vias.

ga et inania commenta sunt. Mihi vix dubium est, quin Propertius dederit:

Prata cruentantur letho, *victorque canebat*
Paeana Amphion rupe, Aracynthe, tua.

Sic Ovidius epist. XIV, 59.

Si manus haec aliquam posset committere culpam,
Morte *foret dominae sanguinolenta suae.*

XV. [XVI.]

4. NYMPHA ANIENA] Ita codicum pars, et, si haberent omnes, ferrem, quamquam ridiculum est, Nymphas cadere in lacum: nunc Groninganum et caeteros plerosque sequi malo, in quibus est:

Et cadit in patulos LYMPHA *Aniena lacus.*

7. AT SI HAEC DISTULERO] Repone ex nostro codice:

At si DISTULERO HAEC *nostro mandata timore,*

quae elegantior collocatio est et numeros suaviores reddit. Amant poetae haec futura ultima vocali liquefacta ponere.

12. MEDIAS HIS LICET IRE VIAS] Sic Heinsius: sed optime codices tantum non omnes:

Nec tamen est quisquam, sacros qui laedat amantes,

Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris;
  Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat iter; demonstrant astra salebras;
  Ipse Amor accensas praecutit ante facis;
Saeva canum rabies morsus avertit hiantes:
  Huic generi quovis tempore tuta via est.
Sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis
  Inprobus? et cursus fit comes ipsa Venus.

V. 15. equis. 20. exclusis.

Scironis MEDIA SCILICET ire VIA.

Propertium ignorat, qui ei hunc usum infinitivi non concedit. *Scilicet* autem, ut apud Ovidium Pontic. IV, 14, 5.

Ipsa quoque est invisa salus; suntque ultima vota,
Quolibet ex istis scilicet ire *locis.*

15. LUNA MINISTRAT EQUIS] Broukhusius ex uno Regio admisit. Sed optime caeteri universi:

Luna ministrat ITER; *demonstrant astra salebras.*

Iter facultatem eundi dicit. Infra eleg. 21, 14.

Jam liquidum nautis aura secundat iter.

Lucretius 1, 1108.

Namque alid ex alio clarescet, nec tibi caeca
Nox iter *eripiet.*

Verbum *ministrare* autem, vix dici potest, quam late pateat, Plinius hist. nat. II, 6. de Sole: *Hic* lucem *rebus* ministrat, *aufertque tenebras.* Manilius II, 658.

Ver *Aries*, Cererem *Cancer*, Bacchumque ministrans
Libra, *Caper* brumam *genitosque ad frigora* menses.

Maecenas in Convivio apud Servium ad Aen. VIII, 310. *Idem humor* ministrat faciles oculos, *pulchriora reddit omnia, et dulcis juventae reducit bona.* Virgilius georg. IV, 146.

Jamque ministrantem *platanum potantibus* umbras.

Seneca Troad. 78.

Ut nulla dies moerore caret,
Sed nova fletus *causa* ministrat.

Statius silv. I, 4, 22. ad Rutilium Gallicum:

Ipse veni, viresque *novas* animumque ministra,
Qui caneris.

quo loco utaris licet contra Bentlejum, in Manilii lib. I, 10. non ferentem,

Das animum *viresque facis ad tanta canenda.*

16. PRAECUTIT] In scriptis est *percutit*, quod Guyetus et Heinsius bene correxerunt. Ovidius metam. IV, 758.

Quod si certa meos sequerentur funera casus,
  Talis mors pretio vel sit emenda mihi.
Adferet haec unguenta mihi, sertisque sepulcrum
  Ornabit, custos ad mea busta sedens.

V. 23. huc.

taedas *Hymenaeus* Amorque
Praecutiunt, *largis satiantur odoribus ignes.*

20. EXCLUSIS FIT COMES] Hoc ineptissimum est, cum neque ipse Propertius tum exclusus fuerit, nec de aliis amatoribus exclusis sermo sit. Repone:

Sanguine tam' parvo quis enim spargatur amantis
Improbus? ET CURSUS *fit comes ipsa Venus.*

Duas ponit causas, cur amatori proficiscenti nihil timendum sit. Hanc conjecturam feceram, cum simile quid, sed minus probabile, Broukhusio in mentem venisse vidi:

in cursu *fit comes ipsa Venus.*

Caeterum viri docti frustra hic *it comes* pro *fit* reponere gestiunt. Tibullus II, 6, 2.

Castra Macer sequitur: tenero quid fiet Amori?
Sit comes, *et collo fortiter arma* gerat?

Virgilius Aen. II, 711.

mihi parvus Iulus
Sit comes, *et longe* servet *vestigia conjux.*

Sabinus epist. III, 72.

Adjice, non laeso quod comes *ipsa* fuit.

Ovidius epist. XIV, 54.

Saevus, Hypermnestra, pater est tibi. jussa parentis
Effice; germanis sit comes *iste tuis.*

amor. II, 16 43.

At mihi te comitem *juraras usque* futuram.

metamorph. X, 533.

Hunc tenet, huic comes est, *assuetaque semper in umbra*
Indulgere sibi.

Abeant igitur critici cum sua elegantia, qua bonos auctores saepe illustriores facere student. Nimiam et affectatam elegantiam dico, non veram ac venustam. Hanc enim quis non probet et amplectatur?

τί γὰρ Χαρίτων ἀγαπατὸν
Ἀνθρώποις ἀπάνευθεν; ἀεὶ Χαρίτεσσιν ἅμ' εἴην.

21. SEQUERENTUR FUNERA CASUS] Marklandus tentat:

Quod si certa meos sequerentur funera cursus.

Sed male. Talem mortem in itinere obeundam sibi vel pretio emendam esse dicit, si funera sibi parata fore certe sciat. Versu sequente male critici et contra sensum scribi volunt:

Tali *mors pretio vel sit emenda mihi.*

Quale enim pretio? Nempe certo funere. Quasi id alio tempore non habuisset.

23. ADFERET HUC UNGUEN-

Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
  Qua facit adsiduo tramite volgus iter!
Post mortem tumuli sic infamantur amantum:
  Me tegat arborea devia terra coma,
Aut humer ignotae cumulis vallatus arenae.
  Non juvat in media nomen habere via.

XVI.

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris;
  Da mihi bacchato vela secunda, pater.
Tu potes insanae Veneris conpescere fastus,
  Curarumque tuo fit medicina mero.
Per te junguntur, per te solvuntur amantes:
  Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo.

V. 29. humet — tumulus. — Eleg. XVI. *Burm. XV.*

TA MIHI] Quis unguenta afferet? Nempe Cynthia, inquit. Unde scis? Quonam vero afferet? Huccine, ubi Propertius tum erat? Immo *huc*, ajunt, ubicumque moriar. Tu neque his nec librariorum erroribus fidem habeto. Repone cum Guyeto:

> *Adferet* HAEC *unguenta mihi.*

Haec, ad quam tendo, Cynthia.

29. AUT HUMET IGNOTAE TUMULUS VALLATUS ARENAE] Non offendo in hoc, *humet me tumulus*, qualia poëtas omnes ab Homero inde frequentare scio. Sed *tumulum vallatum* recte dici, ecquis est, qui ostendat? Nam hunc esse eum, quem Graeci ὀγκωτὸν τύμβον dicunt, non persuadet doctissimus Huschkius in analectis criticis pag. 130. Quaerendum potius est, qua re vallari tumulus possit. Ea res quia difficulter reperietur, Burmanno assentior alteram scripturam praeferenti,

> *Aut* HUMER *ignotae* CUMULIS *vallatus arenae.*

fere ut apud Statium silv. III, 1, 24.

> *et* mersum tumulis *Eurysthea calcas.*

Haec lectio et ipsa bonos libros prae se fert, Palatinos et Neapolitanum, nisi quod in hoc male scriptum est *humeri.* Caeterum *cumulis* ex eisdem libris adoptamus, quia in proximo disticho erant *tumuli amantum.* Quae si cui levior ratio videbitur, me non nolente ex Groning. Mentel. Guarner. et aliis, in quibus *tumulus* legitur, reponat:

> tumulis *vallatus arenae.*

Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
Lyncibus ad caelum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignis,
Funera sanabunt, aut tua vina, malum.

V. 8. in. 10. vel.

Sic saltem Ovidius metam. IV, 240.

defodit alta
Crudus humo, tumulumque *super gravis addit* arenae.

Virgilius Aen. XI, 103.

Corpora, per campos ferro quae fusa jacebant,
Redderet, *ac* tumulo *sineret succedere* terrae.

XVI. [XVII.]

8. LYNCIBUS IN COELUM] Scribe *Ad caelum* ex libris melioribus, Groning. Neapol. Palatinis, Mentel. et aliis, quia *In astris* antecesserat:

Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
Lyncibus AD caelum *vecta Ariadna tuis.*

Caeterum Burmanno hic bis idem dici querenti vir eruditus peraptum locum opposuit I, 12, 11.

Aut teneat clausum tenui Teuthrantis in unda
Alternae facilis cedere lympha *manu.*

Raro in talibus difficile dictu est, quid criticus ut genuinum ferre debeat, quid non debeat. Copiae non tolerandae exemplum apud Tibullum est I, 7, 13.

An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Caeruleus placidis *per vada* serpis aquis?

Exigua tantum culpae parte viri docti Tibullum liberant scribendo:

Caeruleis placidus *per vada serpis aquis.*

Diu est, cum conjeci legendum esse:

An te, Cydne, canam, tactis *qui leniter* ulvis
Caeruleus placidis per vada serpis aquis.

10. VEL TUA VINA] Hoc Joh. Calphurnius jam dedit et post eum Beroaldus. Domitius Calderinus in elucubratione in Propertium: *Funera sanabunt, ut tua vina, malum. Puto legendum: Funera sanabunt, vel tua vina malum. Nam ait: hunc ardorem amoris et sollicitudinem sola mors leniet, vel tuum vinum Bacche.* Nempe *ul'*, id est, *vel*, in libris recentissimis saepe ita scribitur, ut ab *ut* plane non differat, quod nupero Tibulli editori aliquoties fraudem fecit. Caeterum libri omnes et Antonius Volscus, qui a. MCCCCLXXXVIII. *ut* dedit, anno MCCCCLXXXII. Latinitate sic postulante, *aut* exhibuit:

Semper enim vacuos nox sobria torquet amantis,
Spesque timorque animum versat utroque meum.
Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis
Arcessitus erit somnus in ossa mea,
Ipse seram vitis, pangamque ex ordine collis,
Quos carpant nullae, me vigilante, ferae,
Dummodo purpureo spument mihi dolia musto,
Et nova pressantis inquinet uva pedes.
Quod superest vitae, per te et tua cornua, vivam,
Virtutisque tuae, Bacche, poëta ferar.
Dicam ego maternos Aetnaeo fulmine partus,
Indica Nysaeis arma fugata choris,
Vesanumque nova nequidquam in vite Lycurgum,
Pentheos in triplicis funera grata greges,
Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas
In vada pampinea desiluisse rate,
Et tibi per mediam bene olentia flumina Naxon,
Unde tuum potant Naxia turba merum.
Candida laxatis onerato colla corumbis
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.
Levis odorato cervix manabit olivo;
Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircaeae pulsabunt cymbala Thebae;
Capripedes calamo Panes hiante canent.

V. 27. olenti flumine. 28. merum, 33. tympana.

Funera sanabunt, AUT *tua vina, malum.*

12. ANIMUM VERSAT UTROQUE MEUM] Verissima lectio. Singulorum verborum scripturam boni codices confirmant, totum autem versum ne unus quidem.

27. BENE OLENTI FLUMINE NAXON] Sic Scaliger: sed bene habet scripta lectio:

Et tibi per mediam bene OLENTIA FLUMINA *Naxon.*

Canturum se dicit, Baccho in media Naxo esse bene olentia flumina.

30. CINGET] Sic optime Beroaldus: priores et scripti, ni fallor, omnes habent *Cingit*, *Cingat* Commelinianus.

33. PULSABUNT TYMPANA

Vertice turrigero juxta dea magna Cybebe
Tundet ad Idaeos tympana rauca choros.
Ante fores templi crater antistitis auro
Libatum fundens in tua sacra merum.
Haec ego, non humili, referam, memoranda cothurno,
Qualis Pindarico spiritus ore tonat.
Tu modo servitio vacuum me siste superbo,
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

XVII.

Clausus ab umbroso qua ludit pontus Averno,
Fumida Bajarum stagna tepentis aquae,
Qua jacet et Trojae tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via,
Hic, ubi, mortalis dextra cum quaereret urbis,
Cymbala Thebano concrepuere deo,

V. 36. cymbala. 39. *sine interpunctione.* — Eleg. XVII. *Burm. XVI.* V. 5. mortales.

THEBAE. 36. CYMBALA RAUCA Magnam de hoc loco restituto gratiam Petrus Burmannus Secundus meretur, qui vitium in eo latens unus vidit, unus correxit. Cum hoc lege, duobus vocabulis commutatis:

Mollia Dircaeae pulsabunt CYMBALA *Thebae,*

et,

Tundet ad Idaeos TYMPANA *rauca choros.*

Sane et Cybelae et Bacchi sacris cymbala pariter ac tympana conveniunt Sed quomodo *mollia tympana*, quae Lucretius *tonare* dicit, *reboare* et *remugire* Catullus? Quomodo *cymbala rauca*, quae acutum edebant sonum, et, ut idem Catullus ait, *recrepabant?* Quanto igitur rectius *rauca tympana*, ut apud Ovidium in Ibide v. 456.

Et quatias molli tympana rauca *manu.*

et metamorph. IV, 391.

Tympana *cum subito non apparentia* raucis
Obstrepuere sonis.

Quanto aptius *mollia cymbala*, de quibus Catullus LXIV, 262.

Aut tereti tenues tinnitus aere ciebant.

Caeterum *Tundet ad Idaeos* verissima emendatione Scaliger: codices *Fundet.*

XVII. [XVIII.]

2. FUMIDA] Praeclare idem Scaliger: scripti habent *Humida.*

5. MORTALES DEXTRA QUUM

At nunc invisae magno cum crimine Bajae,
Quis deus in vestra constitit hostis aqua?
His pressus Stygias voltum demersit in undas,
Errat et in vestro, spiritus, Ille, lacu.
Quid genus, aut virtus, aut optuma profuit illi
Mater, et amplexum Caesaris esse focos,
Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, et misero steterat vigesimus annus.
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos, et tecum finge triumphos,
Stantiaque in plausum tota theatra juvent;
Attalicas supera vestis, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis: ignibus usta dabis.
Sed tamen hoc omnes; hoc primus et ultimus ordo.
Est mala, sed cunctis ista terenda via est.

V. 10. vestro spiritus ille lacu. 12. amplexo. 21. huc — huc. 22. via.

QUAERERET URBES] Bene Guyetus corrigit MORTALIS, cum etiam mortalis esset, necdum deus, Hercules. Nihil praeterea novandum est. Nam recte Broukhusius hoc loquendi genus tuetur, *quaerere urbes*. Personatus Virgilius in catalectis XI, 53.

Atque aliam ex alia bellando quaerere *gentem,*
Vincere et Oceani finibus ulterius.

Lucanus II, 572.

Rheni gelidis quod fugit ab undis,
Oceanumque vocans incerti stagna profundi,
Territa quaesitis *ostendit terga* Britannis.

9. HIS PRESSUS STYGIAS] Franciscus Guyetus ante hunc versum multa deesse judicat, cui Nic. Heinsius astipulatur, quia Marcelli nomen nusquam exprimitur. Sed si rectius distinguamus, erit hic, quod nominis loco esse possit. Sic scribe:

His pressus Stygias vultum demersit in undas,
Errat et in vestro, spiritus, Ille, *lacu.*

12. AMPLEXO] Sic Scaliger, cum in suo libro, qui qualis sit nosti, *amplexos* reperisset, quod errore librarii ex sequente *focos* natum erat. Probe reliqui omnes:

et AMPLEXUM *Caesaris esse focos.*

21. SED TAMEN HUC OMNES:

Exoranda canis tria sunt latrantia colla;
Scandenda est torvi publica cumba senis.
Ille licet ferro cautus se condat et aere:
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nirea non facies, non vis exemit Achillen,
Croesum aut, Pactoli quas parit humor, opes.
Hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
Atridae magno cum stetit altus amor.

V. 27. Achillem. 29. 30. *Hoc distichon translatum est in librum II. post* eleg. VIII. v. 6. [*II*, 7, 7. 8.] 30. alter.

HUC PRIMUS ET ULTIMUS ORDO] *Huc*, ajunt, *scilicet imus, tendimus;* et inventus est, qui *hanc ellipsin animo poëtae commoto apprime convenire* diceret. At poëtae animus, quem hoc carmine prodit, non fuit commotus, sed perbene compositus. Tu scribe cum libris Groning. Neapol. et aliis:

Sed tamen HOC *omnes*,

hoc omnes coguntur facere, omnes sua dant ignibus rogalibus. Tum porro lege:

huc primus et ultimus ordo IT,

addito *It*, quod, cum extra versum excurreret, omitti facile potuit: vel iterum posito *hoc:*

HOC *primus et ultimus ordo.*

22. TERENDA VIA] *Est* addunt aut omnes libri aut plerique saltem:

Est *mala, sed cunctis ista terenda via* EST.

Recte. Cicero Tuscul. III, 33, 79. *Ne illa quidem firmissima consolatio* est, *quamquam et usitata* est *et saepe prodest.* Confer J. F. Heusingerum ad Ciceronem de offic. I, 8, 4.

29. HIC OLIM IGNAROS LUCTUS] Hunc versum viri doctissimi et optimi frustra tentarunt, quod facturi non erant, nisi Scaliger hoc distichon nimia profecto licentia in librum secundum et in locum non suum abire jussisset. Hoc memento, *luctus* esse bis intelligendum: Hic luctus Achivos olim luctus ignaros populavit.

30. ATRIDAE MAGNO QUUM STETIT ALTER AMOR] Hunc versum vir doctus Passeratium ferme secutus ita illustrat: „*Atridae amor*, amor Chry„seidis, qui ei ingenti damno „fuit, tot suorum gravi pesti„lentia amissis." Quid vero hoc: *Achivos* hic luctus populavit, cum *Atridae* suus amor magno stetit? Immo, cum iis, Achivis scilicet, Atridae amor damno fuit. Hoc poëta haud dubie voluit, nec repugnant verba. Quis vero est ille *alter* Agamemnonis *amor?* Vulpius de Briseide intelligit, quam

At tibi, nauta, pias hominum qui trajicis umbras,
Hoc animae portent corpus inane suae:

V. 32. (30.) Huc — tuae.

Chryseidis amor praecesserit. Sed eam neque amavit ille, nec Achilli amoris causa abstulit. Quin et jurisjurandi meministi:

Μή μὲν ἐγὼ κούρη Βρισηΐδι χεῖρ' ἐπένεικα,
Οὔτ' εὐνῆς πρόφασιν κεχρημένος, οὔτε τευ ἄλλου·
Ἀλλ' ἔμεν' ἀπροτίμαστος ἐνὶ κλισίῃσιν ἐμῇσιν.

At vir doctus iterum praeeunte Passeratio, „*Alter amor*, in„quit, np. Chryseidis, nam „olim amarat Argynnum pue„rum, cujus amoris Propertius „mentionem fecit supra eleg. „VII [VI], 22." Recte quidem de Chryseide intelligit, cujus amor, *λοιμοῦ* et *μήνιος* causa, magno sane Achivis stetit. Sed quae de Argynno adjicit, nugae sunt. Speciosius Clytaemnestra huc referri poterat:

καὶ γάρ ῥα Κλυταιμνήστρης προβέβουλα,
Κουριδίης ἀλόχου, ἐπεὶ οὔ ἑθεν ἐστὶ χερείων.

Sed putidum est numerare ita et per numeros indicare amores Agamemnonis: *primus* Clytaemnestra vel Argynnus, *alter* Chryseis, *tertius* Cassandra, et sic porro. Repono:

Atridae magno cum stetit ALTUS amor.

Theocritus III, 42.

Ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλλετ' ἔρωτα.

Catullus LXVIII, 117.

Sed tuus altus amor *barathro fuit altior illo.*

et 107.

tanto te absorbens vortice amoris
Aestus in abruptum detulerat barathrum.

Apud Propertium quoque, in hoc libro eleg. XXII, 42. Scaliger dedit ex libro suo:

hic ampla nepotum
Spes, et venturae conjugis altus amor.

ubi tamen rectius est, quod caeteri habent, *aptus amor.* Ovidius epist. IX, 32.

Si qua voles apte *nubere, nube pari.*

31. AT TIBI, NAUTA etc.] Jure Burmannus vulgarem, quam tamen retinuit, horum versuum scripturam exagitat:

At tibi, *nauta*, *pias hominum qui trajicis umbras,*
Huc animae portent *corpus inane* tuae,
Qua *Siculae victor telluris Claudius*, *et* qua
Caesar ab humana cessit in astra *via.*

Quaenam illae Charontis animae? Venti, ajunt, aut umbrae, quas cymba vehit, quaeque remigant. Egregie! Sed esto. Quomodo autem hae umbrae aut hi venti Marcellum Charonti, hoc est, ad Charontem portabunt? Statius quidem

Qua Siculae victor telluris Claudius et qua
Caesar, ab humana cessit in astra via.

V. 34. (32.) Caesar ab h.

silv. V, 3, 284. *pios Manes Grajumque examina vatum* patrem suum ducere jubet, at scilicet cymba jam expositum, non ad Charontem, sed

monstrare nemus, quo nulla irrupit Erinnys,
In quo falsa dies caeloque simillimus aër.

Porro dicit nobis, quo portandus Marcellus sit, nempe *huc,*

Qua *Siculae victor telluris Claudius, et qua*
Caesar ab humana cessit in astra *via.*

Audin? Huc ad Charontem, qua illi in astra iverunt. Belle, quasi aut Charon in astris sit, aut per Orcum in caelum eatur. Quid jam dicemus de eo, qui hos *versus excellentissimos* pronunciat, sed, ne quid fallam, paullo aliter scriptos, ita scilicet:

At tibi, *nauta, pias hominum qui trajicis umbras,*
Huc animae portes *corpus inane* suae,
Qua Siculae etc.

Tibi, ait, redundat, ut saepius. Itane, saepius? Miseret me grammaticorum, quorum regulae et observationes ab iis, qui earum rationes non intelligunt, semper falso applicantur. Haud paullo prudentius Marklandu :

At tu, *nauta, pias hominum qui trajicis umbras,*
Huc animae portes *corpus inane* suae,

et Burmannus hunc et Heinsium secutus:

At tu, *nauta,* —
Duc *animae,* Porthmeu, *corpus inane* suae.

Sed hi, dum omnem librariis fidem abrogant, suam minuunt ipsi; nec tamen ea, quae diximus, incommoda prorsus effugiunt. Quam ob rem *Suae* tantum pro *Tuae* ab eis accipio, quod praeterea superest vitii, una littera ac praeterea interpunctione mutanda extermino, totum locum ita refingo:

At tibi, nauta, pias hominum qui trajicis umbras,
HOC *animae portent corpus inane* SUAE:
Qua Siculae victor telluris Claudius et qua
Caesar, ab humana cessit in astra via.

Hoc animae inane Marcelli corpus inferis mandari jubet; caeterum ipsum vel animam ejus pariter, ac veterem illum Marcellum et Caesarem, in astra abiisse. Corpus lecto funebri ad Charontem portari vult, familiari sibi, ut libro V, 11, 8. videbimus, sepulcri cum inferis confusione. *Corpus inane animae* habes apud Ovidium metam. II, 611.

XVIII.

Objicitur totiens a te mihi nostra libido:
Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos, ubi contemti rupistis frena pudoris,
Nescitis captae mentis habere modum.
Flamma per incensas citius sedetur aristas,
Fluminaque ad fontis sint reditura caput,
Et placidum Syrtes portum et bona litora nautis
Praebeat hospitio saeva Malea suo,
Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus,
Et rapidae stimulos frangere nequitiae.
Testis, Cretaei fastus quae passa juvenci
Induit abiegnae cornua falsa bovis;

Eleg. XVIII. *Burm. XVII.* V. 2. illa. 5. sedaret. 10. rabidae.

Corpus inane animae *frigus letale secutum est.*
et metam. XIII, 488.
Quae corpus complexa animae tam fortis inane.

XVIII. [XIX.]

2. IMPERAT ILLA] Hoc forte fortuna irrepsit in exemplar Burmanianum. Ipse nihil notat: caeteri omnes habent ISTA, Broukhusius quoque. Hic ascripsit: „ISTA] *illa* est „in nostro primo." Codicem Heinsianum dicit, qui nullius momenti est.

5. SEDARET] Broukhusius ex Palatino apud Gebhardum recepit. Burmannus mavult *Sedarit*, ut cum caeteris *sint reditura* et *praebeat* et *possit* rectius coëat. Sed reliqui libri omnes:

Flamma per incensas citius SEDETUR *aristas,*

ut illa, quam alterum praebet, elegantiae species pro mera specie habenda esse videatur.

10. ET RABIDAE STIMULOS FRANGERE NEQUITIAE] Sic Janus Dousa, *Rabidae*, et ante eum Italus in codice D'Orvilliano secundo. Sed id fortasse nimis vehemens est. Certe codicum scriptura cur contemni debeat, non video:

Et RAPIDAE *stimulos frangere nequitiae.*

12. INDUIT ABIEGNAE CORNUA FALSA BOVIS] Hoc quis invenerit, non quaesivi. Firmavimus libro I, 5, 20., et certe rectius est, quam quod impressi veteres habent,

Induit abiegnae cornua falsa bovi.

Sed libri omnes aliam lectionem exhibent vulgari narrationi repugnantem, fortasse tamen non prorsus ineptam:

Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
  Quae voluit liquido tota subire deo.
Crimen et illa fuit patria succensa senecta
  Arboris in frondes condita Myrrha novae.
Nam quid Medeae referam quo tempore matris
  Iram natorum caede piavit Amor?
Quidve Clytaemnestra, propter quam tota Mycenis
  Infamis stupro stat Pelopea domus,
Tuque o Minoa venum data, Scylla, figura,
  Tondens purpurea regna paterna coma?
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti!
  Nise, tuas portas fraude reclusit Amor.
At vos, innuptae, felicius urite taedas:
  Pendet Cretaea tracta puella rate.
Non tamen inmerito Minos sedet arbiter Orci.
  Victor erat quamvis, aequus in hoste fuit.

XIX.

Credis eum jam posse tuae meminisse figurae,
  Vidisti a lecto quem dare vela tuo?
Durus, qui lucro potuit mutare puellam!
  Tantisne in lacrimis Africa grata fuit?

V. 17. referam, quo. 18. amor? 19. Clytemnestrae. — Eleg. XIX. *Burm. XVIII.* V. 4. tota.

Testis, Cretaei fastus quae passa juvenci
Induit abiegno *cornua falsa* bovi.

19. QUIDVE CLYTEMNESTRAE] Repone: *Quidve* CLYTAEMNESTRA? Ita ni scribis, tam in hoc versu, quam in sequentibus, constructio pendet. Nam tametsi cum Burmanno hic *Clytaemnestrae crimen* et versu 17. *Medeae crimen* ex versu 15. intelligas, (quamquam neque hoc ferri potest), quid facies illis, quae sequuntur, *Tuque, o Scylla?* Itaque aut lege: *Tu quoque Minoa,* ut in prioribus intelligatur *ira Clytaemnestrae;* aut potius, quia ira in Clytaemnestram non cadit, *Quidve Clytaemnestra?* nominandi casu.

XIX. [XX, 1—10.]

4. TANTISNE IN LACRIMIS AFRICA TOTA FUIT] Hanc codicum scripturam explicare conatos et Schottum, qui *Tan-*

At tu, stulta, deos, tu fingis inania vera?
Forsitan ille alio pectus amore terit.

V. 5. verba.

tine correxerat, longa et egregia disputatione Fredericus Gronovius explosit in Observationibus. Hic ipse quod proposuerat,

> Tantine *in* lucris *Africa tota fuit?*

quamvis probatum Broukhusio, justam Burmanni censuram non effugit, cui ejusdem Broukhusii et Marklandi emendatio praeplacet conjectantium:

> Tantine, ut lacrimes, *Africa tota fuit?*

Sed hoc horridius est et nimis liberum. Repono:

> *Durus, qui lucro potuit mutare puellam!*
> *Tantisne in lacrimis Africa* GRATA *fuit?*

Hoc miratur, in tantis puellae lacrimis tamen Africam infido amatori gratiorem esse potuisse. Non audax nimis conjectura: *grata* in libris vetustis scribitur *gta*, littera *a* supra ascripta.

5. AT TU, STULTA, DEOS, TU FINGIS INANIA VERBA, Horum verborum si quis est sensus, hic erit: *Tu deos fingis*, deos falso testes advocas, *tu verba inania fingis*, falsis promissis me decipis. At eum sensum totius carminis sententia reprobat. Interpretes igitur *fingis deos* ita capiunt: Persuades tibi, illum deos timere, quos fallere numquam audeat; vel ita: Deos tu tibi fingis, perfidiae ultores, servaturos tibi illum constantem et fidelem. Mire profecto locutus est, si pro his dixit *Tu fingis deos.* At quid tum porro illud alterum erit *Tu fingis inania verba?* Broukhusius exponit: Tu inania ejus verba pondus aliquod habitura reputas. Sed id quidem *verba fingere* non dicimus. Vide v. c. Sallustium in Jugurth. XIV, 20. *Quos ego audio maxuma ope niti, ambire, fatigare vos singulos, ne quid de absente, incognita causa, statuatis;* fingere me verba, *fugam simulare, cui licuerit in regno manere.* Infidus amator, ut vides, finxerat verba, non puella simplex et stulta. Vir doctus non monito lectore distinctionem mutavit ita:

> *At tu, stulta, deos tu fingis, inania verba.*

ut dii, puto, inania verba esse dicerentur. Sed illud duplex *tu* quidem, praeter caetera, quid sibi velit, non percipio. Repono:

> *At tu, stulta, deos, tu fingis inania* VERA?
> *Forsitan ille alio pectus amore terit.*

hoc sensu: Tune fingis tibi veros deos esse, quos ille amoris testes fecerit? tune illa ina-

Est tibi forma potens, sunt castae Palladis artes,
  Splendidaque a docto fama refulget avo.
Fortunata domus, modo sit tibi fidus amicus.
  Fidus ero; in nostros curre, puella, toros.

XX.

Nox mihi prima venit. primae date tempora noctis:
  Longius in primo, Luna, morare toro,
Tuque o, qui aestivos spatiosius exigis ignis,
  Phoebe, moraturae contrahe lucis iter.

V. 10. sinus. — Eleg. XX. *Burm. XIX.* V. 1. data. 3. Tu quoque.

nia promissa vera esse tibi persuades? Forsitan ille jam alius puellae amplexu fruitur. *Deos fingis* veros esse, hoc est, ea, quae diis testibus pollicitus est. Ovidius remed. amor. 688.

At tu nec voces (quid enim fallacius illis?)
Crede, nec aeternos pondus habere deos.

10. IN NOSTROS CURRE, PUELLA, SINUS] Sic codex Heinsianus et Borrichianus, quod bene firmat Broukhusius. Sed caeteri meliores universi TOROS habent, quod prae exigua illorum codicum auctoritate non spreverim. Caeterum quae hunc versum in libris scriptis sequuntur a prioribus non disjuncta, ea Scaliger optime separatim posuit. Quis enim in uno eodemque carmine ferat,

Fidus ero; in nostros curre, puella, toros,

et,

Nox mihi prima venit,

quae uno eodemque tempore dici nullo modo potuere?

XX. [XX, 11—30.]

1. NOX MIHI PRIMA VENIT: PRIMAE DATA TEMPORA NOCTIS. 3. TU QUOQUE, QUI AESTIVOS] Verissima conjectura Scaliger haec disticha ordinem suum mutare jussit: antea enim hi versus *Tu quoque* etc. praecedebant illos *Nox mihi* etc. Sed miror viros doctos ferre, aut nihil prorsus aut bis idem dici in his:

Nox mihi prima venit, primae data tempora noctis.

Tu totum locum ita refinge:

Nox mihi prima venit. primae DATE *tempora noctis:*
Longius in primo, Luna, morare toro,
TUQUE O, *qui aestivos spatiosius exigis ignes,*
Phoebe, moraturae contrahe lucis iter.

Date tempora noctis ex Neapolitano, Heinsiano et septem aliis apud Burmannum. Valerius Flac. II, 324.

Quam multae ante meis cedent sermonibus horae,
  Dulcia quam nobis concitet arma Venus!
Foedera sunt ponenda prius, signandaque jura,
  Et scribenda mihi lex in amore novo.
Haec Amor ipse suo constringet pignera signo;
  Testis sidereae tota corona deae.

Vers. 7. 8. *ante* 5. 6. V. 5. (7.) cedant. 10. Testes.

Venus *ipsa volens*
  dat tempora jungi,
Dum vires utero, maternaque sufficit aetas.

Tuque o de conjectura reponimus, quia *Tu quoque ferri* non potest. Nec multum differunt ista, *Tuq. o* et *Tu* $\overset{o}{q.}$, ut permutari facile possint; quod et saepe factum est, ut apud nostrum III, 29, 31., ubi *Tuque o* in aliis est, in aliis *Tu quoque* vel *Tu quoque o.*

7. QUAM MULTAE ANTE MEIS CEDANT SERMONIBUS HORAE] Ad praecedentia referri volunt:
Foedera sunt ponenda prius, signandaque jura,
Et scribenda mihi lex *in amore novo.*

Quibus subjunxit hoc distichon Scaliger; in scriptis enim turbatur sententiarum ordo illis interjectis *Haec Amor ipse suo* etc. Sed nec Scaliger recte egit. Nam quo consilio foedera fecerit et lege sanciverit, quot horae sermonibus cedere ante laetitiam deberent? Melius erat, si non fecisset, nec necessarium. Quid, quod ipse postea aliud dicit, non illud se sancire foedere velle, sed ne quis fidem datam novo amore fallat. Quin et codices universi haec ad illud foedus non spectare clamant, *Cedent* exhibendo, non *Cedant.* Quid igitur certius est, quam hoc distichon post illa, de quibus paullo ante vidimus, collocandum esse ita:

Nox mihi prima venit etc.
Tuque o, qui aestivos etc.
Quam multae ante meis CEDENT *sermonibus horae,*
Dulcia quam nobis concitet arma Venus!
Foedera sunt ponenda prius etc.

10. TESTES SIDEREAE TOTA CORONA DEAE] TESTIS et *torta* habent libri omnes; hoc recte rejiciunt, illud Marklandus non frustra tuetur. Caeterum *sideream deam* cave Lunam dici interpretibus credas: Noctem ita appellat; vide Broukhusium ad Tibullum pag. 225. a. Versu superiore *Constringet* recte Beroaldus: scripti plerique *Confringet* aut *Constringit.* Hoc in Neapolitano est, illud Livinejus e Groningano affert, ut Burmannus fallere videatur, in hoc aliisque pluribus *Constringet* haberi narrans, quod tamen in libro antiquo legisse

Namque, ubi non certo vincitur foedere lectus,
Non habet ultores nox vigilanda deos,
Et quibus inposuit, solvit mox vincla, libido:
Contineant nobis omina prima fidem.
Ergo, qui pactas in foedera ruperit aras,
Pollueritque novo sacra marita toro,
Illi sint, quicumque solent, in amore dolores,
Et caput argutae praebeat historiae:
Nec flenti dominae patefiant nocte fenestrae;
Semper amet, fructu semper amoris egens.

XXI.

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Ut me longa gravi solvat amore via.
Crescit enim adsidue spectando cura puellae;
Ipse alimenta sibi maxima praebet amor.
Omnia sunt tentata mihi, quacumque fugari
Possit: at ex omni me premit ille deus.
Vix tamen aut semel admittit, cum saepe negavit;
Seu venit, extremo dormit amicta toro.

V. 15. tactas. — Eleg. XXI. *Burm. XX.*

Heinsius testatur adversar. I, 9. pag. 92.

13. SOLVIT MOX] Libri plerique *Nox*, tum versu sequente *Omnia:* utrumque correctum ab Italis.

15. ERGO QUI TACTAS IN FOEDERA RUPERIT ARAS] Mirus loquendi modus, *rumpere aras*. Sed hoccine magis mirum esse dicemus, *tactas aras rumpere*, an, quod habent scripti omnes,

Ergo qui PACTAS *in foedera*
ruperit aras?

Hoc posterius mihi tolerabilius videtur; nam *pacta* certe dicuntur *rumpi*. Nempe Propertius propria sibi audacia *aras* dicit jura juranda per sacrum. Ita *βωμὸν* usurpat Aristophanes Acharn. 307.

Οἷσιν οὔτε βωμὸς οὔτε πίςις
οὔθ' ὅρκος μένει.

Vide Porsonum ad Euripidis Medeam v. 21.

XXI.

8. DORMIT AMICTA] Sic praeclare Scaliger: codices *amica*. Caeterum *Seu venit* oppositum est praecedenti *admittit*. Quare nugas agere videntur, qui *veni* substituunt; nam ita

Unum erit auxilium: mutatis Cynthia terris
 Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.
Nunc agite, o socii, propellite in aequora navem,
 Remorumque pares ducite sorte vices,
Jungiteque extremo felicia lintea malo;
 Jam liquidum nautis aura secundat iter.
Romanae turres et vos valeatis amici,
 Qualiscumque mihi tuque puella vale.
Ergo ego nunc rudis Hadriaci vehar aequoris hospes,
 Cogar et undisonos nunc prece adire deos.
Deinde per Ionium vectus, cum fessa Lechaeo
 Sedarit placida vela phaselus aqua,
Quod superest, sufferte pedes, properate laborem,
 Isthmos qua terris arcet utrumque mare.
Inde ubi Piraei capient mea lintea portus,
 Scandam ego Theseae brachia longa viae.

V. 9. mutatis, Cynthia, terris.

Et cum veni deberet esse, non *Seu veni.*

9. MUTATIS, CYNTHIA, TERRIS] Male subdistinguunt. Scribe:

mutatis Cynthia *terris*
Quantum oculis, animo *tam*
procul ibit amor.

11. IN AEQUORA] Recte: sed scripti *in aequore.*

21. QUOD SUPEREST, SUFFERTE PEDES, PROPERATE LABOREM] Non muto. Quia tamen multi codices *sufferre* habent, suspicor Propertium dedisse:

Quod superest, sufferre, *pedes, properate* laborum;

vel potius:

Qui *superest*, sufferre, *pedes, properate laborem.*

Sufferre laborem Lucretius frequentat; vide eum libro III, 1012. V, 1271. 1358. Neque aliter scripsisse existimo in libro I, 142.

Sed tua me virtus tamen et
sperata voluptas
Suavis amicitiae quemvis sufferre laborem
Suadet, et inducit nocteis vigilare serenas.

ubi nunc *efferre laborem* legitur, littera *S* a praecedente elisa.

23. CAPIENT MEA LINTEA] Sic Groninganus et a prima manu Palatinus membranaceus. Caeteri *Capient me litora portus.* Utra lectio verior sit, non possum dicere. Tu Burmannum adito, et nos libro V, 6, 17.

[Illic vel stadiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, dux Epicure, tuis.]

25. ILLIC VEL STADIIS etc.] Hos versus varie a multis, sed frustra, ut opinor, tentatos libri veteres ita scriptos exhibent:

Illic vel studiis *animum emendare Platonis*
Incipiam, aut hortis, docte *Epicure, tuis.*
Persequar aut studium linguae, Demosthenis arma,
Librorumque tuos, docte Menandre, sales.

In his critici primum eorumdem vocabulorum repetitionem vituperant, *studiis Platonis*, *studium linguae, docte Epicure, docte Menandre*: jure, ut mihi videtur; nempe in enumeratione. Alii igitur, doctum Epicurum negantes, *dux Epicure* reponunt (sic Broukhusius) vel *note;* alius *Incipiam, hortis aut, Epicure, tuis*, hiante versu; alii, eruditionem Epicuro vindicantes, volunt *culte Menandre*, vel *comte*, vel *munde*. Sed hoc periculosum conjectandi genus est. Certior res, *studia Platonis*, quo sensu hic dicuntur, Latine dici non posse; nec Broukhusii *stadiis* locum esse; sed rectius habere, quod idem excogitavit, *spatiis*, a Fonteinio Huschkioque erudite confirmatum. Nihilominus egregiam horum disputationem digniore loco positam mallem. Nam hic, etiamsi de repetitionibus concedamus, tam gravibus laborat vitiis, ut facile credam ita potius interpungi debuisse, vitato illo pravo loquendi genere *Platonis studia:*

Illic vel studiis animum emendare, Platonis
Incipiam aut hortis, docte Epicure, tuis.

ut suo errore dixerit *Platonis hortos*, non librariorum vitio. Jam enim reliqua peccata perpende. Scilicet praecesserat:

Scandam ego Theseae brachia longa viae.

Pergit: *Illic vel studiis.* Belle! Illic, *ἐν τοῖς μακροῖς σκέλεσιν*, in muro Piraei Academia erit, in muro horti Epicuri, in muro animum studiis emendabit. Porro *Persequar aut* habes in proximo disticho, in priore *Illic vel*, variatione iis, qui hodie Latine scribere putantur, familiari, ignota veteribus, qui *vel* sequente *aut* non magis dixerunt, quam nos *entweder auch — oder aber*. Repetito *aut* vel certe pluribus membris disjunctivis antecedentibus *vel* poni potest, et aliquoties ita positum reperimus. Scilicet particula *aut* prorsus excludit alterum, *vel* admittit. *Aut hoc aut illud*, alterutrum certe est: *vel hoc vel illud*, possit hoc esse, possit et illud. Horatius epod. IX, 34.

Aut *Chia vina* aut *Lesbia*,
Vel, *quod fluentem nauseam coërceat*,

Persequar aut studium linguae, Demosthenis arma,
Librorumque, tuos, docte Menandre, sales;

V. 28. Librorumque tuos.

Infunde nobis Caecubum. Aut Chium, dicit, (vel *Et Chium*, nam ad hanc rem perinde est) aut Lesbium, alterutrum modo, vel etiam, nam mea non multum refert, Caecubum. Virgilius Aen. VI, 841.

Quis (aut) *te, magne Cato, tacitum* aut *te, Cosse, relinquat?*
Quis (aut) *Gracchi genus?* aut *geminos, duo fulmina belli,*
Scipiadas, cladem Libyae? parvoque potentem
Fabricium vel *te sulco, Serrane, serentem?*

Fabricium et Serranum, ut simillimos, artius conjungit. Huc referenda Ovidii exempla sunt, quae Joh. Schraderus attulit emendat. cap. XI. pag. 212. ex metam. XV, 600. in Ibin 285. 299. 463. Accuratissime Ulpianus fragm. II, 10. *Per fidei commissum libertas dari potest tam proprio servo, quam heredis* aut *legatarii* vel *cujuslibet extranei:* id est, aut heredis servo aut extranei, sive hic extraneus sit legatarius sive alius quilibet. Optime idem fragm. VIII, 2. *Adoptio fit* aut *per populum,* aut *per praetorem* vel *praesidem provinciae.* Tacitus histor. II, 76. *Non adversus divi Augusti acerrimam mentem, nec adversus cautissimam Tiberii senectutem,* ne *contra Caji quidem,* aut *Claudii* vel *Neronis fundatam longo imperio domum exsurgimus.* Prudenter *vel* posuit: contra Claudii vel Neronis domum, utramque longo imperio fundatam; hoc quia de Cajo dici non potuit, hunc ab illis seposuit, *aut* praecedente, sequente *vel.* Hoc exemplum est ex illo genere, de quo Wolfius ad Tacitum annal. I, 32. *Disjunctivum* vel *negare paucissimis exemplis doceri poterit.* Sic tamen Silius quoque, nec falso, XVI, 32.

Non *ars* aut *astus belli* vel *dextera deerat.*

Item Ulpianus fragm. V, 6. *sed tantum fratris filiam,* non *etiam sororis,* nec *amitam* vel *materteram.* Et Tibullus I, 9, 60., quamquam apud hunc certa lectio non est:

Semper sint externa tuo vestigia lecto,
Et pateat cupidis semper aperta domus,
Nec *lasciva soror dicatur plura bibisse*
Pocula vel *plures emeruisse viros.*

De hoc tamen postremo loco admodum dubito. Nam *vel* post simplicem negationem, hoc est, uno tantum membro disjunctivo eoque negativo praecedente, quamquam ratio non rejicit, usus tamen reprobat. Propertii enim locus I, 15, 23. pariter incertae fidei est;

Aut certe tabulae capient mea lumina pictae;
Sive ebore exactae, seu magis aere manus.

Quae mihi dum placata aderit, non ulla verebor
Regna vel *Alcinoi munera despicere.*

Enus tamen ejusmodi locus exstat apud nostrum V, 11, 50., in quo tamen duplex *vel* post *non* sequitur, et ita quidem, ut particulis disjunctivis idem explicetur, quod negativa indicabatur:

Turpior adsessu non *erit ulla meo,*
Vel *tu, quae tardam movisti fune Cybeben,*
Vel *cui* —
Exhibuit vivos carbasus alba focos.

Contra ea, ubi *vel* ante *aut* positum est, alia atque ab his diversa erit orationis structura, tamquam apud Ciceronem de orat. I, 12, 53. *Quis enim nescit, maximam vim exsistere oratoris in hominum mentibus* vel *ad iram* aut *ad odium* aut *dolorem* incitandis, vel *ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem misericordiamque* revocandis? Propertii autem versus, quos Schraderus loco citato affert II, 2, 6. 7., alio pertinent:

et incedit vel *Jove digna soror,*
Aut *cum Dulichias Pallas spatiatur ad aras.*

Ibi enim particula *vel* non habet potestatem disjungendi. Jam si ad haec exigas illud distichon *Illic vel studiis*, non amplius, ut opinor, tueberis, sed concedes fictum a sciolo, qui Athenis non philosophari Propertium non pateretur. Nihilominus haud multum afuit, quin critici alterum distichon potius impugnarent, *Persequar aut* etc., in quo Huschkius etiam, caetera sibi obscura esse fassus, Burmanno *tuos librorum sales* pro *sales tuorum librorum* corruptum esse concedit, praeterea observans, *libros* vel *libellos* pro comoediis dici. Guyetus et Heinsius audacia nimis et vaga, partim inepta quoque, commenti erant: *Grajorumque tuos, Ludorumque tuos, Arma Libera, tumque tuos.* Quid vero, si una interpunctionis nota addita omnia clara fiunt? Sic distingue:

Persequar aut studium linguae, Demosthenis arma,
Librorumque, tuos, docte Menandre, sales.

Hoc dicit: Aut linguae et librorum studium persequar, Demosthenis arma tuosque, docte Menandre, sales. *Demosthenis arma* et *Menandri sales* per appositionem posita intellige. Hoc loquendi genus non animadversum quoties viros doctos transversos egerit, dici non potest. Quos fluctus in uno parvulo Porcii Licinii epigrammate apud Gellium XIX, 9. excitaverit, apud Burmannum Sec. vide ad Antholog.

Aut spatia annorum, aut longa intervalla profundi,
  Lenibunt tacito volnera nostra sinu.
Seu moriar, fato, non turpi fractus amore;
  Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

V. 32. situ.

Lat. Tom. I. pag. 674., in quo me auctore distinguas:

Custodes ovium, teneraeque propaginis, agnûm,
Quaeritis ignem? ite huc. quaeritis? ignis homo est.

Non tenerae agnorum propaginis, sed agnorum, tenerae ovium propaginis. Sequentem pentametrum unus Burmannus recte cepit:

Sive ebore exactae seu magis aere manus.

Caeteri *manus* pro statuarum manibus positas opinantur; ex quibus iterum quaero, an Statium nostro multo praeclarius locutum esse velint silv. II, 2, 69.

Aeraque ab Isthmiacis auro potiora favillis,
Ora ducum et vatum, sapientumque ora priorum.

Immo artificum manus intelligendae sunt et manuum opera. Vide quos Burmannus laudat, et Ovidium fast. III, 825.

Et licet antiquo manibus collatus, Epeo
Sit prior, irata Pallade mancus erit.

Epigramma ἀδέσποτον CCCXV. εἰς Πραξιτέλες ἔργα·

Λύγδινα πάντα καὶ ἄκρα, σοφαὶ χέρες. αὐτὸς ὁ Μῶμος
Φθέγξεται· Ἄκρητος, Ζεῦ πάτερ, ἡ σοφίη.

Audacius Posidippus epigr. XIV.

Λύσιππε, πλάστα Σικυώνιε, θαρσαλέη χείρ.

Exactae autem *manus* ita, ut apud eumdem Ovidium fast. III, 383.

Mamurius morum fabraene exactior artis,
Difficile est, illud, dicere, clausit opus.

32. LENIBUNT TACITO VULNERA NOSTRA SITU] Hoc J. Gebhardi et D. Heinsii commentum, *Situ*, quod Broukhusio blandiebatur, Burmannus recepit. Sed Huschkius in epistola critica ad Santenium pag. 76. jure optimo dubitat, an epitheton *tacitus* ad verbum *situs* hoc sensu quadret: codicum omnium scripturam *tacito* SINU perbene tuetur, ita explicans, in loco ab omni turba vacuo et remoto. Sic Valerius Flaccus II, 422.

I, memor, i, terrae, quae vos amplexa quieto
Prima sinu.

Tacitus Agric. XXX. *Nos, terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit.*

XXII.

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua;
Dindymus, et sacrae fabricata juvenca Cybebes,
Raptorisque tulit qua via Ditis equos,
Si te forte juvant, Helles Athamantidos urbes,
Nec desiderio, Tulle, movere meo.
Tu licet aspicias caelum omne Atlanta gerentem,
Sectaque Persea Phorcidos ora manu,
Geryonae stabula, et luctantum in pulvere signa
Herculis Antaeique, Hesperidumque choros,
Tuque tuo Colchum propellas remige Phasin,
Peliacaeque trabis totum iter ipse legas,
Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
In faciem prorae pinus adacta novae,
Et si, qua Ortygiae visenda est ora Caystri,
Et qua septenas temperat unda vias:

Eleg. XXII. *Burm. XXI.* V. 3. Cybebae. 15. Ortygii.

XXII.

3. SACRAE FABRICATA JUVENCA CYBEBAE] Sic egregie Isaacus Vossius ad Catullum pag. 161., nisi quod CYBEBES scribendum est, ut libro V, 7.
Hic numerosa fides atque aera rotunda Cybebes.
Libri veteres *Sacra fabricata inventa Cybelae.* Neapolitanus *Cibele*, ut solet in talibus.

4. TULIT QUA VIA] Diu est, cum viri docti reposuerunt *Quae via.* Sed nihil opus, modo ista omnia recte distinguas, in hanc sententiam: Diu tibi Cyzicus placuit, si te Dindymus forte juvat et Hellesponti urbes, qua Ditis raptoris equos via tulit.

15. ET SI QUA ORTYGII VISENDA EST ORA CAYSTRI] Locus a multis varie vexatus. Libri scripti meliores habent *Et si qua orige* vel *origae*, nisi quod *si* nonnullis exsulare videtur, quamquam Burmanni notis hic aliquid erroris aspersum Livinejus et Broukhusius arguunt, qui in Groning. Mentel. Heins. Borrich. *si* legi testantur, quod ille abesse notat. Itali tentarunt *Si quave olorigeri*, Claudiano non abnuente ad Serenam v. 12.; tum Domitius Calderinus *Si quave Gygaei;* alii *Et qua Gygaei;* unde nuper factum *Et si qua Gygaei,* quae *unice vera lectio* versum uno, quem detrectat, semipede donat; Lipsius *cycnei,* alii aliter: sed omnia ab opti-

Omnia Romanae cedent miracula terrae.
  Natura hic posuit, quidquid ubique fuit.
Armis apta magis tellus, quam commoda noxae,
  Famam, Roma, tuae non pudet historiae.
Nam, quantum ferro, tantum pietate potentes
  Stamus; victricis temperat ira manus.
Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro
  Tramite, et aeternum Marcius humor opus,
Albanus lacus et socia Nemorensis ab unda,
  Potaque Pollucis limpha salubris equo.

V. 22. illa. 25. Albanusque lacus socii. 25. Nympha.

morum librorum scriptura nimis differunt. Proxime verum, ni fallor, Isaacus Vossius *Et si qua Ortygii*, cui tamen Spanhemius ad Callimachi h. in Dian. 257. pag. 358. recte objicit, non Caystrum, sed Cenchrium fluvium Ortygiam lucum prope Ephesum perfluxisse. Sed ante omnia de structura orationis videndum erat: *Et si qua Ortygii visenda est ora Caystri.* *Si qua ora, εἴ τις ἀκτή*, non potest jungi. Itaque ad *si* aliud verbum quam *visenda est* arcessi debet, et quidem *sis* vel *eas* ex praecedentibus. Particula *si* non potest omitti, ita, *Et qua*, ne Iason Caystrum quoque et Nilum vidisse dicatur. Quid vero hoc, *visenda est?* Cur ita loquitur, *Qua visenda est ora Caystri*; non, qua visitur, aut qua visas? Hoccine Latinitas patitur? Non sane. Itaque potius est, ut Isaacum Vossium partim sequentes, partim propius ad codicum scripturam *Origae* reponamus:

Et si, qua ORTYGIAE *visenda est ora Caystri.*

Qua Caystri ora est, tam vicina illa Ortygiae (vetus Ephesi nomen est; v. Plinium V, 29.), ut huic videnda sit.

22. VICTRICES TEMPERAT ILLA MANUS] Hanc scripturam, a multis ante probatam, Burmannus ex quatuor libris Italicis, Borrich. Askew. Leid. sec. Vatic. quinto, recepit. Prima specie blanditur, sed falsa est. Victrices manus pietas temperare non potest, quae nulla est in hostes. Recte libri caeteri illi meliores universi:

Nam quantum ferro, tantum
  pietate potentes
Stamus; victrices temperat
  IRA *manus.*

Ira suas manus victrices temperat; ira in hostem, simul ac victum videmus, cessat et manus a saeviendo retrahit.

25. ALBANUSQUE LACUS SOCII NEMORENSIS AB UNDA] Utrumque ab iisdem fontibus oriri constat. Non solum igitur Albanus ab unda socii Ne-

At non squamoso labuntur ventre cerastae,
Itala portentis nec furit unda novis;
Non hic Andromedes resonant pro matre catenae,
Nec tremis Ausonias, Phoebe fugate, dapes,
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
Exitium nato matre movente suo;
Penthea non saevae venantur in arbore Bacchae;
Nec solvit Danaas subdita cerva ratis;
Cornua nec valuit curvare in pellice Juno,
Aut faciem turpi dedecorare bove,
Arboreasve cruces Sinis, et non hospita Grajis
Saxa, et curvatas in sua fata trabes.

V. 37. Arboreasque.

morensis; sed et hic ab illius. Quid veremur ergo hanc scripturam ejicere, quam Cujacianus tantum habet, nullius fidei codex? Colotianus, Perreji, duo Vaticani *Albanusque lacus socia*, non melius, neque illorum librorum major auctoritas est. Caeteri *Albanus lacus et socii*. Scribe cum Francio et editione Veneta anni cIↃIↃ apud Barthium:

Albanus LACUS ET SOCIA
Nemorensis ab unda.

26. NYMPHA SALUBRIS] Jam dictum supra de hoc loco. Recte libri tantum non omnes:

Potaque Pollucis LYMPHA
salubris equo.

28. NEC FURIT UNDA] Sic recte Scaliger ex suo libro, hoc est, ab docti Itali emendatione. Membranae Neapolitanae et Guarnerianae *Nec fuit unda*: caeteri codices *Nec fuit una*.

37. ARBOREASQUE CRUCES] Repone ARBOREASVE. Praeterea nihil mutaverim. Supplendum ex praecedentibus *habere* vel *adhibere*. Similem structurae libertatem significavimus versu 15. Sic eleg. 2, 41.

Nil tibi sit rauco praetoria
classica cornu
Flare, neque Aonium cingere Marte nemus,
Aut quibus in campis Mariano praelia signo
Stent et Teutonicas Roma refringat opes.

Eleg. 4, 39.

Sub terris si jura deum et
tormenta Gigantum,
Tisiphones atro si furit
angue caput,
Aut Alcmaeoniae furiae aut
jejunia Phinei,
Num rota, num scopuli,
num sitis inter aquas.

Libro V, 6, 31.

Non ille attulerat crines in
colla solutos,
Aut testudineae carmen inerme lyrae,

Haec tibi, Tulle, parens, haec est pulcherrima sedes;
Hic tibi pro digna gente petendus honos;
Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum
Spes, et venturae conjugis aptus amor.

XXIII.

Ergo tam doctae nobis periere tabellae,
Scripta quibus pariter tot periere bona!
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
Qui non signatas jussit habere fidem.
Illae jam sine me norant placare puellam,
Et quaedam sine me verba diserta loqui.
Non illas fixum caras effecerat aurum:
Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescumque mihi semper mansere fideles,
Semper et effectus promeruere bonos.
Forsitan haec illis fuerant mandata tabellis:
Irascor, quoniam es, lente, moratus heri.
An tibi nescio quae visa est formosior? an tu
Non bene de nobis crimina ficta jacis?
Aut dixit: Venies hodie, cessabimus una;
Hospitium tota nocte paravit Amor.

Eleg. XXIII. *Burm. XXII.* V. 15. Venias.

Sed quali aspexit Pelopeum Agamemnona vultu,
Egessitque avidis Dorica castra rogis.

XXIII.

11. FORSITAN HAEC ILLIS FUERANT] Quod malit Heinsius, *fuerint*, in nostris membranis legitur. Sed nihil tamen mutandum duco.

15. VENIAS HODIE] *Venias* num quis ante Scaligerum dederit, ignoro: non vitupero tamen, si e bonis libris sit. Sic Ovidius art. amat. II, 229.

Rure eris et dicet Venias;
Amor odit inertes;
Si rota defuerit, tu pede carpe viam.

Nihilominus nescio quid suavius habet altera lectio *Venies*, quam hi libri, quibus maxima fides, exhibent, Groninganus, Neapolitanus, Mentelianus, Guarnerianus, cum deterioribus innumeris;

Et quaecumque volens reperit non stulta puella,
  Garrula cum blandis dicitur hora dolis.
Me miserum! his aliquis rationem scribit avarus,
  Et ponit duras inter ephemeridas.
Quas si quis mihi rettulerit, donabitur auro.
  Quis pro divitiis ligna retenta velit?
I puer, et citus haec aliqua propone columna;
  Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

V. 18. ducitur.

Aut dixit: VENIES *hodie; cessabimus una.*

Horatius epist. I, 7, 69.

Sic ignovisse putato
Me tibi, si coenes hodie mecum. Ut libet. Ergo
Post nonam venies: *nunc i, rem strenuus auge.*

17. VOLENS] Palmaria Broukhusii emendatio; nec dubites, quin verissima sit. Scripti *Et quaecumque dolens.*

18. DUCITUR HORA DOLIS] Permirum hoc, scripsisse Cynthiam

quaecumque volens reperit non stulta puella,
Garrula cum blandis ducitur hora dolis.

Immo stulta puella, quae inter amplexus epistolas amatorias ad illum ipsum, quem amplectitur, scribendas meditetur! Tu ex codice Groningano repone:

Garrula cum blandis DICITUR *hora dolis,*

id est, condicitur. Et ita quidem Johanne etiam Schradero auctore scribes: *blandis jocis,* quod ille ex aliquot Italicis accipit, nolim admittere. Propertius *dolos* videtur mire dicere, quae Apollonius Rhodius itidem mire appellat *δήνεα* III, 661.

Ὡς δ' ὅτε τις νύμφη θαλερὸν πόσιν ἐν θαλάμοισιν
Μύρεται —
Τὸν δέ τις ὤλεσε μοῖρα, πάρος ταρπήμεναι ἄμφω
Δήνεσιν ἀλλήλων.

22. LIGNA] Sic verissime Beroaldus: scripti *signa* habent. Simile vitium apud Plautum in Pseud. I, 1, 40.

Phoenicium Calidoro amatori suo
Per ceram et linum *litterasque interpretes*
Salutem mittit, et salutem abs te expetit.

In re seria nimis joculare et scurrile illud est, *per linum.* Recte Muretus, *Per ceram et lignum.* Ulpianus fragm. XX, 9. *Haec uti in his tabulis cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor.*

XXIV.

Falsa est ista tuae, mulier, fiducia formae,
 Olim oculis nimium facta superba meis.
Nos er amor talis tribuit tibi, Cynthia, laudes,
 Versibus insignem te pudet esse meis.
Mixtam te varia laudavi saepe figura,
 Ut, quod non esses, esse putaret amor;
Et color est totiens roseo conlatus Eoo,
 Cum tibi quaesitus candor in ore foret.
Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
 Eluere aut vasto Thessala saga mari.
Haec ego, non ferro, non igne coactus, et ipsa
 Naufragus Aegaea vera fatebar aqua.
Conreptus saevo Veneris torrebar aheno;
 Vinctus eram versas in mea terga manus.
Ecce coronatae portum tetigere carinae,
 Trajectae Syrtes, ancora jacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus aestu,
 Volneraque ad sanum nunc coïere mea.
Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono.
 Exciderint surdo tot mea vota Jovi.
Risus eram positis inter convivia mensis,
 Et de me poterat quilibet esse loquax.

Eleg. XXIV. *Burm.* XXIII. V. 19. condo.

XXIV. [XXIV. XXV.]

12. VERA FATEBAR] Scripti, ni fallor, omnes *Verba fatebar;* nec *vera* legendum vidit quisquam ante Livinejum.

19. TUA ME IN SACRARIA CONDO] Sic Heinsius, *Condo: Pono* Marklandus. Retineatur, me judice, quod habent scripti:

Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria DONO.

Ipsum se pro donario vel *ἀναθήματι* donat Bonae Menti. Versu proximo: *Exciderint* a Livinejo est: scripti male *Exciderant.*

21. RISUS ERAM] Hos versus, quos libri omnes a praecedentibus separant, cum illis conjungendos esse critici omnes ab Italis inde judicarunt. Recte sane. Initium et finis docet:

Falsa est ista tuae mulier fiducia formae.

Eventum formae *disce timere tuae.*

Haec vero, *Risus eram* etc.,

Quinque tibi potui servire fideliter annos:
Ungue meam morso saepe querere fidem.
Nil moveor lacrimis: ista sum captus ab arte,
Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles.
Flebo ego discedens, sed fletum injuria vincit;
Tu bene conveniens non sinis ire jugum.
Limina jam nostris valeant lacrimantia verbis,
Nec tamen irata janua fracta manu.
At te celatis aetas gravis urgueat annis,
Et veniat formae ruga sinistra tuae;
Vellere tum cupias albos a stirpe capillos,
Ah speculo rugas increpitante tibi,
Exclusa inque vicem fastus patiare superbos,
Et quae fecisti, facta queraris anus.
Has tibi fatalis cecinit mea pagina diras.
Eventum formae disce timere tuae.

V. 33. cupies. 34. Et. 35. patiere. 36. quereris.

nisi aliis praemissis, intelligi non poterunt.

33. CUPIES. 35. PATIERE. 36. QUERERIS] Libri boni, ni fallor, omnes (nam *tum capias*, quod habet Neapolitanus, a mero errore venit *)):

Vellere tum CUPIAS *albos a stirpe capillos,*
Exclusa inque vicem fastus PATIARE *superbos,*
Et quae fecisti, facta QUERARIS *anus.*

Recte. Nam haec vaticinia non sunt, sed dirae:

Has tibi fatales cecinit mea pagina diras.

34. ET SPECULO] Rectius libri tantum non omnes *A speculo*, id est, AH. Itali viderunt et Johannes Livinejus.

*) Errat in hujus codicis lectione indicanda Burmannus quoque, qui ex eo annotat *cum capias*.

SEX. AURELII
PROPERTII
ELEGIARUM
LIBER QUINTUS.

I.

Hoc, quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma est,
Ante Phrygem Aenean collis et herba fuit;

LIBER V. *apud Burmannum quartus.* V. 2. Aeneam.

IN LIBR. V. [VULGO IV.]

Haud paullo brevius, nec mirabere, in hoc postremo libro, quam in prioribus, rem nostram agemus, partim quia nobis properandum est, ut experiamur, si quid majus forte, quam Propertium notis onerare, possimus. Tum multa hic, in quibus aliquis diu moretur, indigna sunt. Porro haud pauca quidem interprete indigent, sed gravissima ab aliis occupata, nec nostri negotii. Quae ad criticam pertinent, et ipsa ex maxima parte jam peracta, ut nihil paene nobis, nisi quae codicum scripturae hic tantum non in singulis versibus locum verissimis emendationibus fecerint, indicandum sit. Divinationibus cur nec nos facile indulserimus, neque alienis examinandis magnam operam impendere voluerimus, intelliges, ubi plura hujus libri carmina non ab ipso poeta elaborata, sed ab ejus amicis ita, ut in ceras temere conjecta, rudia quidem illa et indigesta (quod in hoc poeta non mirum, quem durum ad verba numeris includenda in prioribus libris jam perspexeris), invenerant, edita esse cognoveris. De hoc vero ne dubitares, versus Propertii, quoties rupto sententiarum filo non bene cohaerebant, spatiis intermediis vacuis relictis di-

Atque ubi Navali stant sacra Palatia Phoebo,
  Euandri profugae concubuere boves.

Fictilibus crevere deis haec aurea templa;
  Nec fuit obprobrio facta sine arte casa;

V. 4. procubuere.

stinximus; id quod cum saepissime debuerit fieri (et poteramus id saepius facere, nisi multa tolerassemus), et praeterea tam multa minus polita et inculta et imperfecta nemo nón possit agnoscere, non speramus inventum iri, qui haec fragmenta potius, quam primas lineas et formas quasi carminum, dicere velint.

Sed de primo carmine ita statuo, priorem ejus partem alio, ac posteriorem, tempore scriptam esse. Tam enim serio agit a principio, ut omnia risus causa conficta esse non possim credere. Et voluisse sane Propertium fastos condere ex aliis hujus libri carminibus satis constare videtur, secundo, quarto, nono, decimo et, nisi fallor, etiam sexto. Caeterum an primus ejusmodi opus susceperit, ignoro. Simile poëma Aulus Sabinus, qui tamen quando obierit non constat, affectum reliquit, Ovidio teste Pontic. IV, 16, 15.

Quique suam Troezena imperfectumque Dierum
Deseruit celeri morte Sabinus opus.

Sed quem Plutarchus in Romulo commemorat, uno etiam disticho allato, *Βοῦτάς τις, αἰτίας μυθώδεις ἐν ἐλεγείοις περὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν ἀναγράψας*, quocumque tempore vixerit, Graece scripsit, uti et Simulus *ὁ ποιητής*, cujus quatuor disticha Plutarchus ibidem ponit capite XVII., quorum primum ita scribendum est:

Ἡ δ' ἀγχοῦ ναίουσα παραὶ Καπιτώλιον αἶπος
Ταρπηΐα, Ῥώμης ἔπλετο τειχολέτις.

I.

1. QUA MAXIMA] Bene correctum, sed jam dudum; nam ita codex Vossianus apud Heinsium. Caeteri *quam maxima.* Aliquot Italici, duo Vaticani, Perreji, Colotii, *Quae.* Versu proximo scribe AENEAN ex Groningano et Bononiensi.

4. EUANDRI PROFUGAE PROCUBUERE BOVES] Haec lectio ab emendatrice Italorum male sedulorum manu venit: Propertius dederat, quod boni libri omnes exhibent:

Euandri profugae CONCUBUERE *boves.*

Non fessae procubuerunt boves, quippe navibus advectae, sed in eo loco concumbere solitae fuerunt. Non abludit ab his Pervigilium Veneris v. 81.

Tarpejusque pater nuda de rupe tonabat
  Et Tiberis nostris advena bubus erat
Qua Gradibus domus ista Remi se sustulit, olim
  Unus erat fratrum maxima regna focus.
Curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,
  Pellitos habuit rustica corda patres.

V. 9. Quo — sustulit olim,

Ecce iam subter genistas explicant tauri latus,
Quisque tutus, quo tenetur, conjugali foedere.

Ubi male legi *super genistas* monuerunt Broukhusius ad Tibullum II, 1, 62. et in emendationibus pag. 20. Johannes Schraderus.

9. QUO GRADIBUS DOMUS ISTA REMI SE SUSTULIT OLIM,] Unus Broukhusius, sed hic quoque vix animadvertit, haec verba ita esse distinguenda:

Quo gradibus domus ista Remi se sustulit! Olim
Unus erat fratrum maxima regna focus.

Ita certe sensum praebent, et blanditur oppositionis elegantia. Verum ne sic quidem vitio caret sententia. Romuli enim casa post ejus tempora altior facta non fuit: hoc tantum, in latius spatium tota urbs extenta est. Neque *gradibus* recte explicare videntur *gradatim*, cum aliter poni soleat, uti apud Virgilium Aen. I, 448.

Aerea cui gradibus surgebant limina, nexaeque
Aere trabes.

Tu repone cum Heinsio:

QUA Gradibus *domus ista Remi se* sustulit, *olim*
Unus erat fratrum maxima regna focus.

quod unus Italicus Vaticanus quintus, eoque melior Palatinus Gebhardi confirmant. Illa parvula domus, inquit, olim Romuli regia fuit. *Sustulit se* non ἀορίστως, sed propria perfecti temporis, τοῦ τελείου ἐνεστῶτος, significatione dicit: alte exstat, aliis superius posita stat. Virgilius ecl. I, 25.

Verum haec tantum alias inter caput extulit *urbis,*
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Antholog. Lat. III, 31.

Hic, ubi Bajarum surrexit *grata voluptas,*
Et rudibus splendens molibus exstat opus.

Gradibus, quod adjectum est, Plutarchus illustrat in Romulo cap. XX. Ὤικει δὲ Τάτιος μὲν, ὅπου νῦν ὁ τῆς Μονήτης ναός ἐστι, Ῥωμύλος δὲ παρὰ τοὺς λεγομένους βαθμοὺς καλῆς ἀκτῆς. οὗτοι δέ εἰσι περὶ τὴν εἰς τὸν ἱπ-

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites;
  Centum illi in prato saepe senatus erat.
Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro;
  Pulpita sollemnis non oluere crocos.

Nulli cura fuit externos quaerere divos,
  Cum tremeret patrio pendula turba sacro

Annuaque adcenso celebrare Palilia foeno,
  Qualia nunc curto lustra novantur equo.

Vesta coronatis pauper gaudebat asellis;
  Ducebant macrae vilia sacra boves.
Pauca saginati lustrabant conpita porci;
  Pastor et ad calamos exta litabat ovis.

V. 14. erant. 23. Parva.

πρόδρομον τὸν μέγαν ἐκ Παλαντὶς κατάβασιν.

14. CENTUM ILLI IN PRATO SAEPE SENATUS ERANT] Scripti omnes ERAT, quod teneo. Propertius enim utroque modo loquitur. En exempla:

Unus erat *fratrum maxima regna* focus.
Murus erant montes.
Una sit *et cuivis* femina *multa mala.*
Haec mihi devictis potior victoria Parthis,
  Haec *spolia*, haec *reges*, haec *mihi currus* erunt.
Hic erat *Arganthi* Pegae *sub vertice montis*
  Grata domus Nymphis humida Thyniasin.
Haec *videam rapidas in vanum ferre procellas*,
  Quae *tibi terra*, *velim*, quae *tibi* fiat *aqua*.
Maecenatis erunt *vera tropaea* fides.
Nobile erit *Romae* pascua *vestra forum*.

19. ANNUAQUE ACCENSO CELEBRARE PALILIA FOENO Non cohaeret, nisi *celebrare* pro *celebravere* positum velis, qualia nusquam inveniri satis constat. Nam *properare* apud Catullum LXVI, 45. corruptum est. Itaque scriberem:

Nulli cura fuit externos quaerere divos,
  Annua at *accenso celebrare Palilia foeno*,

nisi in hoc carmine vel potius in his carminis rudimentis nihil cohaerere scirem.

23. PARVA SAGINATI LUSTRABANT COMPITA PORCI] In qua re antiquorum temporum differentiam ponat, perpende. Non quidem in *sagi-*

Verbera pellitus saetosa movebat arator,
 Unde licens Fabius sacra Lupercus habet.
Nec rudis infestis miles radiabat in armis:
 Miscebant usta praelia nuda sude.
Prima galeritus posuit praetoria Lucmo
 Magnaque pars Tatio rerum erat inter ovis
Hinc Tities Ramnesque viri Luceresque coloni,
 Quattuor hinc albos Romulus egit equos.
Quippe suburbanae parva eminus urbe Bovillae,
 Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi,
Et stetit Alba potens, albae suis omine nata,
 Hac, ubi Fidenas longe erat ire vias.

V. 33. minus. 34. Gabii. 36. ire, via.

natis porcis; nam auctam fuisse postea Compitalium religionem nihil constat. *Parva* igitur *compita* illis temporibus videtur ascribere, quae nunc majora esse. At num majora in magna urbe compita sunt, quam in parva? Nequaquam: quin et saepe minora fiunt, cum aedificia extra muros amplius extendi non possunt. Quo igitur hic *parva compita?* Scilicet, si Passeratium audimus, sues altiles mactabantur lustrandis compitis, *sine sumtu et magnificentia*. Ita interpretando poëtam id, quod nos volumus, dicere cogimus. Immo repone:

PAUCA *saginati lustrabant*
compita porci.

Pauca et *parva* in libris scriptis passim commutari docent critici ad Tibullum I, 1, 2. Propert. IV, 10, 24. (V, 10, 26.).

29. LUCMO] Sic bene Scaliger: codices *Lygmon*. Iidem versu 31. admodum variant. Sed recte, ni fallor, editur *Tities*, quod Propertius pro *Titiensibus* ponere ausus fuerit, quomodo *Ramnenses* jam tum *Ramnes* frequenter appellabantur.

33. SUBURBANAE PARVA MINUS URBE BOVILLAE] Interpretes Bovillas *minus suburbanas* dici volunt, cum verborum collocatio postulet, ut *urbe minus parva* jungamus, quod absurdum foret. Quin Bovillae tum non *minus*, sed plane *non suburbanae* erant. Repone:

Quippe suburbanae parva EMINUS *urbe Bovillae.*

Bovillas, nunc suburbanas, tum parva urbe eminus fuisse indicat. Hanc conjecturam diu feceram, cum a Burmanno ex aliis, quos tamen non nominat, libris *parvae minus* enotatum vidi. Caeterum *Bovillarum* nomen restitutum debemus Italis: codices genuini omnes *Violae* habent.

36. HAC, UBI FIDENAS LONGE ERAT IRE, VIA] Minus pro-

Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus;
Sanguinis altricem non pudet esse lupam.

Huc melius profugos misisti, Troja, Penatis.
O quali vecta est Dardana puppis ave!

V. 38. nunc. 40. ducta.

babile eorumdem Italorum commentum. Boni codices:

Hac, ubi Fidenas longe erat
ire VIAS.

Rectissime. Quid enim *hac via?* An fuit Alba in ea via, quae Româ Fidenas ducebat? Immo *hac, ubi vias Fidenas,* hoc est, quae Fidenas ducunt, *ire longe ire erat,* quae viae postea breves videri debuerunt. Recte *Fidenas vias* pro Fidenatibus, ut alia innumera et apud Virgilium Aen. VI, 773.

Nomentum et Gabios
urbemque Fidenam.

Sed recte habet structura quoque. Noster libro I, 21, 17.

Namque ferunt olim Pagasae
navalibus Argo
Egressam longe *Phasidos*
isse viam.

38. SANGUINIS ALTRICEM NUNC PUDET ESSE LUPAM] Non alibi in hoc carmine sui temporis mores reprehendit, idque optimo consilio. Cur igitur in hunc locum de conjectura, ni fallor, tale quid infulserunt? Certe omnes boni libri habent NON PUDET vel *non putet,* quorum illud verum est. Nec major versiculus adversatur:

Nil patrium, nisi nomen,
habet Romanus alumnus.

Nihil nisi nomen, inquit, Romani suis majoribus debent, quia a parvis res Romana initiis orta est; quin lupam generis nostri auctorem esse non diffitemur.

40. O QUALI DUCTA EST DARDANA PUPPIS AVE] *Ducta* ex paucis nec sane magnae fidei libris editur: optimi habent VECTA, neque aliter, quos vidimus, impressi jam ante Beroaldum. *Ducta* probari posset, si quam avem vidisset Aeneas, quae navem duceret, quod Batto evenisse Callimachus narrat h. in Apoll. 67.

Φοῖβος καὶ βαθύγειον ἐμὴν πό-
λιν ἔφρασε Βάττῳ,
Καὶ Λιβύην ἐσιόντι κόραξ
ἡγήσατο λαῷ
Δεξιὸς οἰκιστῆρ.

Quibus similia a Broukhusio allata vide. Nunc, quia de Aenea nihil constat ejusmodi, melius est, ut Aeneae navis felici augurio *vecta* esse dicatur. *Quali ave,* quali omine, loquendi genus a viris doctis passim illustratum. Audacius noster IV, 9, 11.

Tuque ô cara mihi felicibus
edita pennis.

ut Sophocles in Oed. Col. 97.

Ἔγνωκα μέν νιν, ὥς με τήν-
δε τὴν ὁδὸν

Jam bene spondebant tunc omina, quod nihil illos
  Laeserat abiegni venter apertus equi,
Cum pater in gnati trepidus cervice pependit,
  Et verita est humeros urere flamma pios.
Tunc animi venere Deci, Brutique secures,
  Vexit et ipsa sui Caesaris arma Venus.
Arma resurgentis portans victricia Trojae,
  Felix terra tuos cepit, Iüle, deos;
Si modo Avernalis tremulae cortina Sibyllae
  Dixit Aventino rura pianda Remo,
Aut si Pergameae sero rata carmina vatis
  Longaevom ad Priami vera fuere caput:
Vertite equum, Danai! male vincitis. Ilia tellus
  Vivet, et huic cineri Juppiter arma dabit.

Optima nutricum nostris, lupa Martia, rebus,
  Qualia creverunt moenia lacte tuo!
Moenia namque pio conor disponere versu.
  Hei mihi, quod nostro parvus in ore sonus!

V. 41. illam. 45. Decii. 47. Trojae. 57. describere.

Οὐκ ἔσθ' ὅπως ὁ πιςὸν ἐξ
ὑμῶν πτερόν
'Εξήγαγ' ἐς τόδ' ἄλσος.

Vehi autem dicuntur *naves*. Catullus LXIV, 121.

Aut ut vecta ratis spumosa ad litora Diae.

Propertius IV, 21, 19.

Deinde per Ionium vectus *cum fessa Lechaeo*
Sedarit placida vela phaselus *aqua.*

Libro I, 8, 14.

Cum tibi provectas *auferet unda* rates.

Omitto, quoties *pervehi* et *praetervehi classes* dicant Livius et Tacitus. Caeterum in versus initio *Heu* habent libri. *En* Perrejus enotat, scilicet e duobus Vaticanis. Sed *O quali*, undecumque venerit, verum est.

41. QUOD NIHIL ILLAM] ILLOS, Penates scilicet, lege; ut et Johanni Schradero visum. Nam *illam* ad *cervicem*, quae sequitur, referri nolim, et nolit, nisi fallor, grammatica. Ad praecedentia non pertinere Schraderus docuit.

57. MOENIA NAMQUE PIO CONOR DESCRIBERE VERSU] *Describere* habent pauci libri, Mentelianus, Heinsianus, membranae Hieron. Commelini. Caeteri DISPONERE, quod verum est, quamvis audacter dictum.

Sed tamen exiguo quodcumque e pectore rivi
  Fluxerit, hoc patriae serviet omne meae.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
  Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua;
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria dictis,
  Umbria Romani patria Callimachi.
Scandentis si quis cernet de vallibus arcis,
  Ingenio muros aestimet ille meo.
Roma, fave; tibi surgit opus. date candida, cives,
  Omina; et inceptis dextera cantet avis.
Sacra diesque canam et cognomina prisca locorum;
  Has meus ad metas sudet oportet equus.

Quo ruis inprudens, vage, dicere fata, Properti?
  Non sunt ah dextro condita fila colo.

V. 60. serviat. *Post* v. 70. *positi* 87. 88. (71. 72.) V. 71. (73.) vaga d. facta. 72. (74.) dextra.

Disponere carmina Lucretius habet III, 425. Idem I, 47.

Ne mea dona, *tibi studio* disposta *fideli,*
Intellecta prius quam sint, contempta relinquas.

et libro V, 530.

Id doceo, plureisque sequor disponere causas,
Motibus astrorum, quae possint esse per Omne.

Huic simillimum, quod hic legimus, *moenia versu*, hoc est, carmine, *disponere.* Versu proximo nescio an *est* post *nostro* habeant libri omnes: sed rectius abest.

60. HOC PATRIAE SERVIAT OMNE MEAE] Multi et optimi codices SERVIET, quod praefero, quia promtiorem animum indicat ne adhortatione quidem egentem. Firmat Ovidius quoque Pontic. IV, 8, 65.

Si quid adhuc igitur vivi, Germanice, nostro
Restat in ingenio, serviet omne *tibi.*

71. QUO RUIS INPRUDENS VAGA DICERE FACTA PROPERTI?] Ita hunc versum de Nic. Heinsii sententia Broukhusius dedit. *Vaga facta* in nullo libro legi existimo. Nonnulli tamen *vaga fata* habent; *vaga verba*, ex interpretatione, ni fallor, Mentelianus, Bononiensis, Regiorum alter. Equidem nec quae *vaga facta* sint, nec quae *fata vaga*, intelligo; nam

Arcessis Latium, cantas: aversus Apollo,
Poscis ab invita verba pigenda lyra.

V. 73. (75.) Aversis Charisin. V. 74. (76.) Poscitur.

vaga pro *variis* Latine dici quis contendat? Optimi libri *Vaga dicere facta* vel *fata*. Repone ex Neapolitano et Guarneriano:

Quo ruis imprudens, VAGE, *dicere* FATA, *Properti?*

Quo ruis? inquit, quo per loca caeca tibique non adeunda vagaris, non aptus satis antiquis populi nostri fatis revolvendis? Male tu stamina fatalia de colo tua deduces,

Non sunt ah dextra condita fila colo.

Vagus ruebat ille, ut apud Virgilius in Culice est v. 22.

Te cultrice vagus *saltus* feror *inter et antra.*

Nec triplex vocativus est, *imprudens vage Properti*, sed *imprudens* primo casu positum, *imprudens dicere.*

72. AH DEXTRA] Recte *Ah* reposuerunt pro *A*: sed DEXTRO *colo*, quod habent scripti, mutatum nollem. Nam et Catullus *colum* genere masculino dixit, et poëtae sibi tam multa in talibus permiserunt, ut nulla sit Prisciani auctoritas.

73. AVERSIS CHARISIN CANTAS: AVERSUS APOLLO POSCITUR INVITA VERBA PIGENDA LYRA] Hoc distichon in codicibus insigniter corruptum legitur. En omnem scripturae varietatem:

Arcessis { lacrimis cantus / lacrimas cantas }
{ aversus / adversus } *Apollo*
{ Poscis ab / Poscit et } *invita verba*
pigenda lyra. ....

Ex his portentis Heinsius id, quod Burmannus dedit, concinnavit, ingeniose profecto: quam vere, videamus. Primum hoc nullo modo probare possum:

aversus Apollo
Poscitur *invita verba pigenda lyra.*

Quid enim? Num invita Propertii lyra Apollinem carmina poscit? Immo ipse Propertius, et canendi quidem cupidissimus. An Apollo verba pigenda poscitur, sed ejus lyra talia carmina edere recusat? Utrum igitur pigebit illorum carminum, Phoebumne an Propertium? Nam ambiguum est. Utrumque, ajunt, quod mihi impium videtur. Cur autem Apollinis lyra haec, quae Propertius poscit, sonare non vult, quae alias et majora argumenta libenter celebrat? Vides *invitam Apollinis lyram* non debuisse dici, sed *Apollinem invitum posci*, qui Propertio ea, quae postulabat, negaret. Quantum igitur praestat, quod codices tantum non omnes exhibent:

Certa feram certis auctoribus, aut ego vates
Nescius aerata signa movere pila.

aversus Apollo;
POSCIS AB *invita verba pigenda lyra.*

Ita non ab Apolline, sed ab sua lyra poscit carmina Propertius, ut Horatius carm. I, 32, 1.

Poscimus, *si quid vacui sub antro*
Lusimus tecum. quod et hunc in annum
Vivat et pluris, age, dic Latinum, barbite, carmen.

Sic Virgilius:

Incipe *Maenalios mecum,* mea tibia, versus.

Horum similibus pleni sunt omnes poëtarum libri. *Lyra invita,* quae id, quod poëta vult, resonare recusat. Ovidius amor. III, 9, 23.

Aelinon in silvis idem pater, Aelinon, altis
Dicitur invita *concinuisse lyra.*

Hac lectione igitur poteramus esse contenti. Quia tamen Gebhardus (nam Burmannus falsa memorat) in codice Palatino reperit *Poscis et,* Heinsius vero in Vossiano, Burmannus in duobus aliis *Poscit et* legi narrant (quamquam Heinsius ad Ovidium art. amat. III, 672. e Vossiano quoque *Poscis et* enotat), dederit fortasse Propertius:

Poscis et invitam *verba pigenda* lyram.

Sed utut hoc fuerit, multo argutius et ingeniosius est, quod Heinsius in majore versu tentavit, *Aversis Charisin cantas,* adjutus tamen, quod neque ipse diffitetur adversar. I, 2., a pessimis duabus Italorum emendationibus, quarum altera, *Aversis Musis cantas,* ut esset crasse nimis excogitata et numeros corrumperet, tamen Heinsio sententiam ministravit; ex altera, quae sanum sensum non praebebat, *Arcessis lacrimis Charites,* suum *Charisin* derivavit, utramque scripturam antiquam ratus, cum recentissimae sint, nec nisi in paucis libris Italicis visantur. Hactenus igitur Heinsii emendatio quidem infirmo nimis fundamento nititur. Praeterea an ullus poëta Romanus Charitas carminum suorum praesides fecerit, valde dubito; certe nihil ejusmodi commemini. Quare videndum est, si forte codicum vestigiis propius insistendo veriorem aliquam lectionem eruere possimus. Id fiet, ni fallor, si ita scribamus, horoscopi, qui hic loquitur, magniloquentiae accommodate:

ARCESSIS LATIUM; *cantas: aversus Apollo;*
Poscis ab invita verba pigenda lyra.

Tu, ait ille, omne Latium, ut tuo carmini assit, advocas; canere jam incipis: nihil agis; aversus Apollo est; lyra invita carmen pigendum edere cogitur. Respicit ad ea, quae Propertius versu 67. dixerat:

Me creat Archytae suboles Babylonius Horops
  Horon et a proavo ducta Conone domus.
Di mihi sunt testes non degenerasse propinquos,
  Inque meis libris nil prius esse fide.
Nunc pretium fecere deos, et fallitur auro
  Juppiter, obliquae signa iterata rotae

Felicesque Jovis stellas Martisque rapacis,
  Et grave Saturni sidus in omne caput;
Quid moveant Pisces animosaque signa Leonis,
  Lotus et Hesperia quid Capricornus aqua.

Dicam: Troja cades, et Troïa Roma resurges;
  Et maris et terrae longa sepulcra canam.

Dixi ego, cum geminos produceret Arria natos, —
  Illa dabat natis arma vetante deo —,

V. 77. (79.) Horos, Horos, etc. 83—86. *Burm.* 105—108. 83. (105.) stellae. 87. 88. *Burm.* 71. 72. 88. (72.) pericla. 89—108. *Burm.* 85—104.

Roma fave, *tibi surgit opus;* date candida, cives,
  Omina, *et inceptis dextera cantet avis.*
Sacra diesque canam *et cognomina prisca locorum,*
  Has meus ad metas sudet oportet equus.

Simili modo Propertium astrologus irridet versu 126., cum quo confer 66. Caeterum vide, quam accurate consentiant harum litterarum ductus, *lacium* et *lac'mis* vel *lac'mas.*

77. BABYLONIUS HOROS, HOROS, ET A PROAVO] Inepta repetitio. Libri optimi, Groninganus, Neapolitanus, Guarnerianus et alii permulti in pentametro habent *Horon.* In versu longiore *Horos* de nescio cujus conjectura legi videtur: scripti habent *Orops* et similia. Recte:

Me creat Archytae suboles Babylonius HOROPS
  HORON, *et a proavo ducta Conone domus.*

83. FELICESQUE JOVIS STELLAE] Hos quatuor versus codicum auctoritate in hunc locum revoco, de cohaerentia neque hic neque alibi in hoc carmine sollicitus. Quare nec STELLAS, quod libri omnes habent, spernendum est.

88. ET MARIS ET TERRAE LONGA PERICLA CANAM] Hunc quoque versum una cum proxi-

Non posse ad patrios sua pila referre Penatis:
Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.
Quippe Lupercus, equi dum saucia protegit ora,
Heu sibi prolapso non bene cavit equo:

mo praecedente huc, ubi in scriptis leguntur, quam post 70. ponere malui, non quod eos ad ea, quae his vicina sunt, quicquam facere existimem, sed quia nostrum non est scire, quo loco illos Propertius, si carmen ipse edidisset, repositurus fuisset. Quid vero, si hic tumor astrologo melius, quam Propertio ipsi, convenit? Hoc certe defendam, non indignum caeteris esse, quod hic praeter Heinsianum libri omnes exhibent:

Et maris et terrae longa SEPULCRA *canam.*

Eamdem lectionem egregie tuetur eruditissimus Huschkius in Analectis criticis.

93. QUIPPE LUPERCUS, EQUI. 96. ANTE AQUILAE ROSTRA CRUENTA SUAE] Burmannus lectores suos ludos facit, cum, quam incommoda haec lectio sit,

Quippe Lupercus, equi dum saucia protegit ora,

ex contorta Passeratii explicatione colligi posse dicit. Nam Regius interpres more suo inania sibi objiciendo eo pervenerat, ut *protegit* explicaret, protegere conatur: *non enim protexit,* inquit, *cum s a u c i a dicat poëta.* Quasi vero non saucius quoque, ne ulterius petatur, protegi possit. Apud Virgilium Aen. X, 800. Mezentium vulneratum

socii magno clamore sequuntur,
Dum genitor nati parma protectus *abiret.*

Livius XXII, 49. *Parte altera pugnae Paullus, quamquam primo statim praelio funda* graviter ictus *fuerat, tamen et occurrit saepe cum confertis Hannibali et aliquot locis praelium restituit,* protegentibus *cum equitibus Romanis.* Et ibidem ad eum Cn. Lentulus: *L. Aemili, — cape hunc equum, dum et tibi virium aliquid superest: comes ego te tollere possum ac* protegere, *ne funestam hanc pugnam morte consulis feceris.* Haec igitur ratio concidit, cur Heinsii et Marklandi *Lupercus eques* reponentium conjectura probanda sit; neque alter frater Gallus, dum se, sed *dum credita signa tuetur*, interfectus est. Quod si *equus* in uno disticho bis positus viris doctis displicuit,

Quippe Lupercus, equi *dum saucia protegit ora,*
Heu sibi prolapso non bene cavit equo,

nihil mihi affectatum, quo hic horoscopus utitur, dicendi genus magis decere videtur: nec dubito, quin in altero disticho ex Groningano, Guarneriano

Gallus at, in castris dum credita signa tuetur,
Concidit ante aquilae signa cruenta suae; —
Fatales pueri, duo funera, matris avarae.
Vera, sed invito, contigit ista fides.
Idem ego, cum Cinarae traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram,
Junoni votum facite inpetrabile, dixi:
Illa parit; libris est data palma meis.
Hoc neque arenosum Libyae Jovis explicat antrum,
Aut sibi conmissos fibra locuta deos,

V. 96. (92.) rostra. 97. (93.) funera matris.

Vulpii et aliis apud Burmannum legendum sit:

Gallus at, in castris dum credita signa tuetur,
Concidit ante aquilae SIGNA *cruenta suae,*

non *Rostra cruenta. Aquilae signa* dicit, ut *aquilae signiferum* Naso fastor. V, 586.

Romanaeque aquilae signifer *hostis erit.*

101. JUNONI VOTUM FACITE INPETRABILE, DIXI] Boni aliquot libri, Neapolitanus, Guarnerianus et alii:

Junonis facite votum *impetrabile, dixi.*

Unde fortasse legendum est:

Junonis facito votum *impetrabile, dixi.*

Quomodo fere Burmanno quoque visum est, legendum censenti: *Junoni votum facito.* Nihil tamen affirmo. Nam quis neget, alios quoque praeter puerperam Lucinae vota fecisse, cum alios solvisse ejusmodi vota legamus? Certe in Phaedimi epigramm. III. in Analectis Brunckii Tom. I. pag. 261.

Ἄρτεμι, σοὶ τὰ πέδιλα Κιχησίϐ εἵσατο υἱός,
Καὶ πέπλων ὀλίγων πτύγματα Θεμιϛοδίκη,
Οὕνεκά οἱ πρηεῖα λεχοῖ δισσὰς ὑπερέσχες
Χεῖρας, ἄτερ τόξϐ, πότνια, νισσομένη.

Junonis autem *vota facere* non minus rectum videtur, quam *Junoni.* Virgilius. Aen. XI, 4.

Vota deum *primo victor solvebat Eoo.*

103. HOC NEQUE ARENOSUM LIBYAE JOVIS EXPLICAT ANTRUM] Heinsius corrigit *Libyos Jovis.* Bene: sed Propertius neque alibi hunc duplicem genitivum sprevit. Libro III, 21, 6.

Et maris *et* terrae *caeca pericla* viae.

quem locum Livinejus tuetur commode allato Tibullo II, 6, 3.

Et seu longa virum terrae via, *seu vaga ducent Aequora.*

et ita Flaccus Valer. V, 318.

Nec pelagi *nos mille viae, nec fama fefellit.*

Aut si quis motas cornicis senserit alas,
  Umbrave quae magicis mortua prodit aquis.
Aspicienda via est caeli, verusque per astra
  Trames, et ab zonis quinque petenda fides.
Exemplum grave erit Calchas. namque Aulide solvit
  Ille bene haerentis ad pia saxa rates;
Idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae
  Tinxit, et Atrides vela cruenta dedit:
Nec rediere tamen Danai. tu diruta fletum
  Subprime, et Euboïcos respice, Troja, sinus.

V. 106. (102.) Umbra neque haec. 107. (103.) versusque. *Post* v. 108. *positi* 83—86. (105—108.)

Porro libro IV, 8, 54.

Parthorum astutae tela remissa fugae.

Hoc ipso libro 5, 23.

Eurypylique placet Coae textura Minervae;

ubi Heinsius frustra legit *Eurypylisque*. Eleg. 6, 15.

Est Phoebi fugiens ad litora portûs
Actia, Iuleae pelagus monumenta carinae.

106. UMBRA NEQUE HAEC MAGICIS] Non male: sed aliter scripti. Ut caeteros omittam, Groninganus et Palatinus papyraceus habent *Umbra neque in magicis;* Mentelianus *Umbraque ne magicis.* Sed rectius, ni fallor, Neapolitanus *Umbrane quae*, et *Umbra neque* Bononiensis. Scilicet cum Turnebo, Livinejo, Guyeto legendum est:

*Umbra*VE QUAE *magicis mortua prodit aquis.*

107. VERSUSQUE PER ASTRA TRAMES] Zodiacum significari satis constat: sed *versus trames* qui sit, nemo explicat. Novi illud Ovidii metam. II, 130.

Sectus in obliquum est lato curvamine limes.

et quod noster habet supra v. 83.

obliquae signa iterata rotae.

Quin Virgilius georg. I, 238.

via secta per ambas,
Obliquus qua se signorum verteret ordo.

Obliquam viam omnes dicunt, *versaque* per hanc viam *sidera; versam viam* aut *tramitem versum* nullus. Tu igitur cum Neapolitano ac Menteliano aliisque apud criticos undecim codicibus lege:

Aspicienda via est caeli, VERUSQUE *per astra*
Trames, et ab zonis quinque petenda fides.

Valerius Flaccus II, 66.

Sic ait; et certi memorat qui vultus Olympi,
Pleïones Hyadumque locos,

Nauplius ultores sub noctem porrigit ignis,
Et natat exuviis Graecia pressa suis.

Iliade victor, rape nunc et dilige vatem,
Quam vetat avelli veste Minerva sua.

Hactenus historiae: nunc ad tua devehar astra,
Incipe tu lacrimis aequus adesse novis.
Umbria te notis antiqua penatibus edit, —
Mentior? an patriae tangitur ora tuae? —
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et lacus aestivis intepet Umber aquis,

V. 116. tuis. 117. Victor Oïlide. 119. devehor.

116. EXUVIIS GRAECIA PRESSA TUIS] Sic primus, ni fallor, Muretus. Codices universi *Exuviis* SUIS, nec debuit mutari, quamquam rarior hic usus est, ut *exuviae meae* dicantur, quas alii detraxi. Sic tamen Propertius IV, 12, 12.

Et spolia opprobrii *nostra per ora trahit.*

Itaque Virgilii illud explicant Aen. XII, 94.

validam vi corripit hastam,
Actoris *Aurunci* spolium;

quamquam Juvenalis aliter accepit II, 100.

117. VICTOR OÏLIDE] Miror et hic et in Sabini epist. I, 101. viros doctos *Oiliden* facere, qui Graecis 'Οϊλιάδης est. Sed apud Sabinum codices fortasse habeant consentientes: hic omnes litteram *a* agnoscunt, *Victor o iliade* fere exhibentes. Nihilominus aliud quid dedisse Propertium persuadent mihi optimae membranae Groninganae, e quis Livinejus *Oilade victor* enotat, *Oliade victor* Burmannus. Repono:

ILIADE VICTOR, *rape nunc et dilige vatem.*

De rara hac forma, quam et Graeci usurparunt, 'Ιλιάδης, quae vel doctis librariis fraudi esse potuit, post alios disputantem audi et grammaticorum annotata examinantem Hermannum de emendanda ratione Graecae grammaticae pag. 41. Caeterum fieri potest, ut Propertius scripserit *Oiliade victor*, Οἰλιάδη, quod et librarius Groninganus voluisse videtur: sed nos grammaticos Graecos tutius, quam rationem et codicem Latinum, sequemur in hoc docto poëta, qui Graecas elegantias probe et nimis accurate didicerat.

119. NUNC AD TUA DEVEHOR ASTRA] Omnes fere boni libri DEVEHAR habent, quod praefero, quia magnificentius est ideoque hunc hominem de-

Scandentisque arcis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.

Ossaque legisti non illa aetate legenda
Patris, et in tenuis cogeris ipse Laris.
Nam tua cum multi versarent rura juvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
Matris et ante deos libera sumta toga,
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.

At tu finge elegos, fallax opus, — haec tua castra —
Scribat ut exemplo caetera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patiere sub armis,
Et Veneris pueris utilis hostis eris.
Nam tibi victricis, quascumque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas;

cet. Alterum fortuito ad aliam rem delabentis significationem includit, quae hinc aliena est. In minore versu Marklandus:

Incipe tu lacrimis aequus adesse tuis.

Sed *novas lacrimas* dicit, ad illud priscum Graecorum infortunium respiciens.

125. SCANDENTISQUE ARCIS] Recte, ut opinor, ita scribunt critici. Codices *asis* vel *axis*.

135. AT TU FINGE ELEGOS, FALLAX OPUS] Ita videtur intelligendum: quod in fraudibus et fallaciis versatur. Sic fere de malis carminibus Statius silv. I, 2, 27.

Cessent mordaces obliqui carminis astus.

Neque incommode Passeratius ista Propertii affert IV, 2, 49.

Ut per te clausas sciat excantare puellas,
Qui volet austeros arte ferire viros,

Sed Propertio ante, quam alios fallere doceret, melius erat suam dominam sibi propitiam reddidisse. Admodum probabiliter Heinsius:

At tu finge elegos, pellax *opus.*

ad quam conjecturam firmandam faciunt, quae Bentlejus ad Horatium carm. III, 7, 20. annotavit.

140. ELUDET PALMAS] Certissima scriptura, quam impressi nostri omnes agnoscunt praeter posterius exemplar Volsci, in quo *Eludat* est. Codices cuncti, ut opinor, Dresdensi apud Barthium excepto,

Et bene cum fixum mento decusseris uncum, —
Nil erit hoc, — rostro te premet ansa suo.
Illius arbitrio noctem lucemque videbis;
Gutta quoque ex oculis non nisi jussa cadet.
Nec mille excubiae, nec te signata juvabunt
Limina: persuasae fallere rima sat est.

Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
Vel licet armatis hostis inermis eas,
Vel tremefacta cavo tellus diducat hiatu:
Octipedis Cancri terga sinistra time.

II.

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna dei.
Tuscus ego, et Tuscis orior; nec poenitet inter
Praelia Volsanos deseruisse focos.
Haec me turba juvat; nec templo laetor eburno:
Romanum satis est posse videre forum.

Eludit vel *Eludat*. Caeterum Burmannus hic tentat:

> *Nam tibi victrices, quascumque labore parasti,*
> *Eludet palmas una puella duas.*

quod quomodo intelligi voluerit, nescio. Offenderant eum *tibi* et *tuas* conjuncta. Sed ita Virgilius Aen. IX, 84.

> *da, nate, petenti,*
> *Quod tua cara parens domito te poscit Olympo.*

Valerius Flaccus II, 242.

> *Sed tibi nunc quae digna tuis ingentibus ausis*
> *Ora feram?*

Sequente versu omnes libri *confixum* habent pro *cum fixum*; tum *nostro te premat* vel *premit ausa*. Domitius Calderinus ex parte correxit, cujus verba subjeci: *Et bene confixum merito discusserit uncum Nil erit hoc nostro te premit ausa suo.* Totum carmen mendosum est, neque ullo sensu, nisi ita emendes: *Ut bene confixum mento discusseris uncum, Nil erit: haec rostro te premet ansa suo.* Multi libri Italici, etiam exemplar Vicentinum MCCCCLXXXI. habent *Ut bene confixum*: vides, unde venerit. *Cum fixum* Beroaldus dedit anno MCCCCLXXXVII; ab eodem est *Rima* in versu 146., pro quo *prima* habent libri scripti.

Hac quondam Tiberinus iter faciebat; et ajunt
  Remorum auditos per vada pulsa sonos:
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
  Vertumnus verso dicor ab amne deus.

Seu, quia vertentis fructum praecepimus anni,
  Vertumni rursus credidit esse sacrum.
Prima mihi variat liventibus uva racemis,
  Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulcis cerasos, hic auctumnalia pruna
  Cernis, et aestivo mora rubere die.
Insitor hic solvit pomosa vota corona,
  Cum pirus invito stipite mala tulit.

Mendax fama noces: alius mihi nominis index,
  De se narranti tu modo crede deo.
Opportuna mea est cunctis natura figuris.
  In quamcumque voles, verte: decorus ero.

Indue me Cois: fiam non dura puella;
  Meque virum sumpta quis neget esse toga?
Da falcem, et torto frontem mihi conprime foeno;
  Jurabis nostra gramina secta manu.

V. 12. creditur.

II.

12. VERTUMNI RURSUS CREDITUR ESSE SACRUM] *Creditur* Passeratii et Perreji codices, quorum quam suspecta fides sit, jam nosti: caeteri omnes *Credidit*. At hoc, ajunt, quorsum referatur, non patet. Sed si *Creditur* legimus, versu superiore scribendum erit:

Seu quia vertentis fructum praecerpimus anni,

cum Carolo Fea in nupero ad Horatium commentario. Nec tamen bene cohaerent haec omnia. Nam versu 19. mendacia appellat, quae antea ut probabilia posuerat. Praestat igitur, ut totum locum non elaboratum esse fateamur; *Praecepimus* autem et CREDIDIT optimorum librorum auctoritate retineamus.

19. ALIUS MIHI NOMINIS INDEX] Quis ille alius index? Ipse Vertumnus scilicet. Cur igitur tam mire loquitur? Su-

Arma tuli quondam, et, memini, laudabar in illis;
Corbis in inposito pondere messor eram.

Sobrius ad litis: at cum est inposta corona,
Clamabis capiti vina subisse meo.

Cinge caput mitra: speciem furabor Iacchi;
Furabor Phoebi, si modo plectra dabis.
Cassibus inpositis venor: sed arundine sumta
Faunus plumoso sum deus aucupio.

Est etiam aurigae species Vertumnus, et ejus,
Trajicit alterno qui, leve pondus, equo.

V. 36. qui leve pondus equo.

spicio est primitus scriptum fuisse:

Mendax Fama, noces; falsa es mihi nominis index:
De se narranti tu modo crede deo.

ut littera *s* sequentem *f* absorbuerit. Ita Ovidius fastor. V, 191.

Ipsa doce, quae sis. hominum sententia fallax.
Optima tu proprii nominis auctor eris.

31. FURABOR IACCHI] Codices scripti *Achei.* Ut vitii originem et progressum videas, Neapolitanus libro II, 3, 17. pro *Iaccho* habet *iachco.*

35. ET EJUS] Libri omnes *et elus* vel *aelus*, quod vitii genus fere perpetuum est in codicibus Propertianis. Caeterum in hoc,

Trajicit alterno qui leve pondus equo,

quid sit *leve pondus*, quia non apparet, Broukhusius, Marklandus, Schraderus tentant *leve corpus.* Distinctione opus:

Trajicit alterno qui, leve *pondus*, *equo.*

Trajicit, hoc est, se trajicit, ut apud Virgilium Aen. X, 400.

Tum Pallas bijugis fugientem Rhoetea praeter
Trajicit.

Pondus pro equite. Statius silvar. I, 1, 20.

exhaustis Martem non altius armis
Bistonius portat sonipes, magnoque superbit
Pondere.

Thebaid. I, 181.

Ex quo Sidonii nequicquam blanda juvenci
Pondera *Carpathio jussus sale quaerere Cadmus*
Exsul Hyanteos invenit regna per agros.

ubi nugae sunt de Sidonio tauro: scribe *Ex quo Sidonius* — *Cadmus*, ut Theb. III, 300.

Suppetat hoc, piscis calamo praedabor; et ibo
Mundus demissis institor in tunicis.

Pastor ego et baculum possum rurale vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.

Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima cura est?
Hortorum in manibus dona probata meis.

V. 39. Pastorem ad — curvare, 41. cura est, 42. meis?

Nec mihi Sidonii genitalia foedera Cadmi
Exciderunt.

37. SUPPETAT HOC] *Suppetit* non videtur absolute dici, ut *contingit* et alia. Bene igitur Heinsius et Marklandus:

Suppetat hic, pisces calamo praedabor.

Hic, nempe calamus.

39. PASTOREM AD BACULUM POSSUM CURVARE] Sic duo Vaticani, unus Passeratii: caeteri meliores *Curare.* Neutrum se capere, viri docti frustra dissimulant. Ayrmannus et Lennepius:

Pastor me *ad baculum possum curvare,*

nescio an Latine. Mihi vix dubium est, quin dederit Propertius:

PASTOR EGO ET *baculum possum* RURALE *vel idem*
Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.

Ovidius metam. XV, 655.

sed qualis in aede
Esse solet, baculumque *tenens* agreste *sinistra.*

Silius Ital. XIII, 334.

Pastorale *deo* baculum, *pellisque sinistrum*
Velat grata latus tenerae de corpore damae.

Bonum vocabulum, *ruralis*, et jam Caesari notum B. G. III, 14. *Una erat magno usui res praeparata a nostris, falces praeacutae, insertae affixaeque longuriis, non absimili forma* ruralium *falcium.* Caeterum in minore versu scripti omnes, Neapolitanus quoque, *Serpiculis.*

41. DE QUO MIHI MAXIMA CURA EST,] Ita distingue:

Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima cura est?
Hortorum in manibus dona probata meis.

Negat opus esse, ut, quid praecipue curet, adjiciat: hortorum dona, quae manibus teneat, docere. Jam vides, haec neque hic optime cum caeteris cohaerere, nec si cum Johanne Schradero post versum 18. colloces. Bene vero e Groningano repositum *De quo mihi maxima cura est:* caeteri habent *fama est.* Marklandus Ovidii locum attulit trist. IV, 3, 17.

Isse tui memorem, de qua tibi maxima cura est.

Caeruleus cucumis tumidoque cucurbita ventre
Me notat, et junco brassica vincta levi;
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Inpositus fronti langueat ante meae.

At mihi, quod formas unus vertebar in omnis,
Nomen ab eventu patria lingua dedit.
Et tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis,
Unde hodie vicus nomina Tuscus habet,
Tempore quo sociis venit Lucumonius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati.
Vidi ego labentis acies et tela caduca,
Atque hostis turpi terga dedisse fugae.

Idem trist. III, 11, 70.

Est tibi de rebus maxima cura meis.

metamorph. IX, 107.

Intrepidum pro se, curam de conjuge *agentem*
Nessus adit.

Sallustius in Jugurth. XXVI, 1. *Tantum ab eo vitam paciscitur, de caeteris senatui curae fore.*

44. ME NOTAT] Explicant: *Indicat, declarat qui sim;* quem usum exemplis probari velim. Puto:

Caeruleus cucumis tumidoque cucurbita ventre
Mi nitet *et junco brassica vincta levi.*

ut ante versu 13.

Prima mihi variat *liventibus uva racemis.*

48. NOMEN AB EVENTU] Johannes Schraderus tentat: *Nomen* vel *Nomina Vertumni.* Sed recte *ab eventu.* Nam *eventus* non solum exitum et finem indicat, sed et pro *evento* dicitur, hoc est, pro eo, quod evénit aut accidit. Ovidius fastor. I, 59.

omnibus istis,
Ne fallare cave, proximus ater erit.
Omen ab eventu *est; istis nam Roma diebus*
Damna sub adverso tristia Marte tulit.

Ita et *eventum nostrum* dicimus, quod nobis evenit. Idem trist. I, 9, 16.

Sunt tamen eventu *vera fatenda* meo.

metamorph. VII, 353.

et eventu *veteris loca nota* Cerambi.

et libro X, 600.

Non tamen eventu juvenum *deterritus horum*
Constitit in medio.

Silius XV, 403.

sed non est talis Hiberis
Armorum eventus *campis.*

Propertius libro quarto extremo:

Eventum formae *disce timere tuae.*

Sed facias, divom sator, ut Romana per aevom
Transeat ante meos turba togata pedes.

Sex superant versus; — te, qui ad vadimonia curris,
Non moror —; haec spatiis ultima meta meis.
STIPES ACERNUS ERAM, PROPERANTI FALCE DOLATUS,
ANTE NUMAM GRATA PAUPER IN URBE DEUS.
AT TIBI, MAMURI, FORMAE CAELATOR AHENAE,
TELLUS ARTIFICIS NE TERAT OSCA MANUS,
QUI ME TAM DOCILIS POTUISTI FUNDERE IN USUS.
UNUM OPUS EST, OPERI NON DATUR UNUS HONOS.

III.

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae,
Cum totiens absis, si potes esse meus.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
Haec erit e lacrimis facta litura meis;
Aut si qua incerto fallet te littera tractu,
Signa meae dextrae jam morientis erunt.
Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,
Te modo munito Sericus hostis equo,
Hibernique Getae, pictoque Britannia curru,
Ustus et Eoa decolor Indus aqua.

V. 10. Eoo — equo.

Mox versu 51. recte Burmannus dedit *Lucumonius:* scripti habent fere *Lycomedius.*

III.

8. MUNITO SERICUS] Sic verissime Philippus Beroaldus ante pleraque aliorum infeliciora molimina. Libri scripti habent fere *munitus Hericus.*

10. USTUS ET EOO DECOLOR INDUS EQUO] Non juvat interpretum super hoc loco controversias tangere. Scripti omnes:

Ustus et Eoa discolor *Indus* aqua.

Discolor nolo defendere, quod nisi cum dativo, aut ubi is facile intelligitur, poni non existimo. Vide Heinsium ad Ovid. epist. IX, 4. metam. IV, 21. Sed EOA AQUA rectissime, hoc est, ad aquam Eoam, ut dixi libro III, 4, 39. Neque aliter Tibullus IV, 2, 20.

Haecne marita fides? hae pactae sunt mihi noctes,
Cum rudis urguenti brachia victa dedi?
Quae mihi deductae fax omen praetulit, illa
Traxit ab everso lumina nigra rogo;
Et Stygio sum sparsa lacu; nec recta capillis
Vitta data est; nubsi non comitante deo.
Omnibus heu portis pendent mea noxia vota;
Texitur haec castris quarta lacerna tuis.
Occidat, inmerita qui carpsit ab arbore vallum,
Et struxit querulas rauca per ossa tubas,
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
Aeternusque tuam pascat, aselle, famem.
Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis inbellis adterit hasta manus?

Proximus Eois *colligit* Indus aquis;

ubi itidem male reposuerunt *equis* contra codicum fidem. Catullus XI, 3.

Sive in extremos penetrabit Indos,
Litus ut longe resonante Eoa
tunditur unda.

Porro *ustus decolor* expone: decolor, quia ustus. Sic Ovidius epist. XI, 41.

Ah nimium vivax admotis restitit infans
Ignibus, et tectus tutus ab hoste fuit.

Lucretius IV, 513.

Ita tibi est igitur verborum copia cassa
Omnis, quae contra sensus instructa parata est.

11. HAE PACTAE SUNT MIHI NOCTES] Ita haec a Beroaldo edita sunt, et ante eum Vicentiae MCCCCLXXXI. et ab Antonio Volsco, qui tamen a. MCCCCLXXXVIII. dedit *et pactae sunt* . . *Hae* verum videtur, pro quo et est in scriptis omnibus: *Sunt* nullus bonus liber habet, nec placet. Apponam optimorum lectiones, quatenus notae sunt; nam de Groningano nihil constat. Mentelianus, Palatini, Bononiensis, *Et pacatae mihi noctes*; Guarnerianus, *Et pacte ne* (pro *nunc*, puto; *ne* pro *nc*) *mihi noctes*; Neapolitanus, *Et parce auia nóctes*, non *avia mihi noctes*, ne Heinsio ad Ovid. epist. IV, 150. aut Burmanno ad hunc locum fidem habeas. Caetera vana Italorum commenta sunt. Aut cum Heinsio lege: *Hae pactae* num *mihi noctes?* quod scripturae Guarnerianae proximum est; aut mecum caeterorum vestigia sequitor scribendo: *Hae pactae* a te *mihi noctes?*

Haec noceant potius, quam dentibus ulla puella
  Det mihi plorandas per tua colla notas.
Diceris et macie voltum tenuasse; sed opto,
  E desiderio sit color ille meo.
At mihi cum noctis induxit Vesper amaras,
  Si qua relicta jacent, osculor arma tua.
Tum queror in toto non sidere pallia lecto,
  Lucis et auctores non dare carmen avis.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
  Et Tyria in radios vellera secta suos.
Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,
  Quot sine aqua Parthus milia currat equus,

V. 34. ducta. 37. 38. *ante* v. 35. 36. *positi.* 36. (38.) eques.

28. COLOR ILLE] E Vaticano Livineji. ISTE habent caeteri, nec muto.

34. ET TYRIA IN RADIOS VELLERA DUCTA SUOS] Codices scripti:

Et Tyria in gladios *vellera* secta *suos.*

Radios bene reposuerunt Itali in duobus Vaticanis, Perrejique et Colotii libris. *Ducta* a Broukhusio est. Nos retinemus SECTA. Sectam dicit lanam et vexatam instrumento ferreo, quo carminatur, ut eximantur sordes. Idem facit haec puella, quod illa apud Tibullum I, 6, 80.

Tractaque de niveo vellere ducta putat,

ubi interpretes adeundi sunt. Aliter de textura jam absoluta Theocritus XVIII, 34.

Οὔτ᾽ ἐνὶ δαιδαλέῳ πυκινώτερον ἄτριον ἱστῷ
Κερκίδι συμπλέξασα μακρῶν ἔταμ᾽ ἐκ κελεόντων.

In radios secta, ut libro IV, 2, 25.

Haec hederas legit in thyrsos.

35. COGOR ET etc. 37. ET DISCO etc.] Ita Broukhusius horum distichorum invertit ordinem; male. Fridericus G. Barthius, hic quidem recto judicio utens, „Quam bene, in„quit, sic conveniet versus „brevior mappae geographicae? „deinde potest quis sine ope „ejusmodi tabulae viva voce „discere, qua parte orbis terra„rum fluvius aliquis fluat. Jam „Arethusa accuratiorem noti„tiam flagitans cogitur ad ta„bulas geographicas confugere „disticho sequ."

36. QUOT SINE AQUA PARTHUS MILLIA CURRAT EQUES] Broukhusius scire negat, quare hic *equus* malint. Sed id habent scripti omnes: *eques* est a Scaligero equisonum testimonio nihil periculi equo exercito a siti esse recte sane conten-

Cogor et e tabula pictos ediscere mundos,
 Qualis et haec docti sit positura dei;
Quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu,
 Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Adsidet una soror, curis et pallida nutrix
 Pejerat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla,
 Et texit galea barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis!
 Essem militiae sarcina fida tuae;
Nec me tardarent Scythiae juga, cum Pater altas
 Arctoo in glaciem frigore nectit aquas.

V. 42. Dejerat. 48. Africus.

dente, nisi quod hic de perlonginquo itinere agitur et puella loquitur rei equestris fortasse non gnari si na. Quare meo judicio EQUUS hic quidem revocetur. Caeterum Burmannus quod Livinejum *equus* legere narrat, error est; is enim ipse jam ante Scaligerum *eques* scribendum divinavit.

41. PALLIDA NUTRIX DEJERAT Sic idem Livinejus. *Dejerat*, bene: sed codices sequor consensu exhibentes:

Assidet una soror, curis et pallida nutrix
PEJERAT *hiberni temporis esse moras*

Quamvis et ipsa palleat curis, quamvis te perfidum sciat, tamen, ut me consoletur, jurejurando fallit, *pejerat*, non tuas esse has moras, sed hiberno tempori ascribendas.

47. QUUM PATER ALTAS AFRICUS IN GLACIEM FRIGORE NECTIT AQUAS] *Africo* hic locum non esse, eumdemque *patrem* dici, Burmannum aliosque non fugit. Aliter enim Claudianus de R. Pros. II, 73.

Compellat Zephyrum: Pater *o gratissime* veris.

Ita tamen libri omnes, nisi quod Groninganus *parat* pro *pater* exhibet; nam Italicos non moramur. Varia, sed parum probabilia Helvetius, Eldikius, Burmannus tentant. Scribo:

Nec me tardarent Scythiae juga, cum Pater altas
ARCTOO *in glaciem frigore nectit aquas.*

Sic Statius silv. III, 3, 71.

Hunc et in Arctoas *tenuis comes usque ruinas*
Terribilem affatu passus visuque tyrannum.

Seneca Oedip. 6.6.

et caelum secans
Tepente Nilo pensat Arctoas *nives.*

Patrem dicit Jovem, ut Virgi-

Omnis amor magnus, sed aperto in conjuge major;
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.

lius ter Georgicon primo. Caeterum rem recte tribuit Jovi. Apud Flaccum Valerium I, 513. Sol ad Jovem:

torrida saevo
Quae premis arva gelu, *strictosque insedimus amnes.*

Vide Horatium carm. III, 10, 7.

49. OMNIS AMOR MAGNUS; SED APERTO IN CONJUGE MAJOR] Haec Schradero et Burmanno vitiosa visa sunt, quia *conjux apertus* non conveniat, et *amor in conjuge*, pro, erga maritum, non recte dicatur. De *aperto conjuge* assentior: *amor* erga maritum *in conjuge* Arethusa *esse* recte ac legitime dicitur, quod et Schraderus vidit. Quid igitur, si scribamus?

Omnis amor magnus, sed aperte *in conjuge major;*
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.

Id Propertium dedisse sane existimo, sententia suavissima: Omnis quidem amor multum valet, sed aperte (hoc sentio) in nupta plus, quam in amante. Burmannus tamen, facile, ut ait, transpositis litteris ex *sed aperto*, deletis tantum, quasi haec nulla licentia esset, *a* et *p*, veram sibi versus restitutionem elicere visus est, scribendo:

Omnis amor magnus, deserta *in conjuge major,*

et invenit cui persuaderet. Nobis, si ita grassari licet, nihil usquam in ullo scriptore difficile erit. Caeterum Passeratius e suis libris enotat *sed in apto* (non *apto in*, ut Burmannus narrat) *conjuge major*, idemque olim Venetiis et Brixiae expressum editor Cantabrigiensis testatur. Non magna, ni fallor, illorum codicum auctoritas est, et vix tanta, ut suspicionem moveat olim fuisse:

Omnis amor magnus, sed rapto *conjuge major.*

Rapi tamen dicuntur, qui coguntur abire, non illuc modo, unde redituri non sunt, sed et in terras longinquas. Noster libro I, 16, 3.

Aspice, me quanto rapiat *fortuna periclo.*

Ovidius metamorph. VII, 731.

desiderioque calebat
Conjugis abrepti.

Idem tristium III, 3, 52.

Non tibi nunc primum, lux mea, raptus *ero.*

Epist. XIII, 9.

Raptus *es hinc praeceps, et, qui tua vela vocaret,*
Quem cuperent nautae, non ego, ventus erat.

Pontic. IV, 16, 1.

Invide, quid laceras Nasonis carmina rapti?

Statius silv. III, 5, 6.

si egomet patrio de litore raptus
Quatuor emeritis per bella per aequora lustris
Errarem.

Nam mihi quo, Poenis si purpura fulgeat ostris,
Crystallusque meas ornet aquosa manus?
Omnia surda tacent; rarisque adsueta kalendis
Vix aperit clausos una puella Laris;
Glaucidos et catulae vox est mihi grata querentis;
Illa tui partem vindicat una tori.
Flore sacella tego, verbenis conpita velo,
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno,
Seu voluit tangi parca lucerna mero,
Illa dies hornis caedem denuntiat agnis,
Succinctique calent ad nova lucra popae.
Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris,
Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea cum tortae sparguntur pondera fundae,
Subdolus et versis increpat arcus equis.
Sed, tua sic domitis Parthae telluris alumnis
Pura triumphantis hasta sequatur equos,
Incorrupta mei conserva foedera lecti;
Hac ego te sola lege redisse velim.
Armaque cum tulero portae votiva Capenae,
Subscribam: SALVO GRATA PUELLA VIRO.

V. 52. suas. 53. raris.

52. CRYSTALLUSQUE SUAS] Male Broukhusius. Codices plerique *Tuas*. Sed recte Neapolitanus:

Crystallusque MEAS *ornet aquosa manus.*

Idem codex versu superiore *Te purpura*, caeteri *Tibi*: vere, opinor, Heinsius correxit *Si*. Neque *si* a *tibi* nimis differt in scriptis: nam *t* tantum ponunt librarii, littera *i* supra appicta.

53. RARIS ADSUETA KALENDIS] Scribe RARISQUE ex manu scriptis omnibus. Caeterum incorrupta haec praestare nolo, nec quicquam novi affero. Versu 55. *Graucidos* scriptis *Glaucidos* debetur Scaligero.

59. STANS NOCTUA TIGNO] Vere, ut opinor, Burmannus corrigit *tecto*, probante Huschkio in epistola critica ad Santenium pag. 3.., quem vide.

62. SUCCINCTIQUE] Sic primus, quod sciam, Muretus. Priores cum libris scriptis *Succinctaeque*. Frustra vero Burmannus hos versus alio transponere gestit.

IV.

Tarpejum nemus et Tarpejae turpe sepulcrum
Fabor, et antiqui limina capta Jovis.
Lucus erat felix, hederoso consitus antro,
Multaque nativis obstrepit arbor aquis;
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu
Fistula poturas ire jubebat ovis.

Hunc Tatius fontem vallo praecingit acerno,
Fidaque suggesta castra coronat humo.

Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
Cum quateret lento murmure saxa Jovis,
Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis,
Stabant Romano pila Sabina Foro?
Murus erant montes; ubi nunc est Curia septa,
Bellicus ex illo fonte bibebat equus.

Hinc Tarpeja deae fontem libavit: at illi
Urguebat medium victilis urna caput.

*Et satis una malae potuit mors esse puellae,
Quae voluit flammas fallere, Vesta, tuas?

V. 17. 18. *apud Burmannum* 91. 92.

IV.

3. CONSITUS ANTRO] Ita optime Itali in Colotiano et duobus Vaticanis: caeteri *conditus*. Versu proximo iidem Itali voluere:

Multa ubi *nativis obstrepit arbor aquis.*

Sed recte habet; *Lucus erat, Multaque arbor obstrepit.* Homerus Odyss. Ζ, 86.

Ἔνθ' ἦτοι πλυνοὶ ἦσαν ἐπηετανοί, πολὺ δ' ὕδωρ
Καλὸν ὑπεκπρορέει, μάλα περ ῥυπόωντα καθῆραι.

In sequentibus Itali et caeteri viri docti multa mutare gestiunt: nos libros optimos sequimur, negligentiam in multis et omnia parum elaborata agnoscimus.

17. ET SATIS UNA MALAE etc.

Vidit arenosis Tatium proludere campis,
  Pictaque per flavas arma levare jubas.
Obstupuit regis facie et regalibus armis,
  Interque oblitas excidit urna manus.
Saepe illa inmeritae causata est omina Lunae,
  Et sibi tinguendas dixit in amne comas.
Saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
  Romula ne faciem laederet hasta Tati.
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
  Rettulit hirsutis brachia secta rubis;

Hoc distichon Burmannus Broukhusio praeëunte totius carminis paenultimum fecit: Vulpius inepte machinam hermeneuticam, πρόληψιν, contra eos movet. Sed quocumque loco reponatur, prava sententia est, sive Tarpejae judicio seu suo huic sceleratae puellae unam mortem satis fuisse neget. Fortasse fuerit:

Urguebat medium fictilis urna caput.
Ei scelus! urna *malae potuit* sors *esse puellae,*
Quae voluit flammas fallere, Vesta, tuas!

Sors, quod sorte datum est, Valer. Flaccus I, 478.

Arge, tuae tibi cura ratis; te moenia doctum
Thespia Palladio dant munere; sors *tibi, ne qua*
Parte trahat tacitum puppis mare, fissaque fluctu
Vel pice vel molli conducere vulnera cera.

Claudianus de raptu Pros. II, 220.

Fratris linque domos, alienam desere sortem.

Ausonius in Mosella 80.

haud ille sinit, cui cura secundae
Sortis *et aequorei cessit tutela tridentis.*

27. DUMQUE SUBIT PRIMO CAPITOLIA NUBILA FUMO] Male haec sollicitant. *Fumum* dicit pro nebula. Ita Ovidius metam. I, 571.

Per quae Peneus, ab imo
Effusus Pindo, spumosis volvitur undis,
Dejectuque gravi tenues agitantia fumos
Nubila *conducit.*

Lucretius VI, 460.

Fit quoque, uti montis vicina cacumina caelo
Quam sint quoique magis, tanto magis edita fument
Assidue fulvae nubis caligine crassa.

Quod sequitur,

vicino non patienda Jovi,

variis modis, sed male interpretantur. Tarpejam Jovi patiendam fuisse negat; non debuisse eum tam scelestam puellam in sua vicinia pati. Haec praeter instituti nostri ratio-

Et sua Tarpeja residens ita flevit ab arce
Volnera, vicino non patienda Jovi:
Ignes castrorum, et Tatiae praetoria turmae,
Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva Penatis,
Dum captiva mei conspicer ora Tati.

nem monuimus, a qua et hoc alienum est, quod sequentia,

Et formosa oculis *castra*
Sabina meis,

unaque alterum nostri versum IV, 24, 2.

Olim oculis *nimium facta*
superba meis,

in quibus *oculis* significatur is, qui spectat, vel ipse spectandi actus, post Hirschkium in epistola critica pag. 85. aliis exemplis firmamus. Homerus Odyss. *Λ*, 451.

Ἡ δ' ἐμὴ οὐδέ περ υἷος ἐνι-
πλησθῆναι ἄκοιτις
Ὀφθαλμοῖσιν ἔασε,

aspectu filii, voluptate, quam sentiebam filio me aspiciente. Apollonius Rhodius III, 1018.

Στράπτεν Ἔρως ἡδεῖαν ἀπὸ
φλόγα· τῆς δ' ἀμαρυ-
γὰς
Ὀφθαλμῶν ἥρπαξεν.

rapuit et in Iasonem traxit vultum ejus. Ovidius, ibi laudatus Brunckio, amor. III, 11, 48.

Perque tuos oculos, qui ra-
puere meos.

et II, 19, 19.

Tu quoque, quae nostros ra-
puisti nuper ocellos.

Idem Ovidius epist. XV, 22.

O *facies* oculis insidiosa
meis,

mihi te aspicienti, quam rapis. Petronius: *Nec tamen adhuc sciebam, utrum magis puero irascerer, quod amicam mihi auferret, an amicae, quod puerum corrumperet. Utraque* inimicissima oculis meis, *et captivitate praeterita tristiora,* hoc est, utrumque videbam invitus. Hoc alteri loco Propertiano simillimum, sed et haec Ovidii IX, 475.

Ille quidem est oculis *quam-*
vis formosus *iniquis.*

et Tibulli IV, 13, 4.

Tu mihi sola places, nec jam
te praeter in urbe
Formosa *est* oculis *alla*
puella meis.

et Sabini epist. III, 58.

Laudata *est* oculis *quod*
Cytherea tuis.

34. DUM CAPTIVA MEI CONSPICER ORA TATI] Codices plerique *Conspicer esse Tati.* Sed verbum *conspicare* si Varronem ac Sallustium decet, Propertium certe non decet. In Groningano, Guarneriano et aliis est *Arma Tati,* unde Fredericus Gronovius fecit *Ora,* quod sane pulchrum. Virgilius Aen. XII, 63.

simul haec invisa relin-
quam
Limina, nec generum Aenean
captiva videbo.

Romani montes, et montibus addita Roma;
Et valeat probro Vesta pudenda meo.
Ille equus, ille meos in castra reponet amores,
Cui Tatius dextras conlocat ipse jubas.
Quid mirum in patrios Scyllam saevisse capillos,
Candidaque in saevos inguina versa canes?
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
Cum patuit lecto stamine torta via?
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
Inproba virgineo lecta ministra foco!
Pallados exstinctos si quis mirabitur ignis,
Ignoscat; lacrimis spargitur ara meis.
Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe:
Tu cave spinosi rorida terga jugi.
Lubrica tota via est et perfida; quippe tacentis
Fallaci celat limite semper aquas.
O utinam magicae nossem cantamina Musae!
Haec quoque formoso lingua tulisset opem.
Te toga picta decet, non quem sine matris honore
Nutrit inhumanae dura papilla lupae.

48. TU CAVE] *Cape* libri scripti: bene correctum. Mox versum 51. Burmannus probabiliter tentat:

O utinam sagae nossem cantamina Marsae!

Sed retineamus *magicae cantamina Musae.* Germanicus Caesar *arcanas Musas* dicit carmen de quinque planetis ex sacra Chaldaeorum doctrina faciendum, in Arateis 441.

Hoc opus arcanis si credam postmodo Musis,
Tempus et ipse labor, patiantur fata, docebit.

Sic et Statius Theb. III, 104., ni fallor, *tectum Phoebum* dixit pro obscuris oraculis.

Augur amate deis, non te caelestia frustra
Edocuit, lauroque sua dignatus Apollo est,
Et nemorum Dodona parens Cirrhaeaque virgo
Audivit *tecto populos suspendere* Phoebo.

Ita enim eum locum legendum censeo. Campos Elysios Maeoni vati promittit, cui vivo fuerit perpetuum cum diis commercium. Ille *suspendebat populos* attentione ac dubia oraculorum eventus exspectatione; ut Propertius V, 1, 18.

Cum tremeret patrio pendula turba *sacro.*

Vulgo legitur *Audebit tacito:*

Sic hospes, * pariamne tua regina sub aula,
  Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
Si minus, at raptae ne sint inpune Sabinae!
  Me rape et alterna lege repende vices.
Conmissas acies ego possum solvere; nuptae,
  Vos medium palla foedus inite mea.
Adde Hymenaeë modos; tubicen sera murmura conde.
  Credite, vestra meus molliet arma torus.
Et jam quarta canit venturam buccina lucem,
  Ipsaque in Oceanum sidera labsa cadunt.
Experiar somnum; de te mihi somnia quaeram.
  Fac venias oculis umbra benigna meis.

V. 57. (55.) Sin minus; at, raptae — Sabinae,

sed illud *audebit* nihili est, etsi cum Barthio cribas *At nemorum* ex codice, et interpretationem Lutatii scholiastae sequaris, *tam carum hunc Maeona diis fuisse, ut obitu ejus lugentia conticescere potuerint oracula.*

55. SIC HOSPES, PARIAMNE TUA REGINA SUB AULA] Ita Neapolitanus, et alii fortasse. Sed illud *ne* evertit sensum; neque *hospes* ipsa, nec Tatius. Groninganus cum caeteris plerisque, *Pariam tua ne regina.* Si Propertius haec ipse perpolita dedisset, de vera lectione invenienda, ut opinor, non esset desperandum: nunc hariolari tantum licet. En duo commenta nostra, fortasse ne probabilia quidem:

Sic obses pariamve *tua regina sub aula!*
Dos tibi non humilis prodita Roma venit.

et,

Si caelebs, *pariam* Tatia *regina sub aula:*
— — — — —
Sin minus, at etc.

Illud postulat Scylla Ovidiana metamorph. VIII, 48.

Me tamen accepta poterat deponere bellum
Obside, *me comitem, me pacis pignus habere.*

hoc Salmacis metamorph. IV, 325.

Sed longe cunctis longeque potentior illis,
Si qua tibi sponsa est, si quam dignabere taeda.
Haec tibi sive aliqua est, *mea sit furtiva voluptas:*
Seu nulla est, *ego sim, thalamumque ineamus eumdem.*

Tatia autem *aula*, ut supra: *Tatiae praetoria turmae.*

57. SIN MINUS] Hoc saeculo XVI. exprimi coeptum est. Ante erat SI *minus*, ut in scri-

Dixit, et incerto permisit brachia somno,
Nescia se furiis adcubuisse novis.
Nam Vesta, Iliacae felix tutela favillae,
Culpam alit, et pluris condit in ossa facis.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
Strymonis abscisos fertur aperta sinus.
Urbi festus erat — dixere Palilia patres —
Hic primus coepit moenibus esse — dies;
Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
Cum pagana madent fercula deliciis,
Cumque super raros foeni flammantis acervos
Trajicit inmundos ebria turba pedes.
Romulus excubias decrevit in otia solvi,
Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeja suum tempus rata, convenit hostem;
Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat ascensu dubius, festoque remissus.
Nec mora, vocalis occupat ense canes.
Omnia praebebant somni: sed Juppiter unus
Decrevit poenis invigilare suis.

V. 72. (70) abscissos. 73. erat. — Parilia patres. 74. esse dies. 85. (83.) somnos.

ptis omnibus; et poterat ferri. Vide Cortium ad Plinii epist. I, 3, 2.

68. NESCIA SE FURIIS] Ab Livinejo est: scripti *nefariis*. Fortasse:

Dixit, et incerto permisit brachia somno,
Nesciane ah furiis accubuisse novis?

72. ABSCISSOS FERTUR APERTA SINUS] Ita Broukhusius, recte. Libri scripti, *Abscisso aperta sinu*, quod nec Latinum nec Graecum est. Melius tamen ABSCISOS, et sane *absciso* habet codex noster.

73. PARILIA] Ita hic et eleg. I, 19. Neapolitanus: caeteri *Palilia*. Aut hic quoque sic scribe, aut supra *Parilia*. Caeterum distingue:

Urbi festus erat (dixere PALILIA *patres;*
Hic primus coepit moenibus esse) dies.

Paullo infra v. 76. *divitiis* et 78. *immundas dapes* habent scripti omnes.

85. OMNIA PRAEBEBANT SO-

Prodiderat portaeque fidem patriamque jacentem,
Nubendique petit, quem velit ipse, diem.
At Tatius, — neque enim sceleri dedit hostis honorem —
Nube, ait, et regni scande cubile mei.
Dixit, et ingestis comitum superobruit armis.
Haec, virgo, officiis dos erat apta tuis.
*A duce Tarpejo mons est cognomen adeptus.
*O vigil, injustae praemia sortis habes.

Post v. 92. (90.) *positi* 17. 18.

MNOS] Scriptura sensu cassa. Nihil enim huc facit, quod ex Ovidio affert Passeratius:

Nox ubi jam media est, somnumque silentia praebent.

Egregie Marklandus, *Omnia praebebat somnus.* Sed nos verius:

Omnia praebebant SOMNI. *sed Juppiter unus* etc.

Silius Italicus IV, 725.

omnia somni
Condiderant, *aegrisque dabant oblivia curis.*

Caeterum totus hic locus neutiquam elimatus est. Vide modo praecedentia, in quibus duas res perquam male conjunxit:

Mons erat ascensu dubius, festoque remissus.

88. QUEM VELIT IPSE] *Ipse* Heinsius, sensu flagitante, non *mira humanitate*, ut Barthius inepte cavillatur. Codices *Ipsa.*

93. A DUCE TARPEJO etc.] Contra hanc codicum scripturam quae jure monuerunt viri docti, non recoquo. Vere, ut opinor, Andreas Bassanus apud Vulpium:

A neceTarpejae *mons est cognomen adeptus.*

Nec minus difficultatis habet alter versus. Fortasse:

O vigil, injuste *praemia sortis habes,*

ut Tarpejam exitus sui praemia immerito accepisse dicat, monte Tarpejo ab ea nomen adepto. Sensum, non correcto vitio, idem Bassanus perspexit. *Vigilem* videtur dicere, ut Ovidius fast. I, 261.

Utque levis custos *armillis capta Sabinis*
Ad summae Tatium duxerit arcis iter.

Hoc tamen quia antea non commemoravit, malis fortasse cum Guyeto *O virgo* scribere, nisi totum distichon viro docto praeeunte spurium esse suspicari vis. Sed ita dissimilis sui in hoc libro quinto Propertius est, ut, quae ab ipso, quae ab aliis venerint, nusquam facile dicas; et in hoc praesertim carmine dubia omnia atque incerta sunt. Quare pauca hic diximus, verborum compendium facturi etiam in proximo, cujus et argumentum et tractatio omnes ab lectione absterrere debet.

V.

Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum,
Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim;
Nec sedeant cineri Manes, et Cerberus ultor
Turpia jejuno terreat ossa sono;
Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
Concordique toro pessima semper avis.
Penelopen quoque, neglecto rumore mariti,
Nubere lascivo cogeret Antinoo.
Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum,
Et volucris nidis esse noverca suis.
Quippe et, Collinas ad fossam moverit herbas,
Stantia currenti diluerentur aqua.
Audax cantatae leges inponere Lunae,
Et sua nocturno fallere terga lupo,
Posset et intentos astu caecare maritos,
Cornicum inmeritas eruit ungue genas,
Consuluitque striges nostro de sanguine, et in me
Hippomanes fetae semina legit equae.
Exornabat opus verbis, ceu blanda perurat,
Saxosamque terat sedula culpa viam:

V. 3. at. 11. et Collinas. 15. Possit ut — maritos,

V.

3. AT CERBERUS] Sic Passeratius cum Perreji codice et Colotii et duobus Vaticanis. Rectissime caeteri:

Nec sedeant cineri Manes, ET *Cerberus ultor*
Turpia jejuno terreat ossa sono.

Et post *nec* familiare omnibus, in primis Livio.

15. POSSIT UT] Ita duo Vaticani et Perreji. Sed *possit* quidem falsum de mortua, quamquam et supra erat versu 9. *Illa velit.* Sed rectius caeteri:

POSSET ET *intentos astu caecare maritos.*

Ante haec non debuit tentare Valckenarius:

Ausa excantatae *leges impo-nere Lunae.*

Recto habet *Audax cantatae.* Ovidius amor. II, 5, 38.

Aut ubi cantatis Luna *laborat equis.*

19. EXORNABAT OPUS] *Exo-*

Si te Eoa, Doroxanium, juvat aurea ripa,
Et quae sub Tyria concha superbit aqua,
Eurypylique placet Coae textura Minervae,
Sectaque ab Attalicis putria signa toris,
Seu quae palmiferae mittunt venalia Thebae,
Murreaque in Parthis pocula cocta focis,
Sperne fidem, provolve deos, mendacia vincant,
Frange et damnosae jura pudicitiae.
Et simulare virum, pretium facit. utere causis;
Major dilata nocte recurret amor.
Si tibi forte comas vexaverit utilis ira,
Post modo mercata pace premendus erit.
Denique ubi amplexu Venerem promiseris emto,
Fac simules puros Isidis esse dies;
Ingerat Aprilis Iöle tibi, tundat Amycle,
Natalem Majis Idibus esse tuum.
Supplex ille sedet: posita tu scribe cathedra
Quidlibet. has artis si pavet ille, tenes.
Semper habe morsus circa tua colla recentis,
Litibus alternis quos putet esse datos.

V. 39. circum.

rabat codices, et *ferat* pro *terat.* Caetera vide an Nasonis hoc vindicare possit epist. XVII, 146.

Difficilem culpae suspicor esse viam.

21. DOROXANIUM] A Turnebo est, sed vix verum. Neapolitanus *Dorozantum*, alii aliter. Quaere, si libet: mihi tanti non est.

29. ET SIMULARE VIRUM] Addunt interpretes, virum venturum. Sed *virum simulare* aliud est. Ovidius metam. XI, 310.

Phoebus anum simulat, praeceptaque gaudia sumit.

Horatius epist. I, 19, 12.

Quid si quis voltu torva ferus et pede nudo
Exiguaeque togae simulet textore Catonem?

Recte videtur Heinsius corrigere: *Et simulare iram.* Eoque etiam minus in sequentibus distinguere velim cum codice Groningano:

Si tibi forte comas vexaverit, utilis ira.

quae distinctio *est* in fine adjici postulat: vide nos libro II, 6, 15.

34. ISIDIS] *Sideris esse* scripti: Beroaldus corrigendum monuit. Versu 36. *malis* codices, itidem prave.

39. CIRCUM TUA COLLA] Ex

Nec te Medeae delectent probra sequacis;
Nempe tulit fastus ausa rogare prior:
Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,
Cum ferit astutos comica moecha Getas.
In mores te verte viri: si cantica jactat,
I comes, et voces ebria junge tuas.
Janitor ad dantis vigilet: si pulset inanis,
Surdus in obductam somniet usque seram.
Nec tibi displiceat miles non factus amori,
Nauta neque adtrita, si ferat aera, manu,

V. 45. brachia; 50. nec.

solo Vossiano tertio. Caeteri CIRCA; recte. Quid in talibus Romanae aures probaverint, ex Ovidio apparet amor. I, 6, 37.

Ergo Amor et modicum circa mea tempora *vinum*
Mecum est.

ubi *circum* scribi non potest. Nec nostri locus V, 6, 62. tentandus erat. Vide et V, 9, 35.

45. SI BRACHIA JACTAT] Heinsii commentum. Scripti, *Si* CANTICA *jactat.* Virgilius in Catalectis XI, 19.

Dulcia jactantes *alterno* carmina *versu.*

Ovidius metam. XI, 153.

Pan ibi dum teneris jactat
sua carmina *Nymphis.*

quamquam Ovidius fortasse alio sensu dixerit, nempe eo quo auctor panegyrici in Pisonem 203.

Quod si digna tua minus est
mea pagina laude,
At voluisse sat est; animum,
non carmina jacto.

50. NAUTA NEC ADTRITA] Scribe NEQUE *adtrita,* librariorum in talibus negligentium nulla ratione habita. Ut carminis hujus foeditatem temperemus taedio ex observationibus grammaticis capiendo, placet exponere, quae de hac re per otium olim perlustrando Virgilio, cujus optima et antiquissima exemplaria superesse constat, invenimus, ut aliis quoque boni aevi poetis emendandis prodesse possint. Ante vocalem igitur apud Virgilium semper scribitur *neque*, paucis vocabulis, quae statim indicabimus, exceptis. Nam quatuor loci, in quibus Heinsius *nec* ante vocalem reliquit, codicum auctoritate corrigendi sunt: Georg. II, 84. *neque Idaeis* habent omnes; Aen. II, 430. *neque Apollinis* nonnulli; Aen. IX, 129. *neque ignes* Mediceus et, Heinsio teste, caeteri vetustiores; Aen. IX, 428. *neque ausus* Romanus apud Pierium. Quin et alios quatuor, in quibus an qui libri *neque* habeant ignoramus, quamquam codex Mediceus in singulis (praeter Aen.

II, 584. quem ignorat) *nec* exhibeat, immutandos censeo: Aen. II, 432. *nec ullas;* 468. *nec ullum*; 584. *nec habet*; Aen. XI, 382. *nec inundant:* quia *neque ullae* legitur georg. III, 352., *neque habet* Aen. XI, 413. scriptis consentientibus, *neque* ante *in* georg. I, 426. II, 287. Aen. XI, 159. et alibi. In quibus *nec* ante vocalem probo, haec sunt: Aen. IX, 152., *nec equi;* Aen. XII, 352. *nec equis.* Causa apparet: nec bene novissimus editor Plauti mutavit in Amphitr. I, 1, 19.

Nec aequom *anne iniquom*
imperet cogitabit.

Ad id exemplum in Propertio III, 7, 51. *nec aquosus* scripsi e Dresdensi, quomodo apud Ovidium trist. III, 3, 7. recte editur *nec aquis.* Porro ne ante *ex* quidem toleratur *neque:* Aen. V, 669. *nec exsaturabile* optimi; 781. *nec exanimes.* Noli igitur tentare, quod apud nostrum est IV, 8, 8. *nec ex aequo.* Minus patet, cur *nec* ante *honos* semper ponatur apud Virgilium Aen. XI, 208. XII, 135. 630: optimis tamen libris neque in hoc fidem negaverim. Quid, quod apud Propertium II, 4, 19. ne aliter quidem quam *nec apertos* scribere ausus sum, nimia fortasse librariorum reverentia, sed quod idem repereram apud Ovidium trist. V, 4, 9., in Sabini epist. I, 125., apud Lucanum III, 426. At *neque Alcinoi* I, 15, 24., *neque Aonium* IV, 2, 42., *neque ulla* V, 11, 41. reluctantibus quamvis codicibus reposui, et in hoc loco *neque attrita*, quia apud Virgilium legeram *neque Aonie* ecl. X, 12., *neque ullae* georg. III, 352. et *neque* ante *ad* ecl. IX, 55. Aen. I, 547. 727. X, 855. XI, 44.; praeterea *neque usquam* III, 20, 33., quia Virgilius *neque umquam* habet Aen. IV, 529. Libro autem V, 10, 21. pessime hactenus *nec inducta* editum est, cum optimi quique codices *neque* habeant: *neque induit* Virgilius Aen. IX, 180. Caeterum has regulas poëtis Augusto recentioribus recte applicari posse, nolo contendere. Certe apud Juvenalem XIII, 98. *nec* est in fine versus, sequente in proximo versu *Archigene.* In quo et hoc novum est, quod *nec* posuit in fine versus, cum Virgilius ne quidem in tempus XIX. hexametri *neque* admiserit, quia interpunctio post tempus XVIII. non probatur; vide scholia ad Iliad. *O*, 360. Sed etiam ab mora octava illam particulam excludit, ubi posita numeros aut asperos aut debiliores reddit. Caeterum quoties hae particulae *neque* et *nec* ante consonam in thesi ponuntur ita, ut duo tempora habeant, utraque locum habet in secundo et quarto pede, sed in primo *neque* tantum, in tertio *nec.* Aen. X, 679.

Quo neque *me Rutuli,* nec
conscia fama sequatur.

In hanc regulam quoque librarii frequenter peccarunt, editores Virgiliani bis tantum: georg. IV, 198.

Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
  Cretati medio cum saluere foro.
Aurum spectato, non quae manus adferat aurum.
  Versibus auditis quid nisi verba feres?
Qui versus, Coae dederit nec munera vestis,
  Istius tibi sit surda sine aere lyra.
Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
  Utere, ne quid cras libet ab ore dies.
Vidi ego odorati victura rosaria Paesti
  Sub matutino cocta jacere Noto.

V. 56. arte.

Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes;

et Aen. I, 260.

Magnanimum Aenean; neque *me sententia vertit.*

Scribe *Quod neque* ex Romano aliisque; et in altero loco *nec me.*

52. CRETATI] Optime correxerunt critici codicum scripturam *Caelati.*

56. ISTIUS TIBI SIT SURDA SINE ARTE LYRA] Hanc scripturam Burmannus praetulit, *Sine arte.* Sed hoc quidem nihil significat, *surda sine arte.* Ista enim jungenda sunt, non *lyra sine arte.* Nam adjectivum aut participium aut verbum ad illa adjici debet, *sine arte.* Ovidius art. amat. III, 258.

Est illis sua dos, forma sine arte potens.

Idem amor. III, 13, 10.

Ara per antiquas facta sine arte *manus.*

Propertius V, 1, 6.

Nec fuit opprobrio facta sine arte *casa.*

eleg. 8, 40.

Et facilis spargi *munda* sine arte *rosa.*

In Priapeis carm. LXXXIII, 10.

At, ó Priape, saepe floribus novis
Tuas sine arte deligavimus *comas.*

In iisdem LXIV.

Huc adde, quod me terribilem deum fuste
Manus sine arte *rusticae* dolaverunt.

quem locum frustra a viris doctis sollicitari existimo, dum anapaestum in impari tantum sede admitti a grammaticis sibi persuaderi sinunt, quae regula Graecis certe numquam nota fuit. Sed apud Propertium scribe:

Qui versus, Coae dederit nec munera vestis,
Istius tibi sit surda sine AERE *lyra.*

Ita Groninganus, Neapolita-

His animum nostrae dum versat Acanthis amicae,
* * *
Sed cape torquatae, Venus o regina, columbae
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.
Vidi ego rugoso tussim concrescere collo,
Sputaque per dentes ire cruenta cavos,
Atque animam in tegetes putrem exspirare paternas.
Horruit algenti tegula curta foco.
Exsequiae fuerant rari furtiva capilli
Vincula et inmundo pallida mitra situ,
Et canis in nostros nimis experrecta dolores,
Cum fallenda meo pollice claustra forent.
Sit tumulus lenae curto vetus amphora collo;
Urgueat hunc supra vis, caprifice, tua.
Quisquis amas, scabris hoc bustum caedite saxis,
Mixtaque cum saxis addite verba mala.

V. 69. fuerunt. 74. hanc.

nus, Palatinorum alter et alii; idque Broukhusius bono judicio recepit. Recte, *sine aere*:

Si nihil attuleris, *ibis Homere foras.*

62. * * *] Muretus recte ejecit ineptum pentametrum, quem scripti omnes agnoscunt:

Per tenues ossa sunt numerata cutes.

Tum versu 68. bene repositum *Tegula curta*; vide interpretes. Libri habent fore *pocula* vel *percula curva*.

69. EXSEQUIAE FUERUNT] Codices universi FUERANT. Monitum de talibus libro I, 12, 29. Mox *claustra* nullus scriptus, sed *caltra*, *coltra*, *cultra*, ut *clatra* cum Beroaldo legendum videatur, nisi quod grammatici *clatros* tantum dici contendunt.

74. URGEAT HANC SUPRA] *Hanc* ex mero typographi Broukhusiani errore provenisse suspicor. Certe omnes, quos vidi, ante Broukhusium, et apud Burmannum manuscripti plerique (ita semper loquitur, ubi *omnes* dicere debebat): *Urgeat* HUNC *supra*, nempe tumulum. Libro III, 4, 17.

Et sit in exiguo laurus super*addita* busto.

75. CAEDITE SAXIS] Ita Livinejus, *Caedite*; codices *Caedito*, postrema syllaba male correpta, quod ante Ovidium nemo facere ausus est, neque hic plus semel trist. IV, 3, 72.

Exemplumque mihi conjugis esto bonae.

In versu minore Burmannus suos libros *Adjice* habere notat: *Addite*, quod verissi-

VI.

Sacra facit vates; sint ora faventia sacris,
  Et cadat ante meos icta juvenca focos.
Cera Philetaeis certet Romana corumbis,
  Et Cyrenaeas urna ministret aquas.
Costum molle date et blandi mihi turis honores,
  Terque focum circa laneus orbis eat.
Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
  Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes; alio sint aëre noxae:
  Pura novum vati laurea mollit iter.
Musa, Palatini referemus Apollinis aedem;
  Res est, Calliope, digna favore tuo.
Caesaris in nomen ducuntur carmina: Caesar
  Dum canitur, quaeso, Juppiter ipse vaces.
Est, Phoebi fugiens Athamana ad litora portus,
  Qua sinus Ioniae murmura condit aquae,

V. 3. Serta — certent. 8. cadis. 11. referamus.

mum est, noster cum Palatino papyraceo et Commeliniano.

VI.

3. SERTA PHILETAEIS CERTENT] Libri manu exarati:

CERA Philippeis CERTET *Romana corymbis.*

Sed *Philetaeis* correxit verissime Antonius Volscus. *Cera*, ni fallor, mutari a Scaligero non debuit. Tabulam ceratam dicit, in qua scribebat. Per hoc carmen autem Philetae se coronam erepturum sperat. Versu 8. scribo *Cadis* littera initiali majore. Monuit Scaliger, quem Broukhusius recte secutus est.

11. REFERAMUS APOLLINIS AEDEM] Codices, ut videtur, omnes et impressi ante Beroaldum *referemus*. Recte:

Musa, Palatini REFEREMUS *Apollinis aedem;*
Res est, Calliope, digna favore tuo.

Canet Propertius: Musae favorem sibi expetit. Nec repugnant sequentia:

Caesaris in nomen ducuntur *carmina*,

quia in honorem Caesaris canere jam coepit. Simile est illud eleg. XI, 27.

Ipsa loquor *pro me*,

quod nec ipsum tentari debuit. Caeterum hoc quoque carmen Propertium Dierum vel Fastorum operi inserere voluisse su-

Actia Iüleae pelagus monumenta carinae,
Nautarum votis non operosa via.
Huc mundi coïere manus; stetit aequore moles
Pinea, nec remis aequa favebat avis.
Altera classis erat Teucro damnata Quirino,
Pilaque feminea turpiter acta manu:

V. 21. tenero. 22. apta.

spicor, quod in primis versus 67. confirmat, ultimo carminis decimi simillimus. Male certe Burmannus hic tentat, *Reseramus Apollinis aedem*, quod nec Musae neque Propertio convenit.

17. ACTIA IÜLEAE PELAGUS] Marklandus admodum ingeniose *Leucas* pro *pelagus* scribit: alia ád Horatium Carolus Fea tentasse fertur. Sed nihil opus. Nam quid illis rectius?

> Est, *Phoebi fugiens Athamana* ad litora portûs,
> *Qua sinus Ioniae murmura condit aquae,*
> *Actia Iüleae* pelagus *monumenta carinae,*
> *Nautarum votis non operosa via.*

Una res viros doctos non videtur advertisse, *litora portus* jungenda esse. Sic Apollonius Rhodius I, 559.

> *Ἀλλ' ὅτε δὴ λιμένος περιηγέα κάλλιπον ἀκτήν.*

Propertius IV, 21, 23.

> *Inde ubi Piraei capient me* litora portus.

Catullus LXIV, 74.

> *Egressus curvis e* litoribus Piraei.

Lucanus IV, 586.

> *Inter semirutas magnae Carthaginis arces*
> *Et Clupeam tenuit* stationis litora *notae.*

Pulchre autem *pelagus ad litora fugere* dicitur, quod facit sinum. Valerius Flaccus II, 366.

> *Insequitur niger et magnis cum fluctibus Eurus*
> *Intonat Aegaeo,* tenditque ad litora pontus.

21. TENERO DAMNATA QUIRINO] Hanc lectionem Beroaldus non primum commentus est, quam dederant ante eum Joannes Calphurnius et Antonius Volscus. Non impugno: sed non deteriorem scripturam libri omnes exhibent hanc:

> *Altera classis erat* TEUCRO *damnata Quirino,*
> *Pilaque feminea turpiter* ACTA *manu.*

Antonii classis et Cleopatrae arma divo Quirino ab Augusti partibus stanti damnata erant. Sic intellige, non Augustum pro Quirino. Contra Augustus habet postea *plena Jovis omine vela.* Horatius carm. III, 3, 23.

> Ilion, Ilion
> *Fatalis incestusque jud*

Hinc Augusta ratis plenis Jovis omine velis,
  Signaque jam patriae vincere docta suae.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus,
  Armorum et radiis picta tremebat aqua,
Cum Phoebus, linquens stantem se vindice Delon, —
  Nam tulit iratos mobilis ante Notos —
Astitit Augusti puppim super, et nova flamma
  Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille adtulerat crinis in colla solutos,
  Aut testudineae carmen inerme lyrae:
Sed quali aspexit Pelopeum Agamemnona voltu,
  Egessitque avidis Dorica castra rogis,
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbis
  Serpentem, inbelles quem timuere lyrae.
Mox ait: O longa mundi servator ab Alba,
  Auguste, Hectoreis cognite major avis,

V. 26. Armorum radiis. 29. puppem,

Et mulier peregrina vertit
In pulverem, ex quo destituit
deos
Mercede pacta Laomedon,
mihi
Castaeque damnatum Minervae
Cum populo et duce fraudulento.

Silius IV, 229.

Ibant in Martem terrae dominantis alumni,
Damnati superis, *nec jam reditura juventus.*

Caeterum mirabile est Burmannum in codice Leidensi primo *Teucro Quirino* legi narrare, e Menteliano autem, qui idem liber est, enotare *tauero damnata Perino,* in quibus an Perilli taurus ex III, 18, 12. huc translatus lateat ignoro: verum in eis latere, de quo Burmannus non dubitabat, pernego. Sed in versu minore difficilis structura est. *Acta* pro *apta* praebet Groninganus cum aliis nonnullis; idque verum est:

Pilaque feminea turpiter
ACTA *manu.*

26. ARMORUM RADIIS] Ita Groninganus cum paucis aliis: sed plerique cum Menteliano et nostro *Armorum* ET *radiis.* Broukhusius quidem, *Venustius sane,* inquit, *abest,* et *rotundius:* sed orationis structura suavior est et facilior, quia sequitur *Cum Phoebus.* Tum pulchre in hoc versu corrigunt:

Armorum et radiis icta *tremebat aqua.*

Vince mari: jam terra tua est; tibi militat arcus,
Et favet ex humeris hoc onus omne meis.
Solve metu patriam, quae nunc te vindice freta
Inposuit prorae publica vota tuae.
Quam nisi defendes, murorum Romulus auctor
Ire Palatinas non bene vidit aves.
Et nimium remis audent, pro, turpe Latinis;
Principe te, fluctus regia vela pati!
Nec te, quod classis centenis remiget alis,
Terreat: invito labitur illa mari;

V. 43. augur. 45. proh turpe, Latinis, 47. remigat.

Sed quidni *picta?* Audacius Varro apud Nonium VI, 16.

Cum pictus aër *fervidis late* ignibus
Caeli choreas astricas ostenderet.

Porro versu 28. videtur verum:

Nam tulit iratos mobilis ante Notos.

In quo *ante* est ab Lipsio: scripti habent *unda.* Versu autem 29. PUPPIM scribendum est optimorum codicum auctoritate.

43. MURORUM ROMULUS AUGUR] *Murorum* AUCTOR vel repugnantibus librariis scribendum esse multis docet ad Horatium Bentlejus. Hoc quod unus codex Regius confirmat, nihil facit ad veritatem. Noli mirari, Lector, quod tam pauca hic tantaque cum brevitate singula notamus: omnia, quae ad rem nostram spectabant, ab aliis praerepta erant in hac elegia maxime. Supra versu 36. ne muta:

imbelles quem timuere lyrae.

Statius Theb. VII, 630.

dum Marte propinquo
Horrent *Tyrrhenos* Heliconia plectra *tumultus.*

Plectrum imbelle Ovidio metam. V, 114.

Cui procul astanti plectrumque imbelle *tenenti.*

45. ET NIMIUM REMIS AUDENT, PROH TURPE, LATINIS, PRINCIPE TE, FLUCTUS REGIA VELA PATI] Magno molimine hic rem gerit Marklandus, scribendo:

En! *nimium remis audent! proh turpe*, Latinos,
Principe te, fluctus regia vela pati.

At quam bene mutanda interpunctione lux sua his versibus reddi poterat! Distingue:

Et nimium remis audent, pro, turpe Latinis.
Principe te, fluctus regia vela pati!

Caeterum scripti habent *prope turpe:* recte reposuit *pro* Scaliger et ante eum Itali in duobus Vaticanis et in Perreji libro; quin et Puccii liber id exhibuisse fertur.

47. CENTENIS REMIGAT ALIS]

Quodque vehunt prorae Centaurica saxa minantis:
Tigna cava et pictos experiere metus.
Frangit et adtollit vires in milite causa;
Quae nisi justa subest, excutit arma pudor.
Tempus adest; conmitte rates. ego temporis auctor
Ducam laurigera Julia rostra manu.
Dixerat, et pharetrae pondus consumit in arcus;
Proxima post arcus Caesaris hasta fuit.
Vincit Roma fide Phoebi; dat femina poenas;
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.

V. 49. Centauros. 56. furit.

Non sunt tanti apud me Leidensis secundus et Vossianus tertius, ut hos solos sequi velim. Caeteri omnes REMIGET, quod tuemur ad librum I, 2, 9. Paullo post:

invito *labitur illa mari.*

Et multo labitur Groninganus cum Menteliano, Guarneriano et aliis. Sed *invito* noster, quod verissimum est. Ovidius epist. XIII, 125.

Hoc quoque, quod venti prohibent exire carinas,
Me movet: invitis *ire paratis* aquis.

Idem epist. XVIII, 193.

Sit tumidum paucis etiam nunc noctibus aequor,
Ire per invitas *experiemur* aquas.

Auctor Octaviae 41.

paruit liber diu
Oceanus *et recepit* invitus *rates.*

Propertius I, 18, 13.

Ah pereat, quicumque rates et vela paravit
Primo, et invito *gurgite fecit iter.*

Libro IV 6 52.

Et miserum invita *traxit hiatus* aqua.

Caeterum hoc refer ad aliud, quod praecesserat:

Principe te, fluctus regia vela pati!

Nam Burmannus ne locum caperet, elegans, ut ait, gravitas loci Virgiliani Aen. VIII, 691. effecit, hoc est, studium inane conferendis aliorum poëtarum locis sententiarum vincula nexusque indagandi.

49. CENTAUROS SAXA MINANTES] Guyeti commentum. Scriptorum lectio non deterior est, si recte intelligatur:

Quodque vehunt prorae CENTAURICA *saxa minantis,*

vel *minantes.* Figuras pictas dicit Centaurica saxa minantes. Sed Broukhusius contra codicum fidem, quorum plerique *minantis* exhibent, junxerat *prorae minantes*, quas recte notat *minaces* certe dicendas fuisse.

56. HASTA FURIT] Sic Broukhusius ex emendatione Guyeti et Heinsii. Nempe critici poë-

At pater Idalio miratur Caesar ab astro;
Tum deus: En nostri sanguinis ista fides.
Prosequitur cantu Triton, omnesque marinae
Plauserunt circa libera signa deae.
Illa petit Nilum cumba male nixa fugaci,
Hoc unum, jusso non moritura die.
Di melius! quantus mulier foret una triumphus,
Ductus erat per quas ante Jugurtha vias!
Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod ejus
Una decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini: citharam jam poscit Apollo
Victor, et ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant convivia luco,
Blandae utrimque fluant per mea colla rosae

V. 59. miratus. 60. Sum. 72. Blanditaeque.

tas ubique aut furere aut magna verba aut elegantias effundere volunt. Liceat, quaeso, Propertio nostro ita loqui, ut eum locutum esse libri veteres testantur:

Proxima post arcus Caesaris hasta FUIT.

59. AT PATER IDALIO MIRATUS CAESAR AB ASTRO, SUM DEUS, EN NOSTRI SANGUINIS ISTA FIDES] Repone:

At pater Idalio MIRATUR *Caesar ab astro.*
TUM *deus: En nostri sanguinis ista fides.*

Miratur scripti, ni fallor, omnes et impressi ante Muretum. Deum autem sese esse inepte nimis hic affirmabat Caesar, cum illud esset potius agendum, Augustum esse veram et dignam patre Caesare prolem.

72. BLANDITAEQUE FLUANT PER MEA COLLA ROSAE] Perquam infelix Scaligeri emendatio *Blanditaeque.* Scriptorum lectionem *Blanditiaeque* frustra tueberis; nam *blanditias rosae* quis dixit aut quis intelligit? Viri docti rosas *Blandusias* et *Blandinas* comminiscuntur, de quibus nihil constat. Lego:

BLANDAE UTRIMQUE *fluant per mea colla rosae.*

Ovidius metamorph. IX, 90.

Una ministrarum fusis utrimque capillis
Incessit.

Idem metamorph. VI, 168.

movensque decoro
Cum capite immissos humerum per utrumque capillos.

Scriptum erat *Blandutnq.* ex more: inde factum *Blanditiaeque.* In versu superiore malunt viri docti *Subeam convivia,* quod dubito an Latinum sit,

Vinaque fundantur praelis elisa Falernis
  Terque lavet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis inritet Musa poëtis;
  Bacche, soles Phoebo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sicambros:
  Cepheam hic Meroën fuscaque regna canat.
Hic referat sero confessum foedere Parthum;
  Reddat signa Remi: mox dabit ipse sua.
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
  Differat in pueros ista tropaea suos.
Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas;
  Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
  Injiciat radios in mea vina dies.

VII.

Sunt aliquid Manes; letum non omnia finit;
  Luridaque evictos effugit umbra rogos.

V. 75. irritat.

quamquam *ineuntur convivia.* Ovidius fast. IV, 353.

Cur vicibus factis ineant convivia, *quaero.*

Valerius Flaccus IV, 760.

Festa dehinc mediis ineunt convivia *tectis,*
Communesque vocant superos.

Sed recte *Subeant convivia luco.* Statius silv. III, 1, 77.

Diffugimus, festasque dapes redimitaque vina
Abripiunt famuli; nec quo convivia migrent,
— — *instantes sed proxima quaerere nimbi*
Suadebant.

75 INGENIUM POTIS IRRITAT MUSA POETIS] Sciro velim, cur haec esse γνώμην voluerint Scaliger et Livinejus, quove nomine displicere possit, quod scripti omnes habent, IRRITET. Hoc revocamus. Sed *Potis* egregie Itali, cum in scriptis veterioribus esset *Positis.* Idem vitium apud Ovidium art amat. I, 231. viros doctos fefellit. Illic scribe:

Dant etiam positis aditum convivia mensis;
Est aliquid praeter vina quod inde petas.
Saepe illic poti *teneris adducta lacertis*
Purpureus Bacchi cornua pressit Amor.

non *positi Bacchi*, quod ridiculum; et *positae mensae* praecesserant.

Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
  Murmur ad extremae nuper humata viae,
Cum mihi somnus ab exsequiis penderet amoris,
  Et quererer lecti frigida regna mei.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
  Eosdem oculos; lateri vestis adusta fuit;
Et solitum digito beryllon adederat ignis,
  Summaque Lethaeus triverat ora liquor.
Spirantisque animos et vocem misit: at illi
  Pollicibus fragiles increpuere manus:
Perfide, nec cuiquam melior sperande puellae,
  In te jam vires somnus habere potest?
Jamne tibi exciderunt vigilacis furta Suburae,
  Et mea nocturnis trita fenestra dolis?
Per quam demisso quotiens tibi fune pependi,
  Alterna veniens in tua colla manu!
Saepe Venus trivio conmissa, et pectore mixto
  Fecerunt tepidas pallia nostra vias.
Nec crepuit fissa me propter arundine custos,
  Laesit et objectum tegula curta caput.

V. 5. amaris. 9. solitam.

VII.

5. QUUM MIHI SOMNUS AB EXSEQUIIS PENDERET AMARIS] Vide quantum deceperit Burmannum error typographi Broukhusiani. Scilicet in textu Broukhusii *amaris* legitur, ita conjecisse Livinejum narratur in nota. Sed exempla, quibus Livineji conjecturam firmat, ad aliam lectionem pertinent, *somnus amarus*, eaque ipsa est Livineji emendatio. Haec et nobis valde probatur, *exsequiis amaris* non item. Sed codicum scripturam non audeo rejicere:

Cum mihi somnus ab exsequiis penderet AMORIS.

Libro I, 18, 20.

Illic si qua meum sepelissent fata dolorem,
Ultimus et posito *staret* amore *lapis.*

Theocritus XXIII, 43.

Χῶμα δέ μοι κοῖλανον, ὅ μευ κρύψει τὸν ἔρωτα.

9. ET SOLITAM] Scripti SOLITUM *beryllon.* Frustra *Solitam* maluit Heinsius, dedit Broukhusius. Utrumque enim recte habet.

21. NEC CREPUIT FISSA] Hoc distichon, quod in codi-

Foederis heu taciti! cujus fallacia verba
Non audituri diripuere Noti.
At mihi non oculos quisquam inclinavit euntis.
Unum inpetrassem, te revocante, diem.
Denique quis nostro furvum te funere vidit?
Atram quis lacrimis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere, at illuc
Jussisses, lectum lentius ire meum.
Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
Cur nardo flammae non oluere meae?
Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos
Injicere, et fracto busta piare cado.
Lygdamus uratur, candescat lamina vernae; —
Sensi ego, cum insidiis pallida vina bibi —;

V. 29. illud. 35—38. *apud Burm.* 43—46.

cibus ante versum 27. legitur, recte huc revocari existimo, quamquam incerta res est, nec fortasse ex iis, quae nobis restant, veteris aevi reliquiis explicanda.

27. FURVUM] Vere, ut videtur, Passeratius et Heinsius. Certe *curvum* qui aliter quam inepte explicaret, neminem vidi.

29. AT ILLUD JUSSISSES] Non debuit mutare Muretus, contra librorum consensum, qui habent ILLUC. Quantillum autem *ille* et *illic* differunt!

35. LYGDAMUS URATUR] Huc isti versiculi revocandi sunt, quos Scaliger contra codicum fidem alio transtulit. Sed ita scribe:

Lygdamus uratur, candescat lamina vernae; —
Sensi ego, cum insidiis pallida vina bibi —;

AT *Nomas arcanas tollat versuta salivas:*
DICET *damnatas ignea testa manus.*

At Nomas Groninganus cum aliis nonnullis, *Dicet* omnes. De sensu tertii versus Burmannum vide, confuse tamen ac moleste, ut fere solet, disputantem. Bene autem *Salivas* impressi: scripti plerique *Salinas*. Caeterum *damnatae manus* scelestae sunt. Petronius: *Fulminatus hac pronuntiatione, sicut eram, sine gladio in lectulum decidi, et attulissem mihi* damnatas manus, *si non inimici victoriae invidissem.* Silius IX, 126.

Parce precor dextrae, non ut mihi vita supersit;
Quippe nefas hac velle frui; sed sanguine nostro
Ne damnes, *o nate,* manus.

At Nomas arcanas tollat versuta salivas:
Dicet damnatas ignea testa manus.
Quae modo per vilis inspecta est publica noctis,
Haec nunc aurata cyclade signat humum,
Et graviora rependit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est:
Nostraque quod Petale tulit ad monumenta coronas,
Codicis inmundi vincula sentit anus.
Caeditur et Lalage tortis suspensa capillis,
Per nomen quoniam est ausa rogare meum.
Te patiente meae conflavit imaginis aurum,
Ardenti e nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector, quamvis mereare, Properti;
Longa mea in libris regna fuere tuis.
Juro ego Fatorum nulli revolubile carmen,
Tergeminusque canis sic mihi molle sonet,
Me servasse fidem. si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis et super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
Turbaque diversa remigat omnis aqua.

V. 37. (45.) Aut. 38. (46.) Ducet. 39—46. *Burm.* 35—42. 48. Ardeat. 51. stamen.

48. ARDEAT E NOSTRO DOTEM HABITURA ROGO] A Scaligero est lectio mira, nec Latina fortasse. Libri plerique, *Ardent e nostro*. Repone ex Groningano:

ARDENTI *e nostro dotem*
habitura rogo.

Tibullus II, 4, 46.

At bona quae nec avara fuit, centum licet annos
Vixerit, ardentem *flebitur ante* rogum.

Silius Italicus II, 424.

Ardentemque rogum *media spectabat ab unda.*

51. FATORUM NULLI REVOLUBILE STAMEN] Ita Passeratii codex et unus Heinsii, haud dubie de Italorum conjectura. Groninganus *revocabile carmen.* Sed verum est, quod plerique habent:

Juro ego Fatorum nulli revolubile CARMEN.

Valerius Flaccus III, 408.

Ensifer hic atraque sedens in veste Celeneus
Insontes errore luit, culpamque remittens
Carmina *turbatos* volvit *placantia Manes.*

Una Clytaemnestrae stuprum vehit, ac rate Cressae
Portat mentitae lignea monstra bovis.
Ecce, coronato pars altera vecta phaselo,
Mulcet ubi Elysias aura beata rosas,
Qua numerosa fides, quaque aera rotunda Cybebes,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris.

V. 57. unaque.

Statius silv. III, 5, 185.

cui Chalcidicum fas volvere carmen,
Lanea cui Phrygii est coma fluminis.

57. UNAQUE CRESSAE] Sic de Livineji emendatione Broukhusius. Libri veteres *Altera Cressae*, contra sensum loci. Sed de structura orationis laboro. Nam in his:

Una *Clytaemnestrae stuprum vehit*, unaque *Cressae*
Portat mentitae lignea monstra bovis,

quod interpretibus *unam navem* intelligere placet, quis probet, cum de nave nihil dictum sit? Dicta autem haec erant:

Nam gemina *est* sedes *turpem* sortita *per amnem*,
Turbaque diversa remigat omnis aqua.

quae neque ipsa satis clara sunt, nisi quod *sortita sedes* (*Quaesita* enim ex Groningano nolim) quin passivo dicatur, non dubito, de quo usu Forcellinium vide in Latinitatis lexico. Nam si geminam turbam sedes sortitam esse intelligere velles, ut apud Valerium Flaccum II, 483. *sortitaque Lethen Corpora*, deberet esse:, *Turba*, *et*, non *Turbaque*. Burmannus geminam sedem indicari vult, quae in cymba Charontis vectoribus assignetur; quod quomodo ex sequentibus manifestum esse contendat, non capio. Malim igitur intelligere geminam, piorum et impiorum, sedem ad amnis inferi litora; quia duas rates esse, quibus animae ad sedes suas vehantur, in sequentibus aperte dicit. Tum vero ex illis,

Turbaque diversa *remigat omnis* aqua,

proximum versum explico: Una aqua Clytaemnestram Pasiphaënque et harum similes ad sedem sceleratam portat: altera turba coronato phaselo ad campos Elysios vehitur. Hoc sententiarum filum secuti facile reperiemus, quod ad codicum scripturam *Altera* propius, quam *Unaque* Livineji accedat. Repono:

Una Clytaemnestrae stuprum vehit, AC RATE *Cressae*
Portat mentitae lignea monstra bovis.

Aqua Clytaemnestram *vehit* ac *portat* rate Pasiphaën. Ovidius art. amat. III, 386.

Andromedeque et Hypermnestre sine fraude maritae
Narrant, historiae pectora nota suae.
Haec sua maternis queritur livere catenis
Brachia, nec meritas frigida saxa manus.
Narrat Hypermnestre magnum ausas esse sorores:
In scelus hoc animum non valuisse suum.
Sic mortis lacrimis vitae sanamus amores.
Celo ego perfidiae crimina multa tuae.
Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris,
Si te non totum Doridos herba tenet.
Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
Parthenie. patuit, nec tibi avara fuit.
Deliciaeque meae Latris, cui nomen ab usu est,
Ne speculum dominae porrigat illa novae.
Et quoscumque meo fecisti nomine versus,
Ure mihi: laudes desine habere meas.
Pelle hederam tumulo, mihi quae pugnante corymbo
Mollia contortis adligat ossa comis.

V. 64. Narrant historiae.

Nec vos *Campus habet, nec vos gelidissima Virgo,*
Nec Tuscus placida devehit amnis *aqua.*

Idem epist. V, 90.

Denique tutus amor meus est tibi. nulla parantur
Bella, nec ultrices advehit unda rates.

Valerius Flaccus operis initio:

— *Caledonius postquam tua* carbasa vexit
Oceanus.

63. ANDROMEDEQUE ET HYPERMNESTRE SINE FRAUDE MARITAE NARRANT HISTORIAE PECTORA NOTA SUAE] Haec ita scripta non facile intelligentur. *Pignora nota* vult Livinejus, *historias suas* Marklandus. Quid vero, si melius distinguendo rem confi imus? Scribe:

Andromedeque et Hypermnestre sine fraude maritae
Narrant, historiae pectora nota suae.

Andromedam et Hypermnestram pectora historiae suae nota appellat. *Nota historiae suae* non raro apud poëtas loquendi modo. *Pectora cara, junctissima, fortissima,* passim. Porro *maritae narrant,* maritas se narrant. Hoc quoque vulgare. Ovidius proxime ad nostrum, metam. X, 54:

superata fateri
Cogor, opemque tuam timidis exposcere votis.

Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis,
  Et numquam Herculeo numine pallet ebur,
Hic carmen media dignum me scribe columna,
  Sed breve, quod currens vector ab urbe legat:
HIC TIBURTINA JACET AUREA CYNTHIA TERRA.
  ACCESSIT RIPAE LAUS, ANIENE, TUAE.
Nec tu sperne piis venientia somnia portis.
  Cum pia venerunt somnia, pondus habent.
Nocte vagae ferimur; nox clausas liberat umbras;
  Errat et abjecta Cerberus ipse sera.
Luce jubent leges Lethaea ad stagna reverti.
  Nos vehimur: vectum nauta recenset onus.
Nunc te possideant aliae: mox sola tenebo;
  Mecum eris, et mixtis ossibus ossa teram.
Haec postquam querula mecum sub lite peregit,
  Inter conplexus excidit umbra meos.

VIII.

Disce, quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
  Cum vicina novis turba cucurrit agris.
Lanuvium annosi vetus est tutela draconis,
  Hic ubi tam rarae non perit hora morae,

V. 83. Hoc.

Ante, in disticho proximo, recte a viris doctis repositum est, *Atque aera rotunda Cybebes*, a qua lectione optimi codices una tantum littera abeunt, *qua quaerar ut unda* exhibentes.

84. POMOSIS ANIO] Pulcherrime restituit Broukhusius. Scripti: *Ramosis Anio qua spumifer*.

83. HOC CARMEN] Scribe HIC ex Groningano, Neapol. Mentel. Guarner. Bonon. et aliis. Si *hoc carmen* volebat ponere, tum postulabat sensus: hoc breve carmen, sed me dignum. Tum *Hic Tiburtina jacet* omnino vera lectio est, quam a Mureto repositam existimo. Nam scripti omnes in hoc versu corrupti sunt.

Qua sacer abripitur caeco descensus hiatu,
  Qua penetrat (virgo, tale iter omne cave)
Jejuni serpentis honos, cum pabula poscit
  Annua et ex ima sibila torquet humo.
Talia demissae pallent ad sacra puellae,
  Cum tremere anguino creditur ore manus.
Ille sibi admotas a virgine corripit escas:
  Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castae, redeunt in colla parentum;
  Clamantque agricolae: Fertilis annus erit.

V. 6. penetral, 10. tenera.

VIII.

6. QUA PENETRAL, (VIRGO] Hoc Scaligeri commento admisso sequentia *Jejuni serpentis honos* non habent, quo referantur; quamquam fatendum est, neque hoc carmen esse elaboratum: et erat sane majore cura indignum. Omnium librorum auctoritate repone:

Qua sacer abripitur caeco descensus hiatu,
Qua PENETRAT *(virgo, tale iter omne cave)*
Jejuni serpentis honos, cum pabula poscit
Annua et ex ima sibila torquet humo.

Qua penetrat, ubi per caecum hiatum insinuatur *jejuni serpentis honos*, hoc est, canistra cibis plena ejus honori data.

10. QUUM TENERA ANGUINO CREDITUR ORE MANUS] Hoc quoque Scaliger reposuit ex libro suo, in quem ex Itali alicuius emendatione venerat. Quod boni libri omnes habent, non est deterius:

Cum tremere *anguino creditur ore manus.*

In utraque scriptura *ore* pro *ori* est, qualia apud Propertium permulta agnoscunt interpretes, licentiam Ennio fortasse aut Lucilio concessam aevo Augusteo male tribuentes. Apposuimus loca Propertii pleraque, quae ita interpretando corruperunt. I, 4, 22.

heu nullo limine *carus eris,*

id est, nulla domo. I, 8, 22.

Quin ego, vita, tuo limine *vera querar.*

De eo loco multa diximus. I, 19, 12.

non altera nostro
Limine *formosos intulit ulla pedes.*

Nulla nobis pedes per limen nostrum, h. e. superato limine, intulit. III, 10, 4.

Turpis Romano Belgicus ore *color.*

Nempe vulgo diceretur *in ore.* IV, 5, 20.

Est poenae servo rumpere teste *fidem.*

Huc mea detonsis avecta est Cynthia mannis:
  Causa fuit Juno, sed mage causa Venus.
Appia dic, quaeso, quantum te teste triumphum
  Egerit, effusis per tua saxa rotis,
Turpis in arcana sonuit cum rixa taberna;
  Si sine me, famae non sine labe meae.
Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit,
  Ausa per inpuros frena movere locos.
Serica nam taceo volsi carpenta nepotis,
  Atque armillatos colla Molossa canes,
Qui dabit inmundae venalia fata saginae,
  Vincet ubi erasas barba pudenda genas.
Cum fieret nostro totiens injuria lecto,
  Mutato volui castra movere toro.
Phyllis Aventinae quaedam est vicina Dianae,
  Sobria grata parum: cum bibit, omne decet.
Altera Tarpejos est inter Teïa lucos,
  Candida: sed potae non satis unus erit.
His ego constitui noctem lenire vocatis,
  Et Venére ignota furta novare mea.

Fidem, cui servus testis fuit. IV, 5, 24.

Si placet, insultet, Lygdame, morte meae.

Ita legit Scaliger: sed poëta dicit: *insultet mihi morte mea.* IV, 10, 36.

Una Philippeo sanguine inusta nota.

Dictum ibi. V, 7, 77.

Et quoscumque meo fecisti nomine versus.

Expositum ad librum III, 5, 26. Non est igitur, ut hoc in loco *ore* pro casu tertio accipiamus et Propertio potius, quam librariis, errorem ascribamus. Recte, ut puto, Heinsianus, Vossianus quartus, D'Orvillianus secundus et alii:

Cum TREMERE *anguino creditur ore manus,*

quod et ipsum haud dubie a docto aliquo Italo venit.

15. DETONSIS MANNIS] Scripti *ab annis:* Beroaldus correxit, a quo est etiam versu 23. *Serica nam taceo.* Hoc non est verum: si quis alius felicior verius quid ex monstrosis codicum scripturis eruerit, non invidebo, qui tempus aliis rebus utilius impendendum in hoc carmine emaculando non terere deverim. Post versu 28. *Multato* vel *Mutato vo-*

Unus erat tribus in secreta lectulus herba;
Quaeris concubitus? inter utramque fui.
Lygdamus ad cyathos, vitrique aestiva supellex,
Et Methymnaei Graja saliva meri.
Nilotes tibicen erat, crotalistria Phyllis,
Et facilis spargi munda sine arte rosa.
Nanus et ipse suos breviter concretus in artus
Jactabat truncas ad cava buxa manus.
Sed neque suppletis constabat flamma lucernis,
Recidit inque suos mensa supina pedes.
Me quoque per talos Venerem quaerente secundos,
Semper damnosi subsiluere canes.
Cantabant surdo, nudabant pectora caeco:
Lanuvii ad portas, hei mihi, solus eram;
Cum subito rauci sonuerunt cardine postes,
Et levia ad primos murmura facta Laris.
Nec mora, cum totas resupinat Cynthia valvas,
Non operosa comis, sed furibunda decens.
Pocula mi digitos inter cecidere remissos,
Palluerantque ipso labra soluta mero.

V. 52. comas. 54. Palluerunt.

luit scripti: *volui* idem Beroaldus. Porro v. 37. *utrique* codices, quod correxit Scaliger: versu proximo *Graja* fecit ex *Graeca* et *grata* Palmerius. *Nilotes* autem in 39. Scaliger reposuit pro *Nile tuus*; neque in ullo bono libro *crotalistria*, sed varia verborum portenta. Ibidem *Phyllis* non videtur verum: Burmannus probabiliter corrigit *Phidis*. Versu sequente 41. *Magnus* in scriptis, unde recte factum *Nanus* a Beroaldo. Sed jam fere piget nos instituti nostri omnia, quae contra codicum fidem recepta sunt, enotandi: perficiemus tamen victo taedio etiam inviti.

52. NON OPEROSA COMAS] Ita Broukhusius, Graecismi studio. Libri scripti COMIS, nec rejicio. Ovidius fast. III, 465.

Interea Liber depexos crinibus Indos Vincit.

metamorph. IV, 261.

Sedit humo nuda nudis incomta capillis.

Paullo ante Burmannus:

Nec *levia ad primos murmura facta Lares.*

Et levia retinemus, ut Cynthia, quid suspicaretur quidque faciendum esset, comitibus insusurraverit.

54. PALLUERUNT IPSO] Co-

Fulminat illa oculis, et, quantum femina, saevit:
Spectaclum capta nec minus urbe fuit.
Phyllidos iratos in voltum conjicit ignis;
Territa vicinas Teïa clamat aquas.
Lumina sopitos turbant elata Quirites,
Omnis et insana semita nocte sonat.
Illas direptisque comis tunicisque solutis
Excipit obscurae prima taberna viae.
Cynthia gaudet in exuviis, victrixque recurrit,
Et mea perversa sauciat ora manu,
Inponitque notam collo, morsuque cruentat,
Praecipueque oculos, qui meruere, ferit.
Atque ubi jam nostris lassavit brachia plagis,
Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens
Eruitur, geniumque meum prostratus adorat.
Lygdame, nil potui: tecum ego captus eram.
Supplicibus palmis tum demum ad foedera veni,
Cum vix tangendos praebuit illa pedes,
Atque ait: Admissae si vis me ignoscere culpae,
Accipe, quae nostrae formula legis erit.
Tu neque Pompeja spatiabere cultus in umbra,
Nec cum lascivum sternet arena forum.
Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum,
Aut lectica tuae sidat operta morae.
Lygdamus in primis, omnis mihi causa querelae,
Veneat et pedibus vincula bina trahat.
Indixit leges. respondi ego: Legibus utar.
Riserat inperio facta superba dato.

V. 69. Exuitur. 81. respondi, Ego l. u.

dices scripti PALLUERANTQUE; recte. Labra jam palluerant ante, quam pocula exciderent manibus.

69. EXUITUR] Haud dubie vera lectio codicis Neapolitani ERUITUR. Sed *protractus* ex eodem libro non accipiendum duco.

78. SIDAT OPERTA] Plerique libri habent *Sudet*, *Sidet* Neapolitanus. *Aperta* idem et Bononiensis: *operta* est in Guarneriano. *Operta* scribas

Dein, quemcunque locum externae tetigere puellae,
Suffiit, et pura limina tergit aqua,
Inperat et totas iterum mutare lacernas;
Terque meum tetigit sulfuris igne caput.
Atque ita, mutato per singula pallia ecto,
Et sponda et toto solvimus arma toro.

IX.

Amphitryoniades qua tempestate juvencos
Egerat a stabulis, o Erythea, tuis,
Venit ad eductos pecorosa Palatia montis,
Et statuit fessos, fessus et ipse, boves,
Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes: furto polluit ille Jovem.

V. 88. movimus. 3. invictos nemorosa.

an *aperta*, nihil interest. Puellae vehebantur in operta lectica, quae aperitur, cum deposita est ad colloquendum.

84. SUFFIIT] Verissime Beroaldus. Vicentiae impressum est *Suffocat*, bis ab Antonio Volsco editum *Sufficit*. Codicum scripturas apud alios vide. Neapolitanus: *Sufficat*. *pura*, non *Sufficat et*.

88. ET SPONDA ET TOTO MOVIMUS ARMA TORO] Nicolai Heinsii felicissimam, ut appellat, restitutionem exosculari sese Broukhusius scribit. Non pudebat igitur rei obscenae impudica verba addidisse? Praeterea *sponda* et *torus* otiose copulantur, cum alterutrum sufficiat. Codices scripti:

Respondi, *et toto* solvimus
arma toro.

Vitiose quidem *Respondi*, quod corrigat cui libuerit: sed recte, puto, SOLVIMUS *arma*, quamquam Broukhusio non videatur Latinum esse. Propertium certe hoc minus proprium loquendi genus non dedecet, translatum illud a *solvendis bellis* et *jurgiis* et *certaminibus*.

3. VENIT AD INVICTOS NEMOROSA PALATIA MONTES] *Nemorosa* Broukhusius ex Heinsiano recepit: caeteri PECOROSA, quod Vulpius recte tuetur. Porro *ad invictos* impressi omnes, quod negotium facit interpretibus. Sed aliter membranae: Groninganae, *Venit et adductos*, Neapolitanae

Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora focos.
Hic, ne certa forent manifestae signa rapinae,
Aversos cauda traxit in antra boves.
Nec sine teste deo: furem sonuere juvenci;
Furis et inplacidas diruit ira fores.
Maenalio jacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus; et Alcides sic ait: Ite boves,
Herculis ite boves, nostrae labor ultime clavae,
Bis mihi quaesitae, bis mea praeda, boves;
Arvaque mugitu sancite boaria longo.
Nobile erit Romae pascua vestra forum.
Dixerat; et sicco torret sitis ora palato;
Terraque non ullas feta ministrat aquas.
Sed procul inclusas audit ridere puellas.
Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus,
Femineae loca clausa deae, fontisque piandos,
Inpune et nullis sacra retecta viris.

V. 20. erunt.

et ad victos, in adductos Mentelianae cum caeteris plerisque. Repono:

Venit ad EDUCTOS *pecorosa Palatia montes.*

Virgilius Aen. II, 460.

Turrim in praecipiti stantem summisque sub astra
Eductam *tectis.*

et Aen. VI, 630.

Cyclopum educta *caminis*
Moenia conspicio.

et Aen. XII, 674.

Turrim, conpactis trabibus quam eduxerat *ipse.*

Lucanus II, 428. de Apennino:

Longior educto *qua surgit in aëra dorso.*

Statius Theb. III, 460.

Mons erat audaci seductus *in aethera dorso.*

9. INCOLA CACUS] *Insula* habent scripti: *Incola* impressi; certe Volscus quoque in notis agnoscit, quamquam anno MCCCCLXXXVIII. in textu dederit *Insula.* Sed *Accola* volebat Johannes Schraderus. Non recte. Cacus Palatini montis *accola* fuit, *incola* Velabri; vide vers. 5. 6.

20. NOBILE ERUNT ROMAE PASCUA VESTRA FORUM] Ita interpolavit Francio auctore Broukhusius. Libri omnes ERIT, et recte quidem. Ovidius fast. I, 244.

Tantaque res paucis pascua *bubus* erat.

Devia puniceae velabant limina vittae,
Putris odorato luxerat igne casa,
Populus et longis ornabat frondibus aedem,
Multaque cantantis umbra tegebat avis.
Huc ruit in siccam congesto pulvere barbam,
Et jacit ante fores verba minora deo:
Vos precor, o luci sacro quae luditis antro,
Pandite defessis hospita fana viris.
Fontis egens erro, circaque sonantia lymphis,
Et cava suscepto flumine palma sat est.
Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
Ille ego sum; Alciden terra recepta vocat.
Quis facta Herculeae non audit fortia clavae,
Et numquam ad natas inrita tela feras,
Atque uni Stygias homini luxisse tenebras?

* * *

V. 35. circoque. 40. notas. 41. hominum.

Sic ibi meliores libri, non *erant.*

35. CIRCOQUE SONANTIA LIMPHIS] Sic Scaliger, infelici conatu. Recte Burmannus obnititur, ipse tentans; *circum antra sonantia limphis.* Nobis interim placet codices sequi consensu exhibentes:

Fontis egens erro, CIRCAQUE *sonantia lymphis.*

Aquae egentem se errare dicit, et quidem circa loca sonantia lymphis. Mire quidem, non nego, *sonantia lymphis*, nullo substantivo adjecto: sed et hoc Propertio concedatur, praesertim in hoc libro quinto. Ita tamen dicimus certe *patentia.* Caeterum superiore versu Scaliger egregie correxit *hospita fana*: scripti habent *vana* vel *vestra.*

40. ET NUMQUAM AD NOTAS IRRITA TELA FERAS] Ita Broukhusius, *Notas*; satis bene: certè melius non est, quod Itali excogitaverunt, *Vastas feras.* Sed recte veteres:

Et numquam ad NATAS *irrita tela feras.*

Quotiescumque nova monstra nascantur, sua tela irrita negat.

41. UNI STYGIAS HOMINUM] Sic impressi, sed scripti omnes:

Atque uni Stygias HOMINI *luxisse tenebras.*

Sibi uni omnium *homini*, id est, cum tamen homo esset. Sic supra IV, 17, 5.

— mortalis *dextra cum quaereret urbes.*

Huic autem versui codices subjiciunt versum huic loco

Quid, si Junoni sacrum faceretis amarae?
Non clausisset aquas ipsa noverca suas.
Sin aliquam voltusque meus setaeque leonis
Terrent et Libyco sole perusta coma,
Idem ego Sidonia feci servilia palla
Officia, et Lydo pensa diurna colu,
Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus,
Et manibus duris apta puella fui.
Talibus Alcides: at talibus alma sacerdos,
Puniceo canas stamine vincta comas:
Parce oculis, hospes, lucoque abscede verendo;
Cede agedum, et tuta limina linque fuga.
Interdicta viris metuenda lege piatur,
Quae se summota vindicat ara casa.
Magno Tiresias aspexit Pallada vates,
Fortia dum posita Gorgone membra lavat.
Di tibi dent alios fontis: haec lympha puellis
Avia secreti limitis una fluit.
Sic anus: ille humeris postes concussit opacos,
Nec tulit iratam janua clausa sitim.
At postquam exhausto jam flumine vicerat aestum,
Ponit vix siccis tristia jura labris:
Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit; haec fesso vix mihi terra patet.

V, 43. Quod si. 48. Lyda,

non aptum, qui recurrit infra 66.

43. QUOD SI JUNONI] Aptius futurum erat: Quod si vel Junoni sacrum faceretis. Pulchrior est scriptura libri Guarneriani:

QUID, *si Junoni sacrum faceretis amarae?*

quam et aliquot Italici agnoscunt. Sed mox *Sin aliquam* Mureto deberi videtur: priores cum scriptis *aliquem*.

48. LYDA—COLU] LYDO habent scripti et impressi ante Beroaldum. Hoc in locum suum redeat; vide quae diximus eleg. I, 72. Postea *Magno* versu 57. in libro vetere, hoc est, Italico, Passeratii: itaque Lipsius, praeclare; male codices *Magnam*, et versu 60. *fuit*, pro quo *fluit* legendum vidit Fruterius. Extremo carmine *Tatiae Cures* in scriptis, quod Scaliger correxit.

Maxima quae gregibus devota est Ara repertis,
  Ara per has, inquit, Maxima facta manus,
Haec nullis umquam pateat veneranda puellis,
  Herculis eximii ne sit inulta sitis.
Sancte pater salve, cui jam favet aspera Juno;
  Sancte, velis libro dexter inesse meo.
Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
  Sic Sancum Tatii conposuere Cures.

X.

Nunc Jovis incipiam causas aperire Feretri,
  Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires.
  Non juvat e facili lecta corona jugo.
Inbuis exemplum primae tu, Romule, palmae
  Hujus, et exuvio plenus ab hoste redis,
Tempore quo portas Caeninum Acronta petentem
  Victor in eversum cuspide fundis equum.
Acron Herculeus Caenina ductor ab arce,
  Roma, tuis quondam finibus horror erat.
Hic, spolia ex humeris ausus sperare Quirini,
  Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.

V. 4. ex. 6. exuviis. 11. Quirinis.

X.

4. EX FACILI] Meliores: *Non juvat* E *facili.*

6. ET EXUVIIS PLENUS] Haec scriptura, quam in exemplaribus Muretinis primum comparuisse existimo, nullam habet a libris veteribus fidem. In his autem ii sunt litterarum ductus, quibus duae paris fere bonitatis lectiones indicari potuerunt. *Eximio* Groninganus, Mentel. Guarner. alii, *Exuiuo* Neapolitanus. Quaeritur, utro modo legendum sit:

et eximio plenus ab hoste redis,

an,

et exuvio plenus ab hoste redis.

Illud Broukhusio placebat: ego hoc praestare judico, EXUVIO *plenus.* Nam hoc adjectivum *plenus* non bene hic nude poni videtur, praesertim cum victor *palma plenus* non possit dici. Praeterea summa rei in hoc non erat, ut eximius hostis, sed ut dux caederetur a duce.

11. EX HUMERIS AUSUS SPE-

Hunc videt ante cavas librantem spicula turris
  Romulus, et vot occupat ante ratis.
Juppiter, haec hodie tibi victima conruet Acron,
  Voverat: et spolium conruit ille Jovi.
Urbis virtutisque parens sic vincere suevit,
  Qui tulit aprico frigida castra Lare.
Idem eques et frenis, idem fuit aptus aratris,
  Et galea hirsutis comta lupina jubis.
Picta neque inducto fulgebat parma pyropo;
  Praebebant caesi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Vejentis caede Tolumni,
  Vincere cum Vejos posse laboris erat,
Nec dum ultra Tiberim belli sonus, ultima praeda
  Nomentum et captae jugera terna Corae.

V. 13. vibrantem. 20. hirsuta — juba. 21. nec. *Versus* 25. 26. *ante* 23. 24. *positi*. V. 26. (24.) pauca.

RARE QUIRINIS] Non tanta est libri Cujaciani auctoritas, ut Scaliger hoc ex eo recipere debuerit. Caeteri:

Hic spolia ex humeris ausus
sperare QUIRINI
Ipse dedit.

Quod si quis forte illa elegantia aegre caret, *humeris Quirinis*, soni elegantiam, qua damnum compensetur, indicabit Gellius noct. Att. VII, 20.

13. VIBRANTEM SPICULA] Libri optimi, Groninganus, Neapolitanus, Bononiensis, Guarnerianus, Palatinus prior, *Librantem spicula*. Nihil paene refert: sed LIBRANTEM magis pro rium est, cum *vibretur* hasta ab emittente. Apud Virgilium quoque Aen. XI, 607., quo loco *vibrantem* tuetur Broukhusius, Johannes Schraderus corrigebat:

hastasque reductis
Protendunt longe dextris et
spicula librant.

20. ET GALEA HIRSUTA COMTA LUPINA JUBA] Vastum litterae *a* quinquies repetitae sonum codex Groninganus tollit, HIRSUTIS JUBIS exhibendo. Quidni sequamur? Nam Broukhusius frustra sibi aures obturat, hunc sonum in cultu itidem agresti displicere posse negans.

23. NEC DUM ULTRA. 25. COSSUS AT] Horum distichorum ordo commutandus est, omnium codicum auctoritate. Rationes, quibus Passeratius Broukhusio transpositionem persuaserat, Schraderus evertit emendationum cap. IX. pag. 181.

26. JUGERA PAUCA CORAE] Hujus scripturae auctor non ex-

O Veji veteres, et vos tum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro:
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, et in vestris ossibus arva metunt.
Forte super portae dux Veïus astitit arcem,
Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
Vinea qua ductum longa tegebat opus,
Cossus ait: Forti melius concurrere campo.
Nec mora fit; plano sistit uterque gradum.
Di Latias juvere manus; desecta Tolumni
Cervix Romanos sanguine lavit equos.
Claudius Eridanum trajectos arcuit hostis,
Belgica cum vasti parma relata ducis

V. 27. Et. 34. Vineaque inductum. 40. cui.

stat, *jugera pauca.* Aliquot Italici habent *parva:* libri sinceri *jugera, terra*, quo modo librarii multos Propertii locos corruperunt duobus substantivis perperam junctis. Paullo ante v. 18. *a porco lare;* II, 10, 12. *fluviis vadis;* III, 27, 3. *pennis columbis;* IV, 2, 18. *formis rotis;* IV, 4, 18. *Parca die;* V, 5, 70. *pallia mitra;* V, 7, 36. *pallia vina.* Hic quidem Lipsius et Scaliger bene correxerunt, *jugera* TERNA. Vide Scaligerum.

27. ET VEJI VETERES ET VOS TUM] Nihil agunt, qui *et Volscûm* reponunt de Italorum conjectura: Vejos tum fuisse non dicit, sed Vejos regna fuisse. Sed particula *et* nullo cum fructu repetitur. Recte probat Schraderus codicis Groningani scripturam:

O *Veji veteres, et vos tum*
regna fuistis.

34. VINEAQUE INDUCTUM] Difficile dictu est, cuniculi cur *opus inductum* appellentur. Libri optimi Neapolitanus, Mentelianus, Bononiensis, Guarnerianus:

Vinea QUA DUCTUM *longa*
tegebat opus.

Mox recte, puto, Broukhusius et Marklandus:

—— Fortis *melius concurrere*
campo,

id est, *fortes.* At versu sequente bene editum:

— plano *sistit uterque* gradum,

quod Lipsius antiq. lect. II, 29. in vetere libro legisse testatur: caeteri *gradu. Plano* autem, ut apud Virgilium georg. II, 273.

Collibus an plano *melius sit*
ponere vitem,
Quaere prius.

39. CLAUDIUS ERIDANUM TRAJECTOS. 40. BELGICA CUI.

Virdumari, — genus hic Rheno jactabat ab ipso,
Nobilis e tectis fundere gaesa rotis —
Illi virgatis jaculanti ut ab agmine braccis
Torquis ab incisa decidit unca gula.
Nunc spolia in templo tria condita; causa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ense ducem;
Seu, quia victa suis humeris haec arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Jovis.

XI.

Desine, Paulle, meum lacrimis urguere sepulcrum;
Panditur ad nullas janua nigra preces.

V. 43. jaculantis. 47. huc.

43. ILLI VIRGATIS JACULANTIS AB AGMINE BRACCIS] Libri omnes habent *Claudius a Rheno trajectos:* Guyetus *Eridanum;* bene, opinor. Sed *Belgica* CUM *vasti* retineri potuit. Eam particulam amat Propertius. Libro IV, 6, 56.

Saxa triumphales fregere Caphareа puppes,
Naufraga cum *vasto Graecia tracta salo est.*

Libro IV, 17, 30.

Ilic olim ignaros luctus populavit Achivos,
Atridae magno cum *stetit altus amor.*

Libro V, 8, 72.

Supplicibus palmis tum demum ad foedera veni,
Cum *vix tangendos praebuit illa pedes.*

Eleg. 3, 65.

Ne precor ascensis tanti sit gloria Bactris,
Raptare odorato carbasa lina duci,
Plumbea cum *tortae spargun-tur pondera fundae,*
Subdolus et versis increpat arcus equis.

Sed in caeteris pendet oratio, nisi *illi* pro *illius* positum dicas cum Scaligero, quod quis ferat in Propertio? *Jaculanti ex agmine* fecerunt Itali, sed nos verius ita:

Belgica cum vasti parma relata ducis
Virdumari, (genus hic Rheno jactabat ab ipso,
Nobilis e tectis fundere gaesa rotis)
Illi virgatis JACULANTI UT *ab agmine braccis*
Torquis ab incisa decidit unca gula.

Nam *ab inguine* nolim scribi cum Italis: aptius jungemus, *agmen virgatis braccis.* Caeterum in *Virdumari* nomine quot modis librarii erraverint, apud alios vide, si libet.

47. HUC ARMA FEREBANT]

Cum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viae.
Te licet orantem fuscae deus audiat aulae:
Nempe tuas lacrimas litora surda bibent.
Vota movent superos: ubi portitor aera recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos.

V. 8. umbrosos.

Sic Broukhusius, frustra. Codices HAEC *arma victa*, id est, haec spolia, quae erant v. 45.

XI.

8. OBSERAT UMBROSOS LURIDA PARCA ROGOS. Laurentius Santenius in hac elegia cum tot doctissimi viri elaboraverint, vix superesse sibi, in quo ingenium experiri possit, queritur; neque injuria. Nam nullus paene versiculus est, quem non variis modis, frustra saepe et inepte, partim etiam, nec raro, ingeniose tentaverint. Sed et hic cum elegantiae quam veritati magis studerent, factum est, ut operae nostrae non multa quidem, aliqua tamen relinquerentur, interpreti vero paullo etiam plura agenda supersint. Sed cum versiculum, cui haec ascribimus, Santenius ita scriptum dedit, ut legebatur in Vossiano primo, Burmanni altero, D'Orvilliano priore, Perreji codice et duobus Vaticanis, quos omnes ab Italis interpolatos esse multis documentis jam intelleximus. Viri tamen docti, Livineji expositione, qui *rogos* pro umbris et Manibus poni contendit, ut par erat, rejecta, huic scripturae, quasi e libris optimis derivata esset, confisi, dum vitium non in medio, sed in extremo versu quaerunt, varia substituere, *umbrosos locos* vel *choros*, et *umbrosas domos* egregie sane Hemsterhusius, Marklandus autem audacior caeteris:

Obsidet umbrosos *lurida* Parca locos,

qui tamen *Obserat* servasse poterat, ut in epicedio Drusi v. 73.

Claudite *jam*, Parcae, *nimium* reserata sepulcra.

Sed haec conamina evertit scriptura codicum praeter eos, quos indicavimus, omnium, in his Groningani, Neapolitani, Menteliani, Palatinorum, Guarneriani:

Obserat HERBOSOS *lurida porta rogos*,

quam ego unice veram ajo esse: ut facilis, elegans, propria videatur dictio, non postulo. Scilicet *rogum* pro sepulcro posuit, ut et libro IV, 6, 10.

Et mater non justa piae dare debita terrae,
Nec pote cognatos inter humare rogos.

Catullum audi interpretem LXVIII, 97.

Sic maestae cecinere tubae, cum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.

Quem nunc tam longe, non inter nota sepulcra,
Nec prope cognatos compositum cineres,
Sed Troja obscena, Troja infelice sepultum
Detinet extremo terra aliena solo.

Contra *sepulcrum* pro rogo Lucanus III, 11.

Visa caput moestum per hiantes Julia terras
Tollere, et accenso *furialis stare* sepulcro.

Ne dubites, Virgilius Aen. XI, 188.

Ter circum adcensos *cincti fulgentibus armis*
Decurrere rogos.

Sed haec quidem minus mirabilia erunt *sepelire* etiam et *humare* pro *cremare* dici cogitantibus. Sed dignum observatione est, aliud etiam in hoc loco ausum esse Propertium, *rogum* vel sepulcrum pro Orco dicere. Nam ita intelligendum esse praecedentia evincunt:

Ubi portitor *aera recepit,*

inquit, hoc est, cum Charonti naulum solutum est,

Obserat herbosos lurida porta rogos.

Sed sollemne est et Propertio et aliis, *ignem* et *sepulcrum* ponere pro locis inferis. Libro III, 23, 10.

Sunt apud infernos *tot milia formosarum —*
Et quaecumque erat in numero Romana puella,
Occidit. has omnes ignis *avarus habet.*

Hic versu 2. januam videtur sepulcro tribuere:

Desine, Paulle, meum lacrimis urguere sepulcrum;
Panditur ad nullas janua *nigra preces.*

Primo versu propria significatione *sepulcrum* posuit. Alibi est *sepulcrum* pro Manibus, ut apud Catullum XCVI, 1.

Si quicquam mutis *gratum acceptumve* sepulcris
Accidere a nostro, Calve, dolore potest.

Ita enim Propertius III, 4, 41.

Sed frustra mutos *revocabis, Cynthia,* Manes.

et Catullus ipse CI, 4.

Et mutam *nequicquam alloquerer* cinerem.

et Tibullus II, 6, 34.

Et mea cum muto *fata querar* cinere.

Nam et *cinis* pro Manibus: sed et *ossa* pro iisdem aliquoties noster. Quin et tumulari umbras facit Ovidius fast. VI, 491.

Moesta Learcheas mater tumulaverat umbras.

et *sepulturam* pro statu Manium noster dicit III, 22, 66.

Ipsa, sepulturae *sorte beata tuae,*
Narrabis Semelae, quo sis formosa periclo.

Eam ipsam dicit *mortem* libro V, 7, 69.

Quid mihi conjugium Paulli, quid currus avorum
  Profuit, aut famae pignora tanta meae?
Num minus inmitis habui Cornelia Parcas?
  En sum, quod digitis quinque levatur, onus.
Damnatae noctes, et vos vada lenta paludes,
  Et quaecumque meos inplicat unda pedes,
Inmatura licet, tamen huc non noxia veni.
  Det pater hic umbrae mollia jura meae.

Sic mortis *lacrimis vitae sanamus amores,*

qui locus non videtur sollicitandus esse. Eodem pertinet, quod libro IV, 17, 31. Marcelli corpus non ad rogum, sed ad Charontem portari jubet:

At tibi, nauta, *pias hominum qui trajicis umbras,*
Hoc animae portent corpus *inane suae.*

et in hoc carmine versu 3.

Cum semel intrarunt infernas funera leges.

et libro IV, 4, 14.

Nudus ad infernas, *stulte,* vehere rates.

Jam igitur, si *rogum* hic pro Orco posuit Propertius, potuit et *umbrosum* dicere; ut Italis visum est: sed *herbosum* maluit, quia sepulcra herbosa sunt, quae *porta obserari* dicit.

13. NUM MINUS IMMITES HABUI] Plurimum in hac elegia lectores Propertii debent codici Groningano, ex quo plus duodecim loca, quae in caeteris corrupta erant, ad veram lectionem reducta sunt, nisi quod unum alterumve ex Italicis hic illic consentientes habet. Hic igitur *Num minus* et versu sequente *En* ac *levatur* ex illo libro praestantissimo recepta sunt. Caeterum haec annotari a nobis institutum nostrum non postulat: hoc dicendum est, *habui*, quod sine dubio verum est, certa librorum auctoritate non niti, nisi quod Puccius ita correxit, quem Vallae libro usum esse constat. Praeterea in Scaligeri excerptis inventum est, quibus non fidere consuevimus. Caeteri *habuit.* Paullo post Schraderus tentat:

Et quaecumque meos implicat ulva *pedes.*

Sed recte haec infernae paludis *unda* implicare pedes dicitur. Statius Theb. II, 3.

undique pigrae
Ire vetant nubes et turbidus implicat aër.

Nec scribam cum Santenio:

Damnatae noctes, et vos vada lenta paludis,

paludes tuente Ovidio metam. I, 737,

et Stygias *jubet hoc audire* paludes.

Aut si quis posita judex sedet Aeacus urna,
  Is mea sortita vindicet ossa pila.
Adsideant fratres juxta et Minoïda sellam
  Eumenidum intento turba severa foro.

V. 20. In. 21. fratres. juxta Minoïa sella, et.

20. IN MEA SORTITA] Non opus est ea, quae ab aliis monita sunt, repetere. Heinsius verissime corrigit:

Is mea sortita vindicet ossa pila.

21. ADSIDEANT FRATRES. JUXTA MINOIA SELLA, ET] Hoc distichon optimi quique codices ita scriptum exhibent:

Adsideant fratres juxta
(*Minoïa sella*
(*Mino da sellam*
Eumenidum intento turba severa foro.

Nam *Minoïa sella* in plerisque legitur, *Minoïda* in Groningano et aliis paucis. Sed sive hoc sive illud probes, particulam copulativam deesse patet; quae quo loco ponenda esset, criticis dubium fuisse video. Scaliger eam cum codice suo, assentiente Puccio et aliquot libris Italicis, longi versus fini applicavit:

Adsideant fratres. juxta Minoïa sella, et
Eumenidum intento turba severa foro.

Quos igitur *fratres* dicit? Nempe Aeacum et Rhadamanthum. Sed de Aeaco jam dixerat:

Aut si quis posita judex sedet Aeacus *urna.*

Altera lectio, *et* itidem posito in fine versus, priore melior non est:

Adsideant fratres juxta Minoïda sellam, et
Eumenidum intento turba severa foro.

Italorum factio Vaticana *et* post *juxta* interserit; male, si *Minoïa sella* scribimus:

Adsideant fratres juxta, et Minoïa sella:

sed optime ita:

Adsideant fratres juxta ET MINOÏDA SELLAM
Eumenidum intento turba severa foro.

Non assident fratres, sed Eumenides juxta Minoëm ejusque fratres. Et recte *Assideant turba*, ut libro IV, 16, 28.

Unde tuum potant *Naxia* turba *merum.*

Hac scriptura recepta concidit, quod Santenius culpat, assessorem fieri hic Aeacum, qui disticho praecedente erat judex. Sed haec objectio ne caeteris quidem lectionibus nocet, quandoquidem *assidere* idem fere est quod *sedere*, vel, ut accuratius loquamur, idem quod *sedere in aliquo loco*, Germanice *dasitzen*. Ita Cicero utitur *assidere* pro nostro *sich hinsetzen* Academ. I, 4, 14. *Et simul*, Assidamus, *inquam, si videtur.* Terentius Heaut. I, 1, 72.

Domum revortor maestus atque animo fere

Sisyphe, mole vaces; taceant Ixionis orbes;
Fallax Tantaleo corripiare liquor;

Conturbato atque incerto prae aegritudine.
Adsido; *adcurrunt servi; soccos detrahunt.*

Eodem modo usurpatur verbum *astare.* Tibullus I, 10, 8.
Faginus astabat *cum scyphus ante dapes.*

Ita noster V, 10, 31.
Forte super portae dux Veïus astitit *arcem.*

et IV, 6, 11.
Sed tua nunc volucres astant *super ossa marinae.*

Virgilius georg. III, 545.
Interit et curvis frustra defensa latebris
Vipera, et adtoniti squamis astantibus *hydri.*

Aen. II, 303.
Excutior somno, et summi fastigia tecti
Ascensu supero, atque adrectis auribus asto.

ac versu 328.
Arduus armatos mediis in moenibus astans
Fudit equus.

et libro III, 123.
Hoste vacare domos, sedesque astare *relictas.*

et VII, 181.
Saturnusque senex Janique bifrontis imago
Vestibulo astabant, *aliique ab origine reges.*

et XII, 93.
Exin, quae mediis ingenti adnixa columnae
Aedibus astabat, *validam vi corripit hastam.*

Neque alienus iste usus Ovidio. Epist. XX, 106.
Quaeque superba parens, saxo per corpus oborto,
Nunc quoque Mygdonia flebilis astat *humo.*

metamorph. VIII, 480.
Ante sepulcrales infelix astitit *aras.*

In Priapeis carmine LXII.
Quid frustra quereris, colone, mecum,
Quod quondam bene fructuosa malus
Auctumnis sterilis duobus astem?

Porro *accubare* quoque et *accumbere* ita positum aliquoties vidimus. Apud Propertium I, 3, 3.
Qualis et adcubuit *primo Cepheïa somno,*

quod vulgo pessime et contra naturam rei exponunt. Virgilius georg. III, 334.
aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus adcubet *umbra.*

Catullus LXI, 171.
Aspice, intus ut adcubans
Vir tuus Tyrio in toro
Totus immineat tibi.

Manilius V, 428.
Aut immota ferens in tergus membra latusve,
Non onerabit aquas, summisque accumbet *in undis,*
Pendebitque super; totus sine remige velum est.

Nec male olim apud Suetonium in Caesare cap. 72. editum fuit:

Cerberus et nullas hodie petat inprobus umbras,
  Et jaceat tacita labsa catena sera.
Ipsa loquor pro me. si fallo, poena sororum,
  Infelix humeros urgueat urna meos.
Si cui fama fuit per avita tropaea decori,
  Afra Numantinos regna loquuntur avos,
Altera maternos exaequat turba Libones,
  Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox, ubi jam facibus cessit praetexta maritis,
  Vinxit et acceptas altera vitta comas;

V. 34. aspersas.

ipse humi ac sub divo accubuerit; ubi nunc *cubuerit* legitur. Horatii vero locus carm. IV, 12, 17.

Nardi parvus onyx eliciat cadum,
Qui nunc Sulpiciis adcubat *horreis,*

fortasse potius ex illis Homericis explicandus est:

Ἐν δὲ πίθοι οἴνοιο παλαιῦ ἡδυπότοιο
Ἕστασαν, ἄκρητον θεῖον ποτὸν ἐντὸς ἔχοντες,
Ἑξείης ποτὶ τοῖχον ἀρηρότες.

Certius est, *assistere* ea, quam illustramus, ratione posuisse Tacitum annal. II, 6. *Intentus paratusque miles, ut ordo agminis in aciem assisteret;* et Ovidium metam. VII, 640.

Ac se tollere humo, rectoque adsistere *trunco;*

item Lucretium II, 359.

completque quereleis
Frundiferum nemus adsistens.

Quid, quod Caesar *ad icere* ita dixisse videtur, ut nostro *hinwerfen* respondeat, de B. G. II, 21. *Et quod non longius hostes aberant, quam quo telum* adjici *posset.* Sed haec sufficiant. In sequente pentametro,

Fallax Tantaleo *corripiare liquor,*

vellem longus esse, si possem. Sed *Tantaleus* pro Tantalo non magis mihi, quam caeteris interpretibus, lectum. Quare assentior Aurato et Heinsio corrigentibus:

Fallax Tantaleo corripere ore *liquor.*

30. AFRA NUMANTINOS] Vitium perantiquum a magno Scaligero felicissime sublatum. Nam in bonis libris *Aera* legitur, scilicet AERA TO AFRA.

34. VINXIT ET ADSPERSAS] *Aspersas* Lipsius in vetere codice legisse vult: enotant ex suis Puccius, Minturnus, Pocchus, Ferrarius. Sed vereor, ne ab Italis venerit. Quod libri caeteri habent,

Vinxit et ACCEPTAS *altera vitta comas,*

simili loco firmemus licet V, 9, 49.

Jungor, Paulle, tuo, sic discessura, cubili;
In lapide huic uni nupta fuisse legar.
Testor majorum cineres tibi, Roma, verendos,
Sub quorum titulis, Africa, tonsa jaces,
Te, Perseu, proavi simulantem pectus Achilli,
Quique tuas proavo fregit Achille domos:
Me neque censurae legem mollisse, neque ulla
Labe mea vestros erubuisse focos.
Non fuit exuviis tantis Cornelia damnum:
Quin erat et magnae pars imitanda domus.
Nec mea mutata est aetas: sine crimine tota est.
Viximus insignes inter utramque facem.

V. 36. hoc. 38. jacet: 39. Et Persen, — Achillis. 41. nec ulla. 44. et erat.

Mollis et hirsutum cepit *mihi* fascia pectus.

36. IN LAPIDE HOC UNI] Nimis ineptum *in lapide hoc*, nec defendendum ex iis, quae ad versum 8. notavimus. Recte corrigunt viri docti:

In lapide HUIC *uni nupta fuisse legar.*

In versu praecedente nihil muto. *Sic discessura* dicit, hoc sensu: nunc ita, ut non sperabam, discedo. Eleganter tamen Huschkius et ante eum Puccius *non discessura* tentaverunt, cum in aliquot libris Italicis *cum discessura* vel *condiscessura* reperissent.

38. AFRICA TONSA JACET] Hoc ex Heinsiano et Borrichiano Santenius recepit, nimio fastidio caeterorum omnium scripturam contemnens:

Sub quorum titulis, Africa, tonsa JACES.

39. ET PERSEN, PROAVI SIMULANTEM PECTUS ACHILLIS, QUIQUE TUAS PROAVO FREGIT ACHILLE DOMUS] In fine versus majoris scribe ACHILLI ex Heinsiano et aliis quibusdam, qua forma Propertius alibi quoque utitur. Caetera ut edita sunt, libris plerisque consentientibus, sensu carent. Groninganus habet *proavus.* Cum *Achille* ultima correpta in vocandi casu non videatur ferri posse, nihil umquam verisimilius excogitatum iri censeo, quam quod Santenius voluit:

TE, PERSEU, *proavi simulantem pectus Achilli,*
Quique tuas proavo fregit Achille domos.

Et pro *Te* in versus initio scripti omnes exhibent libro IV, 12, 55.

44. QUIN ET ERAT] Groninganus *Quin* ERAT ET, quod Broukhusio concinnius sonat. Ejus aurium judicium Santenius contemnere non debuit. Caeterum et hoc male facit,

Mi natura dedit leges a sanguine ductas,
Ne possem melior judicis esse metu.
Quaelibet austeras de me ferat urna tabellas:
Turpior adsessu non erit ulla meo,
Vel tu, quae tardam movisti fune Cybeben,
Claudia, turritae rara ministra deae,
Vel cui, conmissos cum Vesta reposceret ignis,
Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te, dulce caput, mater Scribonia, laesi.
In me mutatum quid, nisi fata, velis?
Maternis laudor lacrimis urbisque querelis,
Defensa et gemitu Caesaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat; et lacrimas vidimus ire deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
Nec mea de sterili facta rapina domo.
Tu, Lepide, et tu, Paulle, meum post fata levamen!
Condita sunt vestro lumina nostra sinu.
Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem;
Consul quo factus tempore, rapta soror.
Filia, tu specimen censurae nata paternae,
Fac teneas unum, nos imitata, virum,

V. 48. possim. 49. Quamlibet. 66. Consule quo facto,

quod probat *et eram* a Puccio Perrejoque et e duobus Vaticanis annotatum; nam versus hunc proxime praecedens repugnat.

48. NE POSSIM] Accuratiorem dictionem praestant Groninganus et Mentelianus, in quibus *Ne* POSSEM.

49. QUAMLIBET AUSTERAS] Sic Livinejus et ante eum Itali. Libri sinceri omnes QUAELIBET; nec quicquam interest. Mox *assessu* haud dubie verum est, etsi liber bonus agnoscat nullus, sed *assensu* plerique. Sin hoc vocabulum alibi non legitur, nec *memoratorem* aut *sevehi* dixit alius quisquam praeter Propertium.

66. CONSULE QUO FACTO, TEMPORE RAPTA SOROR] Quid hoc, *tempore rapta?* Immo *fato* debuit dici, vel tale quid. Interpretes pro *in tempore* positum volunt, tempestive, opportune Quid ineptius? Alii variis modis tentarunt: *ex tempore* Fruterius et Heinsius; *ut mea* vel *tu modo radta* idem

Et serie fulcite genus. mihi cumba volenti
  Solvitur, aucturis tot mea fata malis. *
Haec est feminei merces extrema triumphi,
  Laudat ubi emeritum libera fama rogum,
Nunc tibi conmendo, conmunia pignora, natos.
  Haec cura et cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater; illa meorum
  Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula cum dederis tua flentibus, adjice matris.
  Tota domus coepit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus eris sine testibus illis,
  Cum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges,
  Somniaque in faciem credita saepe meam.
Atque, ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
  Ut responsurae singula verba jace.
Seu tamen adversum mutarit janua lectum,
  Sederit et nostro cauta noverca toro,
Conjugium, pueri, laudate et ferte paternum;
  Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis; conlata priori
  Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille mea contentus manserit umbra,
  Et tanti cineres duxerit esse meos,

Heinsius; Koppiersius *festo tempore*; Broukhusius *fati crimine*. Repono:

CONSUL *quo* FACTUS *tempore, rapta soror.*

Fact^{9} erat scriptum; inde ortum *facto*; hunc ablativum deinde alter secutus est.

69. MIHI CYMBA VOLENTI SOLVITUR, AUCTURIS TOT MEA FATA MALIS] Locus vexatissimus et haud dubie male affectus. Non juvat tempus serere in examinandis virorum doctorum moliminibus. Hoc video, quo plura hic immutentur, tanto magis a veritate aberrari. Fortasse non inepte scribemus ita:

Et serie fulcite genus. mihi cymba volenti
Solvitur, aucturis tot mea fata meis.

ut Cornelia se libenter mori dicat, cum ampla nepotum spe sua fata majora factum iri videat. De *fatis magnis* et *ingentibus* et *majoribus* Bentleju-

Discite venturam jam nunc sentire senectam,
  Coelibis ad curas nec vacet ulla via.
Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos!
  Prole mea Paullum sic juvet esse senem!
Et bene habet: numquam mater lugubria sumsi;
  Venit in exsequias tota caterva meas.
Causa perorata est. flentes me, surgite testes,
  Dum pretium vitae grata rependit humus.
Moribus et caelum patuit; sim digna merendo,
  Cujus honoratis ossa vehantur avis.

V. 102. aquis.

ad Horatium disputavit epist. II, 1, 6.

93. DISCITE VENTURAM JAM NUNC SENTIRE SENECTAM] Hoc nemo probabiliter explicaverit, neque ego possum intelligere. Puto recte facere, qui corrigunt:

Discite venturam jam nunc
lenire senectam.

Vide Schraderum in emendationibus cap. IX. pag. 183. Caetera aliorum commenta nullo loco habenda sunt.

102. CUJUS HONORATIS OSSA VEHANTUR AQUIS] In diversa abeunt codices etiam optimi. *Equis* est in Groningano: *Aquis* habent Neapolitanus, Mentelianus, Guarnerianus, Bononiensis et, ut videtur, Palatini. Sed utramque lectionem explicare conatos effectus destituit. Equidem nullus dubito, quin Broukhusius verissime correxerit:

sim digna merendo,
Cujus honoratis ossa vehantur AVIS.

Nam, praeter caetera a Broukhusio exposita, certum est Latine ita dici, *vehi avis* pro *ad avos.* Valerius Flaccus III, 293.

en quibus adsum
Colloquiis? cui me hospitio
Fortuna revexit?

Propertius IV, 17.

At tibi, nauta, pias hominum qui trajicis umbras,
Hoc animae portent corpus inane suae.

Lygdamus (Tibull. III.) 4, 31.

Ut virgo juveni primum deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas.

Ducere eo modo passim ponitur; neque aliter accipiendum est nostri illud I, 6, 2.

Tulle, neque Aegaeo ducere
vela salo.

Tibullus I, 1, 5.

Me mea paupertas vitae traducat inerti.

NUMERI CARMINUM ET VERSUUM BURMANNIANI COMPARANTUR CUM VULPIANIS ET NOSTRIS.

BURM.	VULP.	NOSTRI.
LIB. I.	LIB. I.	LIB. I.
VIII, 27-46	VIII, 27-46	IX
IX-XXII	IX-XXII	X-XXIII
[XV, 15. 16	[XV, 15. 16	[XVI, 21. 22
17-22	17-22	15-20
XIX, 17. 18	XIX, 17. 18	XX, 19. 20
19. 20]	19. 20]	17. 18]
LIB. II.	LIB. II.	LIB. II.
I, 5. 6.	I, 5. 6	I, 9. 10
9. 10	9. 10	5. 6
49. 50	III, 45. 46	IV, 1. 2
51-72	I, 49-70	I, 49-70
73-80	IV, 7-14	IV, 17-24
81-88	I, 71-78	I, 71-78
II, 1-4	III, 1-4	III, 1-4
5. 6	II, 1. 2	II, 1. 2.
7-10	III, 5-8	III, 5-8
11-18	47-54	IV, 3-10
19-54	9-44	III, 9-44
[39. 41]	[29. 31]	[31. 29]
55-68	II, 3-16	II, 3-16
III, 1-6	IV, 1-6	IV, 11-16
7-14	15-22	25-32
IV-VI	V-VII	V-VII
[V, 15-32	[VI, 23-40	[VI, 23-40
VI, 21. 22]	41. 42]	41. 42]
VII, 1-6	VIII, 1-6	VIII, 1-6
	LIB. III.	LIB. IV.
7-8	XVIII, 29. 30	XVII, 29. 30
	LIB. II.	LIB. II.
9-16	VI, 15-22	VI, 15-22
17-28	VIII, 29-40	IX, 13-24
29. 30	9. 10	VIII, 9. 10
31. 32	7. 8	7. 8
33-34	IX, 1. 2	X, 1. 2
35-40	VIII, 11-16	VIII, 11-16
41-78	IX, 3-40	X, 3-40

BURM.	VULP.	NOSTRI.
LIB. II.	LIB. II.	LIB. II.
VII, 79-90	VIII, 17-28	IX, 1-12
91-98	IX, 41-48	X, 41-48
VIII, 1-4	49-52	49-52
		LIB. III.
5-30	X	I
31-36	XI	27-32
IX	XII	II
X	XIII	III. IV
XI. XII	XIV. XV	V. VI
[XII, 3-8	[XV, 5-10	[VI, 5-10
9. 10]	3. 4]	3. 4]
XIII, 1-56	XVI	VII
57-74	XVII	VIII
XIV, 1-4	XVIII, 1-4	IX, 1-4
5. 6	21. 22	21. 22
7-22	5-20	5-20
23. 24	33. 34	X, 11. 12
25. 26	23. 24	1. 2
27. 28	31. 32	5. 6
29. 30	25. 26	3. 4
31-34	27-30	7-10
35-38	35-38	13-16
XV-XVII	XIX-XXI	XI-XIII
XVIII, 1-42	XXII, 1-42	XIV
43-50	43-50	XV, 1-8
51-58	XXIII, 1-8	9-16
59-64	XXIV, 11-16	XVI, 11-16
65-80	XXIII, 9-24	XV, 17-32
81-90	XXIV, 1-10	XVI, 1-10
XIX, 1—16	17-32	XVII, 1-16
17. 18	47. 48	31. 32
19-32	33-46	17-30
33-36	49-52	33-36
37-46	XXV, 1-10	XVIII, 1-10
47-50	35-38	35-38
51-74	11-34	11-34
75-84	39-48	39-48
XX, 1-20	XXVI, 1-20	XIX
21-58	21-58	XX
59-74	XXVII	XXI
XXI, 1-46	XXVIII, 1-46	XXII
[3. 4	[33. 34	[33. 34
5-34]	3-32]	3-32]

BURM.	VULP.	NOSTRI.
LIB. II.	LIB. II.	LIB. III.
XXI, 47-62	XXVIII, 47-62	XXIII
XXII	XXIX	XXIV
XXIII, 1-16	XXXI	XXVII
17-20	XXX, 27-30	XXVI, 5-8
21. 22	XXXII, 1. 2	XXVIII, 1. 2
23. 24	XXX, 31. 32	XXVI, 9. 10
25-28	23-26	1-4
29-36	33-40	11-18
37-40	XXXII, 7-10	XXVIII, 7-10
41-44	3-6	3-6
45-52	11-18	11-18
53-64	XXX, 1-12	XXV, 1-12
65-68	19-22	19-22
69-80	XXXII, 19-30	XXVIII, 19-30
81-86	XXX, 13-18	XXV, 13-18
87-118	XXXII, 31-62	XXVIII, 31-62
XXIV. XXV	XXXIII. XXXIV	XXIX. XXX
[XXV, 31-40	[XXXIV, 31-40	[XXX, 31-40
41. 42	41. 42	43. 44
43. 44	43. 44	41. 42
45. 46	45. 46	49. 50
47-50	47-50	45-48
51-66	51-66	51-66
67-82	67-82	69-84
83. 84	83. 84	67. 68
85-94]	85-94]	85-94]
LIB. III.	LIB. III.	LIB. IV.
I, 1-40	I	I, 1-40
41-68	II	41-68
II	III	II
III, 1-22	IV	III
23-70	V	IV
IV-XVII	VI-XIX	V-XVIII
[V, 9-20	[VII, 55-66	[VI, 55-66
21-24	17-20	17-20
25-32	9-16	9-16
33-36	67-70	67-70
37-46	25-34	25-34
47. 48	37. 38	37. 38
49. 50	35. 36	35. 36
51-54	21-24	21-24
55-58	39-42	39-42
59. 60	53. 54	53. 54

BURM.	VULP.	NOSTRI.
LIB. III.	LIB. III.	LIB. IV.
V, 61-66	VII, 47-52	VI, 47-52
67-70]	43-46]	43-46]
[VII, 47-58	[IX, 47-58	[VIII, 49-60
59. 60]	59. 60]	47. 48]
[IX, 36	[XI, 36	[X, 40
40]	40]	36]
[47-58	[47-58	[49-60
59. 60	67. 68	47. 48
61-68]	59-66]	61-68]
[XII, 13. 14	[XIV, 15. 16	[XIII, 15. 16
15. 16]	13. 14]	13. 14]
[XVI, 29-32]	[XVIII, 31-34]	[XVII, 31-34]
XVIII	XX, 1-10	XIX
XIX, 1. 2	13. 14	XX, 1. 2
3. 4	11. 12	3. 4
5. 6	15. 16	7. 8
7. 8	19. 20	5. 6
9. 10	17. 18	9. 10
11-20	21-30	11-20
XX-XXII	XXI-XXIII	XXI-XXIII
XXIII, 1-20	XXIV	XXIV, 1-20
21-38	XXV	21-38
LIB. IV.	LIB. IV.	LIB. V.
I, 71. 72	I, 87. 88	I, 87. 88
73-84	71-82	71-82
85-104	89-108	89-108
105-108	83-86	83-86
III, 35. 36	III, 37. 38	III, 37. 38
37. 38	35. 36	35. 36
IV, 17-90	IV, 19-92	IV, 19-92
91. 92	17. 18	17. 18
VII, 21. 22	VII, 25. 26	VII, 21. 22
23-26	21-24	23-26
35-42	39-46	39-46
43-46	35-38	35-38
X, 23. 24	X, 25. 26	X, 25. 26
25. 26	23. 24	23. 24

NUMERI VULPIANI COMPARANTUR CUM NOSTRIS.

VULP.	NOSTRI.
LIB. I.	LIB. I.
VIII, 27-46	IX
IX-XXII	X-XXIII
[XV, 15. 16.	[XVI. 21. 22
17-22]	15-20]
[XIX, 17. 18	[XX, 19. 20
19. 20	17. 18]
LIB. II.	LIB. II.
I, 5. 6	I, 9. 10
9. 10	5. 6
III, 1-44	III
[29. 31]	[31. 29]
45-54	IV, 1-10
IV	11-32
VIII, 1-16	VIII
17-40	IX
IX	X
	LIB. III.
X	I
XI	27-32
XII	II
XIII	III. IV
XIV-XVII	V-VIII
XVIII, 1-22	IX
23-38	X
[27-30	[7-10
31. 32]	5. 6]
XIX-XXI	XI-XIII
XXII, 1-42	XIV
43-50	XV, 1-8
XXIII	9-32
XXIV, 1-16	XVI
17-52	XVII
XXV	XVIII
XXVI, 1-20	XIX
21-58	XX
XXVII	XXI

VULP.	NOSTRI.
LIB. II.	LIB. III.
XXVIII, 1-46	XXII
47-62	XXIII
XXIX	XXIV
XXX	XXV. XXVI
XXXI-XXXIV	XXVII-XXXV
[XXXIV, 31-40	[XXX, 31-40
41. 42	43. 44
43. 44	41. 42
45. 46	49. 50
47-50	45-48
51-66	51-66
67-82	69-84
83. 84	67. 68
85-94]	85-94]
LIB. III.	LIB. IV.
I	I, 1-40
II	41-68
III-XIX	II-XVIII
[IX, 47-58	[VIII, 49-60
59. 60]	47. 48]
[XI, 36. 40	[X, 40. 36
47-58	49-60
59-66	61-68
67. 68]	47. 48]
XX, 1-10	XIX
11. 12	XX, 3. 4
13. 14	1. 2
15-18	7-10
19. 20	5. 6
21-30	11. 20
XXIV	XXIV, 1-20
XXV	21-38
LIB. IV.	LIB. V.
VII, 21-24	VII, 23-26
25. 26	21. 22

ADDENDA.

Pag. 4 b. versu 7. post locum Ovidii adde: Homerus Odyss. XII, 446.

Σκύλλην δ' οὐκ ἔτ' ἔασε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε
Εἰσιδέειν· οὐ γάρ κεν ὑπέκφυγον αἰπὺν ὄλεθρον.

Pag. 8 a, 21. scribe:

Tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem.

Tum perge: itaque Propertius II, 13. 15.

Ah nimium faciles aurem *praebere puellae.*

et Seneca Hippol. 415.

Amare discat, mutuos ignes ferat,
Det facilis aures. *mitiga pectus ferum.*

Sed aliquanto suavius est hoc concise dictum *facili aure annuit*, quod auctor panegyrici etc.

Pag. 16 b, 25. post secundum A. Sabini locum ita perge: qui locus dubium facit, an Bentleius ad Manil. II, 246. recte interpretatus sit illa Silii Italici XV, 6:.

Illa ego sum, verti superum quae saepe parentem
Nunc avis in formam nunc torvi in cornua tauri.

quae doctius explicat ita, ut paria faciat Euripideo in Bacchis 743.

Ταῦροι δ' ὑβρισταὶ κεἰς κέρας θυμούμενοι
Τοπρόσθεν, ἐσφάλλοντο πρὸς γαῖαν δέμας.

Pag. 23 b, 1. Quod quartum posui consonantiae genus, id vereor, ne sine idonea causa finxerim. Nunc ita statuo, ne apud Ovidium quidem ullum ejus exemplum inveniri. Tertius et quartus eorum versuum, quos posui, ad tertiam speciem pertinet; duo priores ad quintam reducere posse videor. Nam particula *o* ab Italis etiam nunc apertis labiis, *meo* autem ore angustiore profertur. Nec in *boves* et *Alcides* magis, quam in *Hecates* et *canes* eamdem vocalem esse censeo. Graecum *ης* in his *e* aperto, *es* Latinum *e* clauso, ut cum iisdem Italis loquamur, pronuntiatum esse putem.

Pag. 25 a, 2. adde: neque apud Ovidium amor. II, 13, 10. Bentleianum,

Per septem portas in maris exit aquas.

ubi tuetur *portus* Ovidius ipse epist. XIV, 107

Per septem Nilus portus *emissus in aequor.*

Pag. 29 b, versum 11. et sequentes ita concipe: Ita omnia clara sunt. Veretur, ne Cynthia *sibi oscula* proficiscentis *posito vento debita dicat*, concessa sibi venti cessantis beneficio, qui navigaturum vetuerit solvere.

Pag. 32 b, in fine, post versus Valerii Flacci perge: Idem VII, 441.

nempe hanc animam sors *saeva manebat* Funeris.

Pag. 37 a, 33 — 3 . ne interpretatione aliena inferantur, scribe: nec videat contra vota sua, Cynthia proficiscente, hos hiemales ventos spirare desinere:

Atque ego non etc.

Eadem b, 2. adde: Bene etiam *Atque non*, id est Neque, non Neve; hic enim ulterius, ne vota sua irrita fiant, deprecatur. In his etc.

Pag. 41 b. versus quatuor primos ita refinge: Objurgando crudelem exagitavit, ne abiret precatus est, denique, cum votis nihil effici in tam perfida puella vidisset, felicem ei navigationem, suadente amore, optavit: haecine etc.

Pag. 42. indici varietatis lect. Burm. adde: Elegia IX. *adhaeret octavae.*

Ibidem a, 1. adde pag. 71. Tum versu 15: Denique *tuo limine* vel proprie intelligi potest, vel in amore tuo.

Pag. 48 a, 5. post Heinsii nomen: hisque prior Janus Dousa filius.

Pag. 58 b, 11. Id tamen (nam hunc duplicem turgendi libidine et floridae juventutis significatum habet pariter ac Graeca *ὀργᾷν* et *σφριγᾷν*) apud Tibullum de juventutis flore etc.

Pag. 66 a, 15—17. Huschkii mentio facienda non fuit.

Pag. 70 b, 1—6. Haec accuratius ita concepta habeto: quam expositionem Catulli, quem afferunt, locus adjuvat LXIII, 65.

Mihi januae frequentes, mihi limina tepida;
Mihi floridis corollis redimita domus erat.

nisi quod utrobique limen ab amatoribus frequentantibus illud, quam ab incubantibus, tepidum factum credere malo. Nec Persii illud alienum est I, 109.

ne majorum tibi forte
Limina frigescant.

Cave, inquit, ne te maiores limina sua visere vetent. Hic tamen ad Horatium una respicit Serm. II, 1, 60.

O puer, ut sis
Vitalis metuo, et majorum *ne quis amicus*
Frigore *te feriat.*

Quem major amicus frigore ferit, is parcius venire cogitur, itaque limina frigere incipiunt.

Pag. 96 b, 6. scribe: Lego: XERXI AUT, vel XERXIVE *imperio* etc.

Pag. 99 b, 26. adde: *ἄντα μαχομένας.*

Pag. 137. in var. lect. adde: V. 49—52. *Burm. VIII*, 1—4.

Pag. 206 a, 17. adde: et XLV, 12.

Illo purpureo ore saviata.

Pag. 212. in var. lect. adde: 12. opus.

Pag. 217 b, 14. dubium est. *Parin* posuit Ovidius remed. 457. Neapolitanus hic etc.

Pag. 225 a, 28. Ita de Aegistho Aeschylus in Choëphoris 480.

κἀγώ, πάτερ, τοιάνδε σε χρείαν ἔχω,
φυγεῖν, μέγαν προσθεῖσαν Αἰγίσθῳ μόρον.

Pag. 227. versu 67. quid egerim nescio. Veniam dato, Lector, humanae incogitantiae. Recte habet *canorus.*

Pag. 229 a. post versum 5. haec insere: 77. SUAM LASSUS REQUIESCAT ARENAM] Haec elegantia et ipsa a Scaligero venit. Eodem plane modo habes in Ciri v. 10.

In quo jure meas *utinam* requiescere Musas
Et leviter blandum liceat deponere amorem.

Alia viri docti passim annotaverunt. Sed hic quidem satis bonum est, quod libri scripti exhibent:

Quamvis ille SUA lassus *requiescat* AVENA.

Sua avena lassus, ut apud Ovidium epist. XXI, 245.

Jam satis invalidos calamo lassavimus *artus.*

Pag. 250. var. lect. 31. canunt mea.

Pag. 257 b, 6. Ovidius amor. II, 11, 31. ubi puellam, ne navigare velit, hortatur:

Tutius est fovisse torum, legisse libellos,
Threïciam digitis increpuisse lyram.

Pag. 260 b, in fine haec Ovidii loca addimus: Amor. III, 6, 29.

Quid? non Alpheon diversis currere terris
Virginis Arcadiae certus *adegit* amor?

Art. amat. II, 248.

Hoc dominae certi *pignus* amoris *erit.*

Pag. 299 b, 11. scribe: Ibidem, quod in quinto Vaticano legitur *Prata cruentabat Zethus*, ab Italis excogitatum, scribit Heynius: *Prata cruentantur*; etc.

Pag. 324. var. lect. V. 29. Andromedae.

Pag. 380 a, 9. adde ex eodem Ovidio: epist. II, 6.

Nec vehit *Actaeas Sithonis* unda rates.

MINORA VITIA

nostra aut operarum culpa admissa ita corriguntor.

P. 1 b, 15. libro III, 30, 60. 6, var. lect. puellam, 7 a, 15. dele: *luminis* et. 10 a, 39 Eleg. 30, 11 a, 12. nullos; 15 a, 38. ἔστ᾽ ἀδίκημ᾽, ἀδικῶ. 19 b 1. quas forma majores habeat virtutes Cynthia, 20, text 5. conmittet 23 a, 1. *libo* b, 19. *cur sim* Ibid. 32. *feros* 24, text. 16. conplexae 25 a, 9. dele: quidem 26 a, 29. De Cicerone loquitur: 28 a, 40. hoc te 31 a, 20. quasi adhuc incerto 34 a, 5. *sis.* 35 b, 33. TUM 37 b, 24. offendo 42 b, 17. *Issaeis* 43 b, 5. *sidera* 45 a, 10. impugnet, aut quis 46 a, 22. 36, 18. 47, text. 6. conplexa Ibid b, 15. *dolores* 48 a, 2. CALORES. Ibid. 14. amoribus b, 17. EFFECTO 49 a, 3. praesentis esset, 51 a, v. ult. VERTITUR 53 a, 13. *maximi* 55 a, 27. ἐκοίμισεν, 60 b, 7. ante *in* adde: omnes, 61 a, 2. videbis lib. I, 21 (20), 3., apud b, 2 . an multi non recte 70 a, 5. *nomini* Ibid. 16. fortassis 71 a, ult. Marklandus: 72 b, 16. accentus rhythmi, ut 73 b, 29. debuit. 75 a, 9. *incerto* b, 30. XIII, 11. 82 a, 4 dele: libri 83 a, 14. Odyss. I. 85 a, 12. *refert.* et, Quem *procul* 86 b, 11. Porro militem Gallus se — gaudeant, fuga servare 93, text. 2. longas 94 b 19. si versum 5. 96, tex. 2. Xerxi aut in perio 102, text. 3. Omnis 104 b, 15 verum esse illud 110 a, 36. est, si ipsa Cynthia, tamquam altera Helena, quam si prior 110 b, 3. *Hic* 112 b, 33. quaere: me, 113 b, 27. *dici mihi,* 115, summa. LIBER II, 4. [3.] 117, summa. LIBER II, 4. [3. 4.] Ibid. var. lect. III, 1—6. 124 a, 1. nihili 129 b, 9 vae, 145 b, 14. poëtae, ut Pr. 151 a, 32. dele: ubi 155 b, 35. soluunt 156 a, 13. gerere. I, 11, 21. *Tu cave, ne tristi* cupias *pugnare puellae.* II, 16, 13. *Et* cupit 158 a, 2. Calphurnius 165 a, 27. cum ita caperent, b, 35. accurate 169 b, ult. Quin 179 a, 27. meliorum 184, text. 3. spiraret 193 b, 13. tibi, quia excitares invidiam. 202 b, 18. cancollavimus 205 b, ult. meliore 206 b, 15. *eludor.* 219, text 8. Conrupit 223 b, 5. homine 227, text 13. canorus Ib. var. lect. nec, se minor, ore canorus a, 14. quod in libris omnibus infra 228 a, 7. canorus Ibid. 8. carmine cessit 229 a, 12 attingunt 234 a, ult. *lenisse* 235, text. 10. cecinit. 240 b, 21. nimis magnum 241 a, 7. *νύξ.* 243 b, 21. et quod est apud 245 a, 18. libro V. 250 b, 13. praeterea 256 a, 10. *accedat,* 257 b, 24. docti: 259 b, 6. 7. *externas. extremas,* 260, text. 1. circa 262, text. 7. tecum aut 265, text. 3. 4. Est quibus a, 4. Jovem, ut aug. 270 a, 13. sed bene *mollia frena* et *jussa* 271, text. 1. lympha, 274, text. 6. suos, b, 6. *regna* 279, text. 1. lacunis, 281 a, 11. exercendae 284, text 4. virgineos Ibid. in var. lect. 30. vimineos. 286 a, 5. *Pompejo* 289 b, 27. sensus

293 b, 29. hi 294 a, 15. Amazonidum 301, text. 5. hiantis: 302 b, 35. Quali 310 b, 14. dele: praeterea 315 a, 21. quibus 323, text. 10. lympha .a, ult. *Origae* accedentes reponamus: 324, text. 8. rates; 333 a, 9. saepe 337 a, 17. Virgilium 338 a, 9. *tecum;* 340 a, 1. proxime 346, text. 18. sumta 351 a, 18. *Ista* 352, text. 4. iste. Ibid. var. lect. V. 28. ille 355, text. 3. aestu; b, 1. eumdemque inepte *patrem* 356, text. 16. fictilis 370 b, ult. *judex* 379 b, 10. inferni 382 b, 1. temere 389, text. 3. saetaeque 394 b, 6. dele: et 397 b, 29. 30. dele: idem quod 399 a, 10. Homericis 401 b, 15. *rapta* 402 a, 14. terere 402 b, 14. Bentlejus

In Praefatione pag. IV, 22. criticas XXI, 16, comparent.

Sumtibus Gerh. Fleischeri iun. bibliopolae Lipsiensis hi quoque libri prodierunt.

Apollonii Rhodii Argonautica. Ex recens. et cum notis R. F. P. Brunckii. Edit. noua auct. et correctior. Accedunt scholia graec. ex Cod. biblioth. Parisinae nunc primum euulgata. 2 Vol. 8 maj. 1810 et 1812.
Charta impress. 6 thlr.
Charta script. 7 thlr. 12 gr.

Aristophanis Comoedia Plutus. Adiecta sunt scholia vetusta. Recognouit ad veteres membranas, variis lect. ac notis instruxit, et Scholiastas locupletauit Tiber. Hemsterhuis. Edit. noua emend. et append. notarum aucta. 8 mai. 1811.
Charta impress. 3 thlr. 8 gr.
Charta script. 4 thlr.

Aristotelis ars poëtica, cum commentariis God. Hermanni. 8 maj. 1802.
Charta impress. 1 thlr. 12 gr.
Charta script. 1 thlr. 20 gr.

Ciceronis, M. T., de Officiis libri tres. Recensuit et Scholiis Iacobi Facciolati suisque animaduersionibus instruxit A. G. Gernhard. 8 mai. 1811.
Charta impress. 2 thlr. 4 gr.
Charta script. 2 thlr. 12 gr.

Euripidis Tragoediae, edit. R. Porson. Tom. I. Editio in Germania altera correctior et auctior indicibusque locupletiss. instructa. 8 mai. 1807.
Charta impress. 2 thlr. 12 gr.
Charta script. 3 thlr.

— Hercules furens. Recensuit God. Hermannus. 8. 1810. 12 gr.

— Supplices. Recensuit G. Hermannus. 8. 1812. 12 gr.

— Tragoediae. Ad optim. librorum fidem recens. et brev. notis instrux. Aug. Seidler. Vol. I. Troades. Vol. II. Electra. Vol. III. Iphigenia in Tauris. 8. 1812—1813. 2 thlr.

Gerhardii, E., Lectiones Apollonianae. 8 mai. 1816. 1 thlr. 8 gr.

Gronouii, I. Fr., in P. Papinii Statii Siluarum libr. V. Diatribe. Noua editio ab ipso auctore curata. Accedunt Emerici Crucei Antidiatribe, Gronouii Elenchus

Antidiatribes et Crucei Muscarium. Edidit et annotationes adiecit Ferd. Handius. 2 Vol. 8 mai. 1812.
Charta impress. 5 thlr.
Charta script. 6 thlr.

Hermanni, G., Obseruationes criticae in quosdam locos Aeschyli et Euripidis. 8 mai. 1798. 18 gr.

— de emendanda ratione Graecae Grammaticae Libri I. et II. Vol. I. Accedunt Herodiani aliorumque libelli nunc primum editi. 8 mai. 1801.
Charta impress. 2 thlr.
Charta script. 2 thlr. 8 gr.

Poppo, E. F., Obseruationes criticae in Thucydidem. 8 maj. 1815. 1 thlr. 12 gr.

Sophoclis Tragoediae septem ac deperditarum fragmenta. Emendauit, varietatem lectionis, Scholia notasque tum aliorum tum suas adiecit C. G. A. Erfurdt. Accedit Lexicon Sophocleum et Index verborum locupletissimus. Vol. I — VI. 8. mai. 1802 — 1811.
Charta impress. 14 thlr. 16 gr.
Charta script. 17 thlr. 20 gr.

— Tragoediae. Ad optimorum librorum fidem iterum recensuit et brevibus notis instruxit C. G. A. Erfurdt. Vol. I et II. 8. 1809 — 1811. 1 thlr. 12 gr.

Anonymi oeconomica, quae vulgo Aristotelis falso ferebantur. E libris scriptis et versione antiqua emend. et enarravit I. G. Schneider, Saxo. 8. 1815. 12 gr.

Plauti, M. Acci, Trinummus, recensuit et praefatus est G. Hermannus. 8 mai. 1800. 12 gr.

Plutarchi Agesilaus et Xenophontis encomium Agesilai. In scholarum vsum edidit, notis et indice instruxit D. C. G. Baumgarten-Crusius. 8 mai. 1812. 16 gr.

Persius, Aulus Flaccus. Uebersetzt und mit Anmerkungen begl. von Franz Passow. 1r Bd. gr. 8. 1809. 2 thlr.

— Textum recensuit F. Passow. 8 mai. 1809. 6 gr.

Musäos. Urschrift, Uebersetzung, Einleitung und kritische Anmerkungen von Fr. Passow. 8. 1810. 1 thlr.

Johannes Secundus Küsse. Aus d. Lat. übers. mit beigedrucktem Original von Fr. Passow. gr. 8. 1807. 10 gr.

Seidler, Aug., de Versibus dochmiacis Tragicorum graecorum. 2 Vol. 8 maj. 1811 et 1812. 2 thlr. 8 gr.

Ruhnkenii, David, Lud. Casp. Valckenaerii et aliorum ad Ioh. Aug. Ernesti Epistolae. Accedunt D. Ruhn-

kenii Observationes in Callimachum, L. C. Valckenaerii Adnotationes in Thomae Mag. Eclogas et Ioh. Aug. Ernesti Acroasis inedita. Ex Autographis edidit Ioh. Aug. Henr. Tittmann. 8 mai. 1812. 1 thlr. 8 gr.

Plüschke, M. I. G., das lateinische Verbum nach einer noch wenig bekannten, vollständigen, ganz naturgemäſsen und sehr fasslichen Ordnung der Temporum ausgearbeitet und in 14 Tabellen für den Elementarunterricht in der latein. Sprache systemat. dargestellt. Fol. 18 4. 1 thlr.

Ciceronis, M. Tullii, Opera omnia, deperditorumque librorum fragmenta. Textum accurate recognovit, potiorem lectionis diuersitatem adnotauit, indices rerum et verborum copiosissimos adiecit Chr. Godofr. Schütz. Vol. I — VII. 8. 1814 et 1815. 5 thlr. 16 gr.

— Oratio Philippica secunda, übersetzt und mit einem nach Handschriften berichtigten Texte von M. G. G. Wernsdorf. gr. 8. 1815. 20 gr.

Valckenaerii, Lud. Casp., Opuscula philologica, critica, oratoria, nunc primum conjunctim edita. Accedunt indices. T. I et II. 8 mai. 1808. et 1809.

Charta impress. 3 thlr. 8 gr.

Charta script. 4 thlr.

Thiersch, Fr., Griechische Grammatik zum Gebrauch für Schulen. 8. 1815. 10 gr.